Vals - Bibl. Phil. C
Bibliothèque du Grand
SÉMINAIRE
VALS près LE PUY

18-K-10

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/philosopialacens0001stho

Vals. Bibl. Phil. S. J.
2D

PHILOSOPHIA LACENSIS

SIVE

SERIES INSTITUTIONUM

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

EDITA

A PRESBYTERIS SOCIETATIS IESU

IN COLLEGIO QUONDAM B. MARIAE AD LACUM

DISCIPLINAS PHILOSOPHICAS PROFESSIS.

INSTITUTIONUM PSYCHOLOGICARUM

PARS I.

PSYCHOLOGIAE NATURALIS

LIBER PRIOR.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCVI.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

150.2
P437

INSTITUTIONES PSYCHOLOGICAE

SECUNDUM PRINCIPIA

S. THOMAE AQUINATIS.

AD USUM SCHOLASTICUM

ACCOMMODAVIT

TILMANNUS PESCH S. I.

PARS I.

PSYCHOLOGIAE NATURALIS

LIBER PRIOR, QUI EST ANALYTICUS.

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.





FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCVI.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

15271

Salvo iure proprietatis et translationis.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

PRAEFATIO.

Institutiones psychologicae continent psychologiam generalem sive naturalem atque psychologiam illam specialem, quae anthropologica est. Psychologia naturalis dividitur in libros duos, quorum prior analyticus est, ab effectu ad causam progrediens; alter est syntheticus, a causa ad effectum regrediens. In logica enim edocti sumus in scientia servandam esse, quantum fieri possit, methodum analytico-syntheticam. Liber igitur alter considerandis functionibus vitalibus destinatus est. Attamen functiones illae, quae speciali ratione sunt hominis, reservantur psychologiae anthropologicae. Haec in libros quattuor dividetur, quorum primus agit de intellectu, alter de voluntate, tertius de vita animae corpori coniunctae, quartus de vita animae separatae.

Morem veterum secuti primo doctrinam proponimus; deinde per quaestiones res graviores et difficiliores ab omnibus cavillationibus, quantum necesse est, defendendas suscipimus. Et in tractandis quaestionibus methodum scholasticam retinendam esse censemus, qualem tenuerunt omnes doctores philosophiae peripateticae usque ad recentis aetatis initia. Tum temporis post exempla et praecepta Cartesii, Spinozae, Leibnizii, Wolffii haec methodus a plurimis relicta est, idque non sine aliquo scientiae damno. Haec methodus eo potissimum commendatur, quod quum naturae hominis, tum naturae philosophiae congruens est, ut praeterea nulla. Qua de re satis diximus in Institutionibus logicalibus.

Scripsi Valkenburg (in Hollandia) die 9. m. Sept. a. 1896.

Tilmannus Pesch S. I.

Index thesium.

Thesis 1. Per experientiam et observationem constat animalia pollere vita sensitiva atque etiam vegetativa; et ita quidem, ut animal ipsum, quod vivit per vitam sensitivam, vivat etiam per vitam vegetativam sive organicam . . . . . pag. 89

Th. 2. Homo praeter vitam vegetativam et sensitivam etiam intellectivam habet; hac vero animantia reliqua omnino carent . . pag. 102

Th. 3. Plantae non habent vitam cognoscitivam, habent tamen vitam vegetativam . . . . . pag. 126

Th. 4. Crystallis vita omnis est abiudicanda . . . . pag. 129

Th. 5. Vita in facultate sita est, qua ens capax est, ut per sui ipsius motum tendat in ulteriorem sui ipsius perfectionem, sive ut agat immanenter . . . . . pag. 144

Th. 6. Nulla inest vita in rebus anorganicis; sive intelligitur harum rerum ordinata complexio, quam mundum vocant, sive intelliguntur hae res seorsum secundum elementa sua . . . . . pag. 156

Th. 7. Corpora facultate cognoscendi praedita secundum essentiam ontologicam speciali ratione differunt a brutis corporibus (Phil. nat. n. 181) pag. 171

Th. 8. Corpora organica secundum essentiam ontologicam speciali ratione differunt a corporibus anorganicis (Phil. nat. n. 185) . . pag. 178

Th. 9. Tres sunt in hoc mundo visibili gradus vitae generici: vita vegetativa, sensitiva, intellectiva . . . . . pag. 188

Th. 10. Recte statuitur specialis quaedam differentia inter plantas et animalia, atque etiam inter bestias et hominem . . . pag. 198

Th. 11. Theoria descendentiae, secundum quam species omnes perfectiores ex speciebus imperfectioribus simpliciter ortae esse dicuntur, fundamentis, quae satis sint, non nititur; neque ea cum sanae philosophiae principiis satis componi potest . . . . . pag. 208

Th. 12. Descendentia illa, quae facta dicitur per transmutationem continuam universalem, ex variabilitate infinita, nullo pacto admitti potest pag. 214

Th. 13. Magis etiam absurdus est darwinismus, in quo, ut explicetur descendentia et transmutatio continua a nobis supra reiecta, adhibetur sola adaptatio mechanica, sine ulla tendentia finali . . . pag. 218

Th. 14. Post reprobatam theoriam descendentiae non est dubium, quin permulti inter plantas et beluas ordines sint, qui ratione specifica, i. e. iacente in ipsa essentia, inter se differant . . . . pag. 221

Th. 15. Homines omnes unius sunt speciei, ita ut universum genus ab una stirpe originem ducere potuerit . . . . . pag. 226

Th. 16. Nullum corpus vivum, sive est homo, sive bestia, sive planta, ullo modo est pars vel accidens unius substantiae, quae omnia viventia in se complectatur; sed unumquodque est una integra individua substantia habens in se principium totale vitae suae . . . . . pag. 240

Th. 17. Ratione vitae intellectivae, quae est in homine, oportet ponere animam humanam non esse accidens, sed substantiam . . . pag. 241

Th. 18. Ratione vitae sensitivae, quae est in unoquoque animali, oportet ponere animam non esse accidens, sed substantiam . . pag. 247

Th. 19. Ratione vitae vegetativae, quae est in quolibet corpore organico, oportet ponere animam esse substantialem materiae determinationem pag. 250

Th. 20. Anima corpori coniungitur ut forma substantialis, ita ut anima et corpus in organismo sint duae substantiae partiales, inter se ad naturam unam et ad substantiam unam complentes . . . . . pag. 264

Th. 21. Principium vitale exsistit in omni parte integrali corporis organici, quae est primaria . . . . . pag. 299

Th. 22. Anima humana est natura sua independens a corpore, hinc in se subsistens et spiritualis . . . . . pag. 332

Th. 23. Substantia animae humanae caret partibus entitative diversis, atque ita est omnino simplex . . . . . pag. 349

Th. 24. Una est in homine anima eaque rationalis, quae vitae tum intellectivae tum sensitivae tum vegetativae est principium . pag. 358

Th. 25. Ex unione animae et corporis resultat unitas naturae, substantiae, personae . . . . . pag. 369

Th. 26. Persona non constituitur conscientia, sed recte dicitur esse rationalis naturae substantia individua . . . . . pag. 373

Th. 27. Substantia animae rationalis sive intellectivae vere, et per se, et essentialiter, et immediate exsistit humani corporis forma . pag. 386

Th. 28. Anima humana non potest produci a parentibus, neque per traducem sive corporeum sive incorporeum, neque generatione; sed creatur a Deo, cui soli potestas creandi competat . . . . . pag. 419

Th. 29. Inest in unoquoque animali anima una tum quoad vitam sensitivam et vegetativam, tum quoad diversas vitae sensitivae functiones et organa pag. 435

Th. 30. Anima beluina non est in se subsistens, sed in ipso Esse suo intrinsecus a corpore pendet . . . . . pag. 438

Th. 31. Omnis anima beluina pro natura sua habet simplicitatem sive indivisibilitatem naturalem, sive perfectam sive imperfectam. Neque tamen ulla habet simplicitatem entitativam, i. e. eam, quam habet anima humana pag. 445

Th. 32. Animae beluinae in ortu uniuscuiusque animalis individui revera oriuntur, non tamen creantur, sed in generatione animalium producuntur sive educuntur a generantibus . . . . . pag. 452

Th. 33. Principium vegetativae vitae in unaquaque planta actu unum est; sed est divisibile idque ratione subiecti, quod informat . pag. 463

Index realis.

Praefatio . . . . . Pagina v
Index thesium . . . . . pag. vii

Prooemium . . . . . pag. 1—42

Num. 1. Huius tractationis introducitur ratio. — n. 2. Quo loco in philosophia ponenda sit psychologia. — n. 3—18. Praenotiones historicae. — n. 19. Psychologiae notio et definitio. — n. 20. Psychologiae a disciplinis finitimis diversitas. — n. 21, 22. Psychologiae praestantia et utilitas. — n. 23. Psychologiae difficultas. — n. 24. Fontes psychologiae. — n. 25—27. Methodus in psychologia adhibenda. Methodi empiricae et aprioristicae. — n. 28. Methodus genetica. — n. 29. Methodus Aristotelica. — n. 30. Psychologiae partitio.

n. 31. Quaeritur 1°: possitne esse vera de ipsa anima scientia? — n. 32. *Resp.* affirmative. — n. 33. *Solvuntur dubia.*

n. 34. Quaeritur 2°: sitne anima ipsa obiectum psychologiae? *Resp.* affirmative. — n. 35. *Solvuntur dubia.* — n. 36. *Scholion:* Obiectum „formale quod“ et „formale quo“.

Pars prior. Psychologia naturalis sive physica.

n. 37. Ordo doctrinae . . . . . pag. 43

Liber prior. De viventis essentia sive natura . pag. 43

Disputatio prior. De vita et anima generatim accepta pag. 44

Sectio prima. De corporibus viventibus . . . . pag. 44—132

n. 38. Quid veniat nomine corporis organici.

§ 1. Describuntur organa eorumque functiones . pag. 45

I. Organismus eiusque structura . . . . . pag. 45

n. 39, 40. Organismi descriptio generalior in animalibus atque in plantis. — n. 41—43. Structura organismorum. — n. 44, 45. Systema nerveum in communi. — n. 46, 47. Encephali sive cerebri descriptio.

II. Functionum vitalium enarratio . . . . . pag. 54

n. 48—53. Operationes organicae. — n. 54. Operatio cognoscitiva.

III. De organis cognitioni inservientibus . . . . . pag. 61

n. 55. Cerebri functio. — n. 56—58 Nervi. — n. 59. Organa sensationis externa et primo organum visus. — n. 60. Organum tactus. — n. 61. Or-

ganum auditus. — n. 62. Organum gustus. — n. 63. Organum odoratus. — n. 64. Partes reliquae, quae pro vita sensitiva aliquod momentum habent. — n. 65, 66. Organa sensuum, quae sunt in animalibus imperfectioribus.

§ 2. De vitae exsistentia in corporibus organicis pag. 80

n. 67—69. Proponitur doctrina. — n. 70—74. Recensentur sententiae adversariae.

n. 75. Quaeritur 1°: quae vita sit in animalibus. — n. 76—80. **Resp.**[1]**:** Per experientiam et observationem constat animalia pollere vita sensitiva atque etiam vegetativa; et ita quidem, ut animal ipsum, quod vivit per vitam sensitivam, vivat etiam per vitam vegetativam sive organicam. — n. 81—83. *Solvuntur dubia.* — n. 84. *Corollarium:* Sensus interni in beluis.

n. 85, 86. Quaeritur 2°: quaenam animalia habeant vitam intellectivam. — n. 87—91. **Resp.:** Homo praeter vitam vegetativam et sensitivam etiam intellectivam habet; hac vero animantia reliqua omnino carent. — n. 92—94. *Solvuntur dubia.* — n. 95. *Corollaria:* 1. Discrimen inter intellectum et sensum. 2. Discrimen inter homines et beluas praecipuum. 3. Appetitus, qui inest in animalibus.

n. 96—98. Quaeritur 3°: quae vita reperiatur in plantis et crystallis. — n. 99—101. **Resp. 1°:** Plantae non habent vitam cognoscitivam, habent tamen vitam vegetativam. — n. 102. **Resp. 2°:** Crystallis vita omnis est abiudicanda. — n. 103. *Solvuntur dubia.* — n. 104. *Corollarium:* Discrimen inter animalia et plantas.

Sectio secunda. De conceptu vitae . . . . . pag. 133—167

n. 105—108. Error hylozoismi. — n. 109. Qua ratione nomen vitae adhibitum sit. — n. 110. Vitae definitio.

n. 111. Quaeritur 1°: quae sit recta vitae definitio. — n. 112, 113 **Resp.:** Vita in facultate sita est, qua ens capax est, ut per sui ipsius motum tendat in ulteriorem sui ipsius perfectionem, sive ut agat immanenter. — n. 114, 115. *Solvuntur dubia.* — n. 116. *Scholion:* Vita metaphysica. — n. 117. *Corollaria:* 1—5. Reiciuntur definitiones propositae a Materialistis, a Stahl, a Bichat, a Cuvier, ab aliis. 6. Analogia, quae est inter res viventes et non-viventes.

n. 118. Quaeritur 2°: num omnia vivant. — n. 119—122. **Resp.:** Nulla inest vita in rebus anorganicis; sive intelligitur harum rerum ordinata complexio, quam mundum vocant, sive intelliguntur hae res seorsum secundum elementa sua. — n. 123—125. *Solvuntur dubia.* — n. 126. *Corollaria:* 1. Appetitus naturalis, vitalis, cognoscitivus. 2. Elevatio viventium. 3. In viventibus est species aseitatis.

Sectio tertia. De discrimine inter viventia et non-viventia pag. 167—184

n. 127—129. Sententiae inter se adversariae.

n. 130. Quaeritur 1°: quo discrimine differant ea, quae facultate cognoscendi instructa sint, a rebus cognitione carentibus. — n. 131, 132.

[1] Permultas ex iis conclusionibus, quae maioris ponderis sunt, per modum „thesium“ explanamus, quo facilius in circulis et publicis disputationibus adhiberi possint. Has nunc **hoc typorum genere** indicamus.

Resp.: Corpora facultate cognoscendi praedita secundum essentiam ontologicam speciali ratione differunt a brutis corporibus. — n. 133, 134. *Solvuntur dubia.*

n. 135. Quaeritur 2°: quo discrimine differant res organicae ab anorganicis. — n. 136, 137. **Resp.:** Corpora organica secundum essentiam ontologicam speciali ratione differunt a corporibus anorganicis. — n. 138. *Solvuntur dubia.* — n. 139. *Scholion:* De rerum organicarum origine.

Sectio quarta. De vitae viventiumque divisione . . pag. 184—229

n. 140, 141. Exponitur doctrina.

n. 142. Quaeritur 1°: qui sint vitae gradus essentiales. — n. 143, 144. **Resp.:** Tres sunt in hoc mundo visibili gradus vitae generici: vita vegetativa, sensitiva, intellectiva. — n. 145. *Solvuntur dubia.* — n. 146. *Scholion:* Divisio ista non est analogi in analogata.

n. 147—151. Quaeritur 2°: quae differentia sit inter plantas, bestias, homines. — n. 152—154. **Resp.:** Recte statuitur specialis quaedam differentia inter plantas et animalia, atque etiam inter bestias et hominem. — n. 155. *Solvuntur dubia.* — n. 156. *Corollarium:* Recta animalium classificatio.

n. 157—159. Quaeritur 3°: quae sit differentia inter singulos beluarum et plantarum ordines. — n. 160—162. **Resp. 1°:** Theoria descendentiae, secundum quam species omnes perfectiores ex speciebus imperfectioribus simpliciter ortae esse dicuntur, fundamentis, quae satis sint, non nititur, neque ea cum sanae philosophiae principiis satis componi potest. — n. 163. *Scholia:* 1. Reicitur hybridismus. 2. Improbatur „descendentia secundum quid". — n. 164, 165. **Resp. 2°:** Descendentia illa, quae facta dicitur per transmutationem continuam universalem, ex variabilitate infinita, nullo pacto admitti potest. — n. 166, 167. **Resp. 3°:** Magis etiam absurdus est darwinismus, in quo, ut explicetur descendentia et transmutatio continua a nobis supra reiecta, adhibetur sola adaptatio mechanica, sine ulla tendentia finali. — n. 168, 169. **Resp. 4°:** Post reprobatam theoriam descendentiae non est dubium, quin permulti inter plantas et beluas ordines sint, qui ratione specifica, i. e. iacente in ipsa essentia, inter se differant. — n. 170—172. *Corollaria:* 1., 2. Reiciuntur notiones speciei falsae. 3. Species et varietas. 4. De specierum ortu. Admittitur theoria stabilitatis mixtae. — n. 173. *Solvuntur dubia.*

n. 174. Quaeritur 4°: sintne homines omnes unius speciei. — n. 175, 176. **Resp.:** Homines omnes unius sunt speciei, ita ut universum genus ab una stirpe originem ducere potuerit. — n. 177. *Solvuntur dubia.*

Sectio quinta. De substantialitate vitae sive de anima pag. 229–322

n. 178. Quid voce animae hoc loco intelligatur. — n. 179, 180. Communis de natura animae sententia. — n. 181. Apud veteres sententiae adversariae. — n. 182, 183. Sententiae adversariae posteriore tempore prolatae.

n. 184. Quaeritur 1°: habeatne anima rationem substantiae. — n. 185, 186. **Resp. 1°:** Nullum corpus vivum, sive est homo, sive bestia, sive planta, ullo modo est pars vel accidens unius substantiae, quae omnia viventia in se complectatur; sed unumquodque est una integra individua substantia habens in se principium totale vitae suae. — n. 187—189. **Resp. 2°:** Ratione vitae intel-

lectivae, quae est in homine, oportet ponere animam humanam non esse accidens, sed substantiam. — n. 190—192. *Corollaria:* 1. Locke. 2. Th. Jouffroy. 3. Cartesius. 4. Alexander Aphrodisias, Galenus, Empedocles. — n. 193—195. **Resp. 3°:** Ratione vitae sensitivae, quae est in unoquoque animali, oportet ponere animam non esse accidens, sed substantiam. — n. 196—199. **Resp. 4°:** Ratione vitae vegetativae, quae est in quolibet corpore organico, oportet ponere animam esse substantialem materiae determinationem. — n. 200. *Corollaria:* 1. Nomen animae. 2. Vita substantialis recte dicitur prima. 3. Vita in operationibus secundaria. 4. Ortus organismi est generatio simpliciter. — n. 201, 202. *Solvuntur dubia.*

n. 203—206. Quaeritur 2°: qua ratione anima se habeat ad corpus sive materiam. — n. 207—214. **Resp.:** Anima corpori coniungitur ut forma substantialis, ita ut anima et corpus in organismo sint duae substantiae partiales, inter se ad naturam unam et substantiam unam complentes. — n. 215. *Scholia:* 1. Quodnam hac in re sit argumentum praecipuum. 2. Corpus subiectum animae. 3. Anima est etiam „motor" corporis. — n. 216, 217. *Solvuntur dubia.* — n. 218—223. *Corollaria:* 1. Anima ipsa non est composita ex materia et forma. 2. Non est corpus. 3. Ex se est simplex. 4. Non est vis. 5. Non eo informat, quod materiam modificat. 6. Organismus est ens. 7. Materia non est ens simpliciter. 8. Anima est forma etiam ipsius materiae. 9. Organizationis diversitas unitati organismi non obstat. 10. Corpus ad essentiam organismi spectat. 11. Totum non est res tertia, quae a partibus diversa sit. 12. Quum multa in organismo sint vitalia, nomen tamen principii vitalis soli animae competit. 13. Anima unitur corpori immediate, quamquam non movet corpus immediate. 14. Quid de spiritu vitali sive corporeo? 15. Modus, qui dicitur unionis, non est unionis medium. 16. Ortus animae. 17. Quid de cadavere?

n. 224. Quaeritur 3°: sitne anima ab Aristotele recte definita. — n. 225. *Resp.:* Anima definitur, ut sit actus primus corporis naturalis organici potestate vitam habentis. — n. 226, 227. *Solvuntur dubia.* — n. 228. *Corollaria:* 1. Reiciuntur definitiones falsae. 2. Anima recte dicitur organismi causa.

n. 229—231. Quaeritur 4°: sitne anima in qualibet parte corporis. — n. 232—234. **Resp.:** Principium vitale exsistit in omni parte integrali corporis organici, quae est primaria. — n. 235. *Solvuntur dubia.* — n. 236. *Scholion:* Quaenam sint partes corporis viventis primariae.

n. 237—244. Quaeritur 5°: qua ratione res corporeae ineant in substantiam vivam. — n. 245. *Resp. 1°:* In nulla re vivente esse potest forma substantialis praeter animam. — n. 246. *Resp. 2°:* Cavillationibus haud levibus exposita est sententia illa, quae tenet elementa, quum intus suscipiantur in organismum vivum, abicere id, quod fuit ipsorum forma substantialis et natura propria, ita ut solum intret in organismum materia absolute prima. — n. 247, 248. *Resp. 3°:* Non absurde dicunt, qui censent elementa omnia materialia, quae ab anima informata sint, omnem realitatem, quam ante informationem habuerint, retinuisse; formas vero elementorum propter internam in organismum vivum susceptionem formae rationem omnino amisisse. — n. 249. *Resp. 4°:* Quum tanta sit huius rei obscuritas, non sunt vitu-

perandi ii, qui sententiam hanc Albertinam tanquam vere probabilem permittunt. — n. 250. *Solvuntur dubia.*

Disputatio altera. De vita vel anima in tribus viventium ordinibus . . . . . pag. 322

n. 251. Prospectus rerum sequentium.

Sectio prima. De natura animae humanae . . . pag. 323—430

n. 252—256. Exponitur doctrina.

§ 1. De animae humanae a materia independentia eiusque simplicitate . . . . . pag. 328

n. 257. Ordo probationis.

n. 258—260. Quaeritur 1°: sitne anima humana substantia in se subsistens, i. e. spiritualis. — n. 261—265. **Resp.:** Anima humana est natura sua independens a corpore, hinc in se subsistens et spiritualis. — n. 266, 267. *Solvuntur dubia.* — n. 268. *Corollaria:* 1. Specialis intellectus impassibilitas. 2. Anima humana est substantia perfecta.

n. 269—270. Quaeritur 2°: sitne anima humana omnino simplex. — n. 271, 272. **Resp.:** Substantia animae humanae caret partibus entitative diversis, atque ita est omnino simplex. — n. 273, 274. *Solvuntur dubia.* — n. 275. *Corollaria:* 1. Anima intellectiva tota est in qualibet parte corporis. 2. Pantheismi absurditas. 3. Animae incorruptibilitas.

§ 2. De unicitate animae in homine . . . . pag. 354

n. 276, 277. Variae hac de re sententiae.

n. 278. Quaeritur: sitne una tantum in homine anima. — n. 279—281. **Resp.:** Una est in homine anima eaque rationalis, quae vitae tum intellectivae tum sensitivae tum vegetativae est principium. — n. 282, 283. *Solvuntur dubia.* — n. 284. *Scholion:* Qua ratione anima rationalis sensitivam et vegetativam contineat.

§ 3. De unitate ex anima et corpore resultante . pag. 367

n. 285. Intimum inter animam et corpus commercium.

n. 286, 287. Quaeritur 1°: quaenam in homine ex anima et corpore resultet unitas. — n. 288, 289. **Resp.:** Ex unione animae et corporis resultat unitas naturae, substantiae, personae. — n. 290. *Solvuntur dubia.* — n. 291. *Scholia:* 1. Error Lockii. 2. Unio hypostatica.

n. 292, 293. Quaeritur 2°: quaenam sit ratio formalis „personae". — n. 294, 295. **Resp.:** Persona non constituitur conscientia, sed recte dicitur esse rationalis naturae substantia individua. — n. 296. *Solvuntur dubia.* — n. 297. *Scholia:* 1. Distinctio inter personam et naturam. 2. Variae „personae" definitiones. 3. Axiomata quaedam. 4. Persona et personalitas.

§ 4. De ipsa unione animae rationalis cum corpore pag. 379

n. 298—301. Opinationes de hac re difficili variae.

n. 302. Quaeritur: qua ratione efficiatur in homine unitas ex anima et corpore. — n. 303—306. **Resp.:** Substantia animae rationalis sive intellectivae vere et per se et essentialiter et immediate exsistit humani corporis forma. — n. 307—309. *Solvuntur dubia.* — n. 310. *Scholia:* 1. Anima

est tota in qualibet parte corporis totalitate entitatis, non vero totalitate virtutis. 2. Quid significetur nomine corporis. 3. Definitio hominis. 4. Quid significetur pronomine „Ego". — n. 311—318. *Corollaria:* Reicitur 1. systema causarum occasionalium. 2. Systema harmoniae praestabilitae. 3. Systema assistentiae Platonicae. 4. Mediatoris plastici. 5. Influxus physici. 6. unionis psychicae. 7. Unionis dynamicae. 8. Systema unionis, quae sit substantialis per accidens. 9. Reicitur forma omnis, quae animae in vivente sit subordinata. 10. Anima corpus aethereum (astrale) non habet. 11. Non est accidens, quod medium sit inter corpus et animam. 12. Reicitur universalis anima ab Averrhoë conficta. 13. Vel ab Alexandro Aphrod. 14. Reicitur praevia animarum humanarum praeexsistentia. 15. Anima humana non est eiusdem speciei atque angelus. 16. Reicitur metempsychosis. 17. Unde oriatur in hominibus inaequalitas perfectionis intellectualis. 18. Animae humanae definitio enucleatior.

§ 5. De animae humanae origine . . . . . pag. 414

n. 319. Error emanatismi. — n. 320 .Sententia Aristotelicorum. — n. 321. Traducianismus. — n. 322. Opinationes aliae.

n. 323. Quaeritur: oriaturne anima humana a Deo per creationem. — n. 324—326. **Resp.:** Anima humana non potest produci a parentibus, neque per traducem sive corporeum sive incorporeum; neque generatione; sed creatur a Deo, cui soli potestas creandi competat. — n. 327—329. *Solvuntur dubia.* — n. 330. *Corollaria:* 1. Falsus creatianismus. 2. Reicitur generatio fissipara. 3. Animae humanae ex se inter se differunt non specifice, sed individualiter. 4. Creantur ab ipso Deo immediate. 5. Ne per miraculum quidem de potentia materiae educi possunt. — n. 331. *Scholia:* 1. Anima eo tempore creatur, quo cum corpore unitur. 2. Opinationes de hoc tempore variae.

Sectio secunda. De natura animae beluinae . . . pag. 431—457

n. 332—335. Exponitur doctrina.

n. 336. Quaeritur 1°: sitne in uno animali una tantum anima. — n. 337—339. **Resp.:** Inest in unoquoque animali anima una tum quoad vitam sensitivam et vegetativam, tum quoad diversas vitae sensitivae functiones et organa. — n. 340. *Solvuntur dubia.*

n. 341. Quaeritur 2°: num anima beluina subsistat in se ipsa. — n. 342, 343. **Resp.:** Anima beluina non est in se subsistens, sed in ipso Esse suo intrinsecus a corpore pendet. — n. 344, 345. *Solvuntur dubia.* — n. 346. *Corollaria:* 1. Anima beluina dici non potest immaterialis vel spiritualis nisi secundum quid. 2. Dici tamen potest esse substantia incompleta et imperfecta. 3. Non potest exsistere extra materiam. 4. Non est immortalis.

n. 347, 348. Quaeritur 3°: sitne anima beluina simplex an composita. — n. 349, 350. **Resp.:** Omnis anima beluina pro natura sua habet simplicitatem sive indivisibilitatem naturalem, sive perfectam sive imperfectam. Neque tamen ulla habet simplicitatem entitativam, i. e. eam, quam habet anima humana. — n. 351. *Solvuntur dubia.* — n. 352. *Scholion:* Sintne partes animae beluinae homogeneae an heterogeneae.

n. 353. Quaeritur 4°: qua ratione oriatur anima beluina. — n. 354 ad 356. **Resp.:** Animae beluinae in ortu uniuscuiusque animalis individui revera oriuntur, non tamen creantur, sed in generatione animalium producuntur sive educuntur a generantibus. — n. 357. *Solvuntur dubia.* — n. 358. *Scholia:* 1. De generatione fissipara. 2. De generatione immediata et mediata.

Sectio tertia. De natura animae plantaris . . . . p. 457—470

n. 359, 360. Exponitur doctrina.

n. 361. Quaeritur 1°: quibus operationibus vita vegetativa contineatur. — n. 362. *Resp.:* Operationes praecipuae vitae vegetativae tres recte sunt distinctae. — *Solvuntur dubia.* — n. 363. *Corollarium:* Tres definitiones: generationis, nutritionis, augmentationis. — n. 364. *Scholia:* 1. Ordo generationis. 2. Ordo inter tres functiones.

n. 365. Quaeritur 2°: num anima plantaris in se sit subsistens. — n. 366. *Resp.:* Anima plantaris non est in se subsistens, i. e. non est a materia, quacum constituit unam substantiam vegetativam, independens quoad Esse. — *Solvuntur dubia.* — *Corollarium:* Absolute repugnat, ne anima plantaris sine materia exsistat.

n. 367. Quaeritur 3°: sitne principium vitale in unaquaque planta unum an multiplex. — n. 368—370. **Resp.:** Principium vegetativae vitae in unaquaque planta actu unum est; sed est divisibile idque ratione subiecti, quod informat. — n. 371. *Solvuntur dubia.* — n. 372. *Scholia:* 1. Origo plantarum. 2. Semina plantaria. 3. Possintne animae multae in unam animam componi.

n. 373. Quaeritur 4°: qua ratione in plantis oriantur principia vitalia. — *Resp:* In plantis saltem est aggeneratio, in perfectioribus etiam generatio proprie dicta. — n. 374. *Solvuntur dubia.*

PROOEMIUM.

1. **Huius tractationis introducitur ratio.** Philosophia omnis duas partes habet, unam theoreticam sive realem, alteram practicam (Log.[1] n. 10. n. 1107); vel ut aliis placet, tribus partibus distinguitur: reali, rationali, morali (Philos. nat.[2] n. 1).

Philosophiam realem antiquitus distinctam habemus in mathematicam, physicam, metaphysicam (Log. n. 1108). Philosophia physica sive naturalis pro obiecto habet res omnes naturales, quaecumque illae sunt. Differt autem haec philosophia ab illa scientia, quam naturalem scientiam simpliciter vocant. Namque haec, quae dicitur „scientia", in perquirendo mundo phaenomenali eiusque perscrutandis legibus haeret; „philosophia" causas altiores quaesitura limites naturae sensibilis, ut sensibilis est, praetergreditur, atque res naturales considerat, ut eae subsunt rationibus metaphysicis (Log. n. 1117). Quapropter haec, quae dicitur philosophia naturalis, a nonnullis „metaphysica applicata" vocata est. Philosophia vero metaphysica (quam ut distinguerent a metaphysica applicata, „metaphysicam puram" nuncupaverunt[3]) in iis perquirendis rebus occupatur, quae naturam sensibilem et hinc etiam omnes nostros sensus per se praetergrediuntur, et propterea „metaphysicae" semper vocatae sunt.

2. **Quo loco psychologia habenda.** Inter philosophiam naturalem et metaphysicam media[4] est psychologia, i. e. scientia de anima (sive de causa interna ultima phaenomenorum vitalium),

[1] Pesch, Institutiones logicales. Frib. 1889—1890.

[2] Pesch, Institutiones philosophiae naturalis. Frib. 1880.

[3] Haec inter metaphysicam puram et applicatam divisio ab iis praecipue celebratur, qui scholae Cartesii et Leibnizii adhaerent.

[4] Erant, qui dicerent ob eam causam psychologiam aequiparandam esse scientiae mathematicae. Ita Simplicius, Themistius. Cfr. Toleti Commentaria in libros de anima, Quaest. prooemiales q. 2.

accipiens sibi priorem sui partem ex philosophia naturali, alteram ex metaphysica.

Reperiuntur enim inter corpora naturalia, quae ab omnibus hominibus, doctis atque indoctis, putantur eo differre ab aliis, quod vivant; sive quia motu spontaneo speciali ratione se movent, sive quia se nutriunt, sive quia res alias cognoscunt. Quae igitur, ut est apud Suaresium, „se ipsa movere per se postulant, ita ut ad illorum perfectionem hoc pertineat, ut tunc censeantur esse in proprio ac perfecto statu, quando actu sunt in connaturali operatione, qua se ipsa movent“ [1].

Arbitrati sunt igitur philosophi res illas naturales, in quibus insit vita et hinc etiam vitae principium sive anima, praeter generalem illam considerationem, quam philosophi naturales de corporibus omnibus naturalibus, sive haec vivunt, sive non vivunt, in sua disciplina instituunt, specialem et diligentissimam quidem attentionem sibi mereri. Contemplantes vero hominem, qui inter corpora viventia in natura est praestantissimum, invenerunt vitae principium, quod esset spirituale, hinc unice metaphysicum. Huius autem animae consideratio, quum considerationi corporum viventium propinquior esse videretur, ab aliis disputationibus, quas „metaphysicas“ inscribunt, separata est et cum disputationibus de anima generatim coniuncta. Atque ita quae est de anima humana tractatio, insequens considerationem corporum viventium, simul cum ista peculiarem illam philosophiae partem constituit, quam psychologiam vocant. Et psychologia duas partes habere debet, unam physicam, quae est de omni corpore vivente, metaphysicam alteram, quae animam humanam pro obiecto habet.

Sicut igitur inter res, quas disciplina metaphysica sibi contemplandas retinet, Deus princeps est, ita inter res psychologicas anima humana eminet. „Philosophiae“, ut est apud S. Augustinum [2], „duplex est quaestio, una de anima nostra, altera de Deo. Prima efficit, ut nos ipsos noverimus, altera, ut originem nostram; illa nobis dulcior, haec carior est; illa nos dignos beata vita, haec beatos reddit.“

3. **Praenotiones historicae** [3]. Universo generi humano a primis initiis persuasum erat, in omni re vivente, praesertim in homine,

[1] L. 1 de anima c. 4, n. 12. [2] L. 2 de ord. c. 18.

[3] Quum scriberemus Institutiones logicales, breviter rationes indicavimus, ob quas Aristotelici sub disciplinae initiis ponere soleant notiones historicas (Log. n. 18).

esse animam a corpore diversam; hanc esse homini forinsecus advenientem et post hominis mortem superstitem [1]. Et animae proprietates addixerunt, quae a proprietatibus corporis omnino diversae essent. Quam rem variis imaginibus et dicendi formulis expresserunt, opinantes animam esse subtilem aëra vel levissimam exhalationem vel adumbratilem quandam hominis imaginem (εἴδωλον) instar umbrae invisibilis [2].

Quum apud Indos iam antiquitus monismus sive pantheismus invaluerit, in philosophia Vedantica anima dicta est esse innata et aeterna et eiusdem substantiae atque Brahma, ita ut animae multae sint apparitiones multae ipsius Dei. Phantasiam, intellectum, facultates reliquas et activitates esse quaedam ipsius animae involucra, quae sola obnoxia essent nativitati, morti, gaudiis, infortuniis. Eam duplici corpore circumdatam esse, uno visibili, altero invisibili et subtilissimo [3].

In philosophia Sankija duo primitiva et increata principia ponuntur: natura et anima, ex quibus deducantur conscientia, sensualitas, corporeitas [4].

Et ex systemate Kapilae quidem principium supremum est intelligentia. quod initia sua capiat in multitudine, desinat vero in Nirvana. Animam, quae in se sit immutabilis, in nativitate cum natura coniungi. Naturam esse principium executionis mechanicae, animam principium directionis teleologicae. Animam ex se tendere in Nirvanae beatitudinem; ob eam rem coniunctionem animae et naturae violentam esse. Natura saltatrici comparatur, quae importune sese oggerat animae. Verum mox et anima satiata est atque etiam natura; et tum inter se dimittunt.

In his igitur systematis, sicut etiam in philosophia Bhagavad-Gita, firma doctrina est, animam hominis immutabilem esse, et corpore priorem.

Et est etiam systema Charvaka, in quo negatur, animam esse substantiam a materia corporis diversam.

---

[1] Hebraeis haec doctrina confirmabatur ex revelatione divina. Cfr. F. A. Carus, Geschichte der Psychologie der Hebräer. Leipzig 1809. Delitzsch, System der bibl. Psychologie. Leipzig 1861.

[2] Tylor, Anfänge der Cultur (Leipzig 1873) p. 422. Siebeck, Geschichte der Psychologie I (Gotha 1880), 1, p. 4.

[3] Cfr. Ambertkend, i. e. fons aquae vivae (Mém. de l'Acad. des inscript. 45, p. 565 sqq.), et Neve Admabodha, cognitio spiritus (Journ. asiatique IX [Par. 1867], 5—96). „He-Brahme is the soul and the soul is he" (Colebrooke, Essays I, 351).

[4] Colebrooke l. c. I, 242 sq. 351.

Neque desunt in philosophia indica, quae ex graeca hausta esse videntur.

4. Quae leguntur apud Homerum [1] aliosve veteres Graecos, vix ab iis diversa sunt, quae apud barbaras nationes de natura animae prolata sunt [2]. In hoc differunt opinationes graecae antiquissimae ab indicis, quod potiores partes non animae secundum se consideratae tribuuntur, sed unioni animae cum corpore vel ipsi corpori.

Apud eos, qui post Homerum floruerunt, quos Orphicos vocant, anima humana dicitur esse particula aurae divinae, quae ab elementis corporeis prorsus aliena fit, et corpori forinsecus (ἔξωθεν) adveniat. Corpus animae ergastulum sive sepulcrum esse. Post mortem animam poenis vel praemiis affici, prout homo his in terris mala egerit vel bona [3]. Neque raro incidit mentio metempsychosis sive transmigrationis animae per diversa corpora [4].

5. Ab his placitis vix differt doctrina Pythagoreorum. Quorum aliqui animam comparaverunt minutis illis corpusculis, quae in lumine solis oculis apparerent; alii eam dixerunt harmoniae principium, alii numerum moventem se ipsum (ἀριθμὸν αὐτοκίνητον); alii animam esse effluvium animae mundanae sunt suspicati [5].

A Pythagoreis Alcmaeon medicus didicisse videtur, animae facultatem movendi se ipsam tribuendam esse. Animam is posuit in cerebro; eam non solum sensationis, sed etiam intellectionis principium esse dixit; sensationem reperiri etiam in beluis, intellectionem solius hominis propriam esse; sensationem esse functionem organi, intellectionem solius animae.

Etiam de theoria sensationis et cognitionis permulta a medicis et philosophis illius temporis prolata sunt, de quibus nobis suis locis, quantum oportet, dicendum erit.

De sede animae admodum diversae erant doctorum virorum opinationes. Aliquos dixisse legimus animam cum sanguine per totum corpus vivum diffu-

[1] Ilias I, 562. 593; II, 36. 223; III, 9; VI, 61; VIII, 202. 413; IX, 312; XIII, 654; XV, 280; XVI, 469. 505. 606. Odyss. VIII, 149; XIV, 197; XVII, 284, et locis aliis.

[2] Nägelsbach, Homerische Theologie (1840) p. 331 sqq. Grotemeyer, Homers Grundansicht von der Seele. Warendorf 1854. Siebeck l. c. p. 16.

[3] De hoc discrimine iam Hom., Odyss. IV, 563; XI, 565 sqq.

[4] Zeller, Geschichte der Griechen I (ed. 3), 56 sqq.

[5] Siebeck l. c. p. 66.

sam esse, alios in corde aut cordis spiritu, alios in toto pectore, alios in arteriis, alios in sinistro cordis sinu, alios in capite, alios in ventriculo cerebri, alios in sola cerebri membrana, quae *περικράνιον* est dicta, alios in intermedio superciliorum.

Neque deerant illo tempore, qui multas animae partes in diversis corporis partibus esse putarent. Ita apud Pythagoreos de anima quadruplici dicebatur, de natura genitrice, de nutritiva, sensitiva, rationali. Rationalis ponebatur in capite. Etiam Hippokratem intelligentem partem in capite potissimum collocavisse dicunt; eum ideo semper velato vel pileato capite incessisse ferunt, quod necesse esset hanc principem animae sedem probe munitam et contectam esse.

Sophistae, inter quos Protagoras praecipuus, quum multa de natura cognitionis dicerent (Log. n. 27), in naturam animae vix inquisierunt.

Socrates, quum totam suam curam in eo collocasset, ut doceret, quomodo recte cogitandum et recte agendum esset, animos philosophantium maximopere instigavit, ut in perscrutanda natura animae humanae omni diligentia incumberent.

6. Plato eorum opinationem secutus est, qui toti mundo unam animam inesse putaverunt. Inde fieri docet, ut mundus sit imago „ideae boni" habeatque vitam et harmoniam et motum. Animae universali inesse animas particulares. Et ubicunque sit harmonia et motus sui ipsius, ibi esse vitam et animas; quam ob rem etiam astra animata esse. Omni animae id proprium esse, ut sit incorporea, simplex, insensibilis, a corpore non pendens. Propter harmoniam autem universi necessarium esse putat, ut sit scala in rebus viventibus.

Primum in hac singularum rerum viventium scala tenet locum anima humana, de cuius natura multa profert Plato. Sicut in eventu omni, facta distinctione inter tendentiam finalem et executionem mechanicam, praeponit ideam vel finem, ita animae humanae id imprimis tribuit, ut sit principium tendentiae ethicae. Animam dicit esse illud in homine, quo cognoscatur et appetatur optimum et vitetur malum[1].

Scimus secundum Platonis sententiam obiectum proprium cognitionis humanae esse ideas (Log. n. 707 sqq.) et praecipue ideam boni, unde oriatur sciendi cupiditas et amor earum rerum, in quibus verum resplendeat. Intuitionem puram idearum vehementer impediri sensationibus; ex quo concludit coniunctionem

[1] *Ψυχῆς οὖν ἀνθρώπῳ κτῆμα οὐκ ἔστιν εὐφυέστερον εἰς τὸ φυγεῖν μὲν τὸ κακόν, ἰχνεῦσαι δὲ καὶ ἑλεῖν τὸ πάντων ἄριστον* (Plat., Legg. 5, 728 C).

animae et corporis violentam esse et naturae animae adversam[1]. Verum non omnino abest a Platonis sententia id, quod postea aperte docuit Aristoteles, magnae utilitati esse animae, ut corpori per tempus coniuncta sit[2]. Sed passim docet Plato animam humanam propter culpam aliquam ex sphaera superiore excidisse et in corpus tamquam in carcerem lapsam esse. Omnem his in terris scientiae acquisitionem reminiscentiam esse earum rerum, quas ante clare sciverit (Log. n. 1039). Multis rationibus conatur Plato ostendere animam humanam immortalem esse.

Et docuit quidem Plato, animam humanam ex se tantum intellectivam esse. Quia tamen anima esset in corpore, duas partes (μέρη) vel species (εἴδη) ipsi accrevisse, partem irascibilem et partem concupiscibilem. Animam, quae inesset in plantis, concupiscibilem tantum esse; in bestiis quae inesset anima, esse concupiscibilem et irascibilem. Ipsam animam rationalem esse in capite, partem irascibilem residere in pectore, concupiscibilem in partibus corporis inferioribus.

Id igitur inter placita philosophiae Platonicae praecipuum est, animam humanam esse substantiam perfectam, immaterialem sive spiritualem, quae a conditionibus materialibus non pendeat nisi extrinsecus; cuius primus finis is sit, ut recte cogitando atque agendo sibi beatitudinem amissam iterum adipiscatur.

7. Quum igitur iam ante Aristotelem magno veteres philosophi opere multa de natura rerum ad psychologiam pertinentium dixissent, primus Aristoteles in libris *Περὶ ψυχῆς* maiore scientiae apparatu completam ex ordine doctrinam de anima proposuit[3].

[1] Phaedr. 246 C; 248 C. [2] Tim. 41 D sqq.

[3] Themistius, praeclarus ille Aristotelis commentator: „Quum pleraque Aristotelis scripta", inquit, „eiusmodi habeantur, ut demirari praestantiam eius facile suppetat: nulla profecto commentatio est, in qua ille perinde ingenii sui vim et sublimitatem ostenderit atque in ea, quae animae rationem continet; sive enim multitudinem quaestionum, sive copiam rerum pulcherrimarum, sive doctrinae subtilitatem quaeras, eiusmodi sunt libri de anima, ut uni illi homini omnia, quae ad hoc genus pertinent, in numerato fuisse constitisseque videantur." Et Siebeck: „Noch niemals wieder ist von einem Einzelnen die Psychologie von sporadischen Anfängen aus auf eine solche Höhe systematisch-wissenschaftlicher Ausbildung hinangeführt worden, wie Aristoteles dies mit den Mitteln seiner Zeit vollbracht hat. Alles fast, was wir heute für diese Wissenschaft an Ansprüchen erheben, hat er zu derselben in Betracht gezogen, die speculativen und erkenntnisstheoretischen Fragen so gut, wie die einschlagenden Seiten der empirischen Forschung in Anatomie und Physiologie,

Et in libro primo quidem vanos et mancos conatus eorum, qui antecesserunt, enumerat; in secundo suam de natura animae sententiam explicat, primo dicens de anima generatim, deinde de anima vegetativa et sensitiva earumque potentiis; in libro tertio exordiens a consideratione sensuum copiosius disputat de anima intellectiva.

Et hunc posuit psychologiae titulum, quia anima in corpore vivente esset vitae principium, ex quo illa specialis agendi et essendi ratio oreretur, quae in rebus viventibus animadvertitur.

His libris Stagirita addidit tractationes, quae posteriore tempore „Parva naturalia" vocata sunt. In his reperies „De sensu et sensibili", „De memoria et reminiscentia", „De somno et vigilia", „De insomniis", „De divinatione per somnium", „De longitudine et brevitate vitae", „De iuventute et senectute", „De vita et morte".

Doctrinam ipsam quod spectat, plurima ex placitis Platonis Aristoteles retinuit. Quum autem esset perspicax eventuum et rerum naturalium scrutator, mundum idealem Platonis cum mundo materiali, qui experientiae nostrae sensili subiacet, coniungere studuit, recte arbitrans, rerum ipsarum cognitionem, quae esset vera, ex consideratis rebus ipsis nasci debere.

Et facili negotio detexit Aristoteles coniunctionem animae humanae cum corpore, etsi efficeret quaedam pro vita intellectuali incommoda atque impedimenta, nihilo tamen secius non violentam esse, sed naturalem et ad salutem animae accommodatam. Hominem esse unam substantiam docet, quae constet ex anima tamquam actu sive forma et corpore tamquam potentia sive materia (Phil. nat. n. 148 sqq.)[1].

Hominem dicit non esse animam utentem corpore, sed unum animal rationale. Non animam id esse, quod cogitet, discat, sentiat, sed hominem propter animam[2].

---

in Beobachtung der Bewusstseinsvorgänge, in Vergleichung des menschlichen Seelenlebens mit dem der Thiere, des individuellen mit dem der gesellschaftlichen Klassen, sowie dem der Völker" (l. c. 2, p. 113).

[1] Recte Siebeck: „Mit dieser Bestimmung ist das lange gesuchte Wort des Räthsels gefunden. Nach ihm suchte in der That schon Plato, wenn er die Seele nicht als Idee fasste, wohl aber als Princip des Lebens für die Erscheinungswelt... Aristoteles findet das Wort, indem er auf Grund seiner feinsinnigen empirischen Beobachtung die Thatsache des organischen Lebens, des beseelten Leibes als ein Problem für sich erfasste, und den für ihn zuerst deutlich ins wissenschaftliche Bewusstsein getretenen Unterschied von Potenz und Actus darauf anwandte" (l. c. 1, p. 13).

[2] *Βέλτιον γὰρ ἴσως μὴ λέγειν τὴν ψυχὴν ἐλεεῖν ἢ μανθάνειν ἢ διανοεῖσθαι, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον τῇ ψυχῇ* (De an. l. 1, c. 4, 406 b 13 sqq.).

Animam unam esse in homine vitae triplicis principium, vegetantis sive nutrientis, sentientis, rationalis.

Omnia phaenomena vitalia reducit ad partes sive species quattuor (*θρεπτικόν; αἰσθητικόν* et *φανταστικόν; ὀρεκτικόν* et *κινητικὸν κατὰ τόπον; διανοητικόν*)[1].

Quae Plato de facultatibus sive potentiis animae ambigue atque obscure indicaverat, ea ab Aristotele maxima cum accuratione explicata sunt, ita ut ipse dicatur merito esse auctor illius theoriae, quam „potentiarum" vocant.

In hoc Stagirita antiquiores philosophos secutus est, quod calori, aëri calido, spiritibus (*πνεύματι*) in processibus vitalibus magnas partes tribuerit[2]; voce spirituum significans materiam quandam subtilissimam et imponderabilem, quae esset subiectum caloris vitalis, et de cetero esset incognita.

8. Haec de Aristotele. Reperiuntur etiam inter Graecos, qui negantes animam esse substantiam, quae a materia corporis diversa sit, apertum materialismum professi sint. Inter hos eminent Leucippus et Democritus, qui animam ex atomis subtilissimis et admodum mobilibus compositam esse dixerunt[3]; quam doctrinam posteriore tempore Epicurus amplexus est[4]. Materialismum hunc latino carmine celebravit Titus Lucretius Carus (99—55 a. Ch. n.).

Alii in pantheismum lapsi sunt, inter quos praecipue Stoici[5] et Neoplatonici.

9. Ea, quae ab Aristotele de anima sunt praecepta, non solum a Graecis, sed etiam ab arabibus atque a christianis medii aevi scriptoribus magnopere celebrata sunt, qui copiosos de libris Aristotelicis commentarios in lucem ediderunt.

Vestigia magistri magna cum reverentia presserunt Eudemus et Themistius. Neque tamen pauci ex Aristotelicis substantialitatem animae nimis minuerunt, hanc affirmantes nihil esse praeter affectionem accidentalem corporis. Alii contra substantialitatem animae sive spiritualitatem nimis exaggeraverunt, qui relapsi in opinationes Platonicas docuerunt animam humanam non solum esse substantiam perfectam, sed etiam completam, quae ut puniretur in corpore inclusa esset[6].

[1] L. 2 de an. c. 2, 414 a; l. 3, c. 9, 432 a. 24.

[2] Siebeck l. c. 2, p. 137. [3] Cfr. Zeller l. c. I, 735.

[4] Ibid. III, 1, p. 400.

[5] Cfr. Plutarch., De placitis philos. l. 4, c. 8 et 21. Lipsius, Manuductio ad philosophiam stoicam.

[6] Turpiter errant illi, qui reprehendunt christianos medii aevi philosophos,

10. Inter ss. Patres Ecclesiae optime de natura animae praeceperunt S. Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, S. Basilius. Nemesius librum scripsit „de natura hominis“; S. Gregorius Nyssenus librum composuit „de anima“. Neque liber, quem de anima scripsit Tertullianus, silentio premendus est, ex quo nonnulla suo loco reprehendenda erunt. Sed inter omnes excelluit S. Augustinus, qui praeclare docuit multa in libris „de libero arbitrio“; „de Genesi ad litteram“, „de Trinitate“, „de quantitate animae“, „de immortalitate animae“, aliis [1].

Inter medii aevi philosophos Hugo a S. Victore in variis suis scriptis multa disseruit, quae ad psychologiam spectant. Quibus de rebus plura etiam scripsit Guilelmus Avernus (in libris „de universo“, „de anima“, „de animae immortalitate“ „de veritate“). Exstat quoque praeclarus „liber de spiritu et anima“.

Praeterea notum est, quantopere B. Albertus Magnus, Alexander Halensis, S. Thomas Aquinas, Duns Scotus, omnesque praeclari nominis scholastici per omnia sua opera laboraverint in rebus ad vitam animamque pertinentibus enucleatius proponendis. Quorum omnium nomina enumerare longum est.

11. Recentiore aetate post omissam et contemptam philosophiam Aristotelicam permulti ex christianis philosophis ad exaggeratum spiritualismum concesserunt, arbitrantes animam humanam esse substantiam in se completam, quae esset in corpore tamquam in substantia altera. Qui igitur ad sententiam Platonis relapsi sunt, aliquid tamen modificatam. In quorum numero sunt Cartesius, Malebranche, Leibnizius, Newton, Clarke, Leclerk, Euler, Chr. Wolff, de quorum systematis suis locis nobis disputandum erit [2].

---

quod a doctrina Aristotelica desciverint relapsi in dualismum Platonicum. Inter hos Siebeck, qui de Aquinate dicens haec profert: „Den fruchtbarsten und bedeutungsvollsten Gesichtspunkt des Aristoteles hat man mehr und mehr aus den Augen verloren; man ist schliesslich sogar von dem eigentlichen und charakteristischen Princip desselben wieder rückwärts gekommen zu der naturwüchsigen dualistischen Vorstellung vom menschlichen Wesen, also gerade zu derjenigen, welcher Aristoteles zum ersten Male mit begrifflicher Klarheit und Entschiedenheit eine neue und tiefere gegenüber stellte“ (l. c. 1, p. 472).

[1] Cfr. Siebeck l. c. 2, p. 381 sq.

[2] Praeter hos de rebus ad psychologiam spectantibus scripserunt: Thomas Reid (1710—1796. Inquiry into the human Mind on the Principles of common Sense, 1763; Essays on the Powers of the human Mind, 1785 et 1788),

12. Kant, quum decrevisset non substantias, sed operationes dumtaxat et facultates a nobis cognosci posse, psychologiae esse dixit, ut nos de operationibus et facultatibus animae doceret. Et recte quidem praecepit in psychologia non solum ad cognitionis negotium attendendum esse, sed etiam ad modos appetendi atque operandi [1]. Negavit autem psychologiae naturam scientiae competere eo, quod ipsi mathesis applicari non posset [2].

Ipsam animam Kant inter tria illa idealia (Deus, mundus, anima) relegavit, quae cogitare quidem sive fingere debeamus, neque tamen ratione theoretica cognoscere possimus.

13. Praeter Kant in philosophia multi sunt, qui animam, quatenus a nobis cognoscatur, accidentibus constitui velint; inter quos aliqui de ipsa animae essentia nobis dubia tantum et incerta praesto esse volunt; alii ad pantheismum progressi sunt, alii in materialismum lapsi. Aliqui dicunt, id quod a nobis de anima certo cognoscatur, esse affectionum sive sensationum congeriem (Locke, Hume, Condillac); alii, esse accidens quoddam psychicum; alii, esse actualitates solas nexu causali inter se cohaerentes (Guil. Wundt): alii eam constitui dicunt fasciculis habilitatum usu et doctrina (praecipue in schola) acquisitarum (Benecke).

14. A Leibnizio quibusdam dicendi formulis introducta est illa opinatio, qua potentiae animae omnes reducendae esse putantur ad potentiam unam fundamentalem, quae sit quaedam repraesentatio; cuius quidem potentiae fundamentalis potentiae reliquae sint modificationes. Hanc omnium phaenomenorum ad repraesentationes reductionem magno scientiae vel potius phantasiae labore posteriore tempore excoluit Herbart.

Ioh. Frid. Herbart (1776—1841) a multis laudatur, quod primus psychologiam ad veri nominis scientiam reduxerit eo, quod ea, quae reperiantur in vita psychica, omnia computis mathematicis subdiderit [3]. Is quum omnia in „realia“ resolverit (Log.

Bossuet (Connaissance de Dieu et soi-même), Bautain (L'esprit humain et ses facultés, 2 vol.), Garnier (Traité des facultés de l'âme, 3 vol.), Dugald-Steward (Philosophie de l'esprit humain, 3 vol.) aliique multi.

[1] „Das Denken und Erkennen ist nicht das Wesen des Geistes, sondern das Handeln und das Wollen.“

[2] Metaphysische Anfangsgründe der Naturw., Vorrede.

[3] Opus Herbartii praecipuum: Psychologie als Wissenschaft, neu gegründet auf Erfahrung. Metaphysik und Mathematik (1824). Antea scripserat: Hauptpunkte der Metaphysik (1808); Psychologische Bemerkungen zur Ton-

n. 1696), quidquid efficeretur in homine, nomine „repraesentationum“ insignivit. Atque de harum repraesentationum apparitione, coniunctione, inhibitione, discessu ingeniosa somnia protulit variasque quoad res psychicas posuit leges staticas et mechanicas. Id igitur sibi proprium habet Herbart, quod spreta doctrina de substantia, potentiis, actibus in unoquoque ente vivente sola realia admiserit tamquam substantias multas.

15. Plurimos hac nostra aetate reperies, qui apertis verbis obiectum psychologiae restringant ad phaenomena psychica; qui quum praecepta empirismi accurate sectentur, conceptum substantiae in psychologia perhorrescunt. Hi psychologiam volunt, sed sine anima; eamque definiunt cognitionem phaenomenorum psychicorum. Psychica ea vocant, quae cognitionem vel sensum continent, vel quae cum his quoad appetitum et motum localem proxime cohaerent. Alii haec psychica considerant ut actiones subiectivas, alii ut obiecta nobis interna. Haec phaenomena in elementa, quibus constituantur, per analysim resolvi volunt atque conantur declarare, qua ratione ex elementis psychicis iterum phaenomena ista effici possint. Leges etiam inquirunt, quibus phaenomena ista inter se cohaereant, efficiant, impediant[1]. Quorum permulti negant psychologiam specialem scientiam esse, sed

---

lehre (1811); Psychologische Untersuchungen über die Stärke einer gegebenen Vorstellung, als Function ihrer Dauer betrachtet (1812); Ueber die dunkle Seite der Pädagogik (1816); Ueber die Möglichkeit und Nothwendigkeit, Mathematik auf Psychologie anzuwenden (1820); De attentionis mensura causisque primariis (1821).

[1] In exemplum proferatur H. Münsterberg: „Die engere Aufgabe der Psychologie ist die Zerlegung des individuellen Bewusstseinsinhaltes in seine Elemente, d. h. in seine nicht weiter zerlegbaren Bestandtheile; dann die Aufsuchung von Regeln für die Verbindung dieser psychischen Elemente, und schliesslich die Darstellung des einzelnen auf diese Weise aus den Elementen sich bildenden complexen Inhaltes bis hinauf zu jener Gesamtheit der Einzelverbindungen, die uns als Inhalt unserer eigenen Persönlichkeit gegeben ist.“ „Die erweiterte Aufgabe der Psychologie besteht darin, die Gesamtheit der Bewusstseinsinhalte in ihre Elemente zu zerlegen, die Verbindungsgesetze und einzelnen Verbindungen dieser Elemente festzustellen, und für jeden elementaren psychischen Inhalt die begleitende physiologische Erregung aufzusuchen, um aus der causalverständlichen Coexistenz und Succession jener physiologischen Erregungen die rein psychologisch nicht erklärbaren Verbindungsgesetze und Verbindungen der einzelnen psychischen Inhalte mittelbar zu erklären“ (Ueber Aufgabe und Methode der Psychologie [Leipzig 1891] p. 103. 127). Alii paullo aliter.

eam dicunt esse scientiam comparativam ex anatomia, physiologia, ethnographia, linguistica, physiognomica, statistica, zoologia, reliquis disciplinis efflorescentem.

Atque ita effectum est, ut psychologia a multis iam nullo modo tractata sit ut pars philosophiae, sed ut disciplina pertinens ad scientiam naturalem [1].

16. Id ipsum, quod Herbart efficere conatus est in rebus fictis, Theodorus Fechner (1801—1887) potiore iure applicavit ad res experientiae et observationi obvias. Qui finem psychologiae praecipuum definivit, ut inquireretur lex mathematica, qua affectiones psychicae cohaererent cum eventibus physicis [2].

17. Breviter de psychologis ad pantheismum propendentibus dicendum est. Quum Cartesius essentiam animae in actuali cogitatione collocasset, Spinoza substantiam entis absoluti huic cogitationi subdidit, docens animam esse accidens vel modum illius unius substantiae.

Fichte, Schelling, Hegel aliique, quos transcendentales vocant, totam animae vitam dixerunt esse apparitionem vel evolutionem unius Entis absoluti sive spiritus [3]. Qui psychologiam definiunt esse historiam evolutionis spiritus.

---

[1] Hoc modo libros scripserunt: I. H. Fichte (Anthropologie, Lehre von der menschlichen Seele, neubegründet auf naturwissenschaftlichem Wege. Ed. 3 1876), M. W. Drobisch (Empirische Psychologie nach naturwissenschaftlicher Methode. 1842; Erste Grundlage der mathematischen Psychologie. 1850), Theodor Waiz (Lehrbuch der Psychologie als Naturwissenschaft. 1849), W. F. Volkmann (Grundriss der Psychologie oder Lehrbuch der Psychologie vom Standpunkte des philosophischen Realismus und nach genetischer Methode. Ed. 3. Coethen 1885), I. W. Nohlowsky (Das Gefühlsleben. Ed. 2 1884), C. S. Cornelius (Zur Theorie der Wechselwirkung zwischen Leib und Seele. Halle 1880), G. Schilling (Lehrbuch der Psychologie. 1851; Grundansichten über das Wesen der Seele. 1863), Hirzel (Grundzüge der Psychologie. Ed. 4 1889), Rob. Zimmermann (Philos. Propädeutik. Ed. 3 1867).

[2] Elemente der Psychophysik. Ed. 2. Leipzig 1889; In Sachen der Psychophysik. Leipzig 1877 et 1882. Zweck der Psychologie: „Feststellung des Masses der psychischen Grössen und der Gesetze, nach denen Leib und Seele zusammenhängen."

[3] „Die dialektischen Productionen und Begriffe sind Entwicklungsstufen des Geistes, von denen die höhern die niedern in sich aufgehoben enthalten." Mirabilia plane ab his hominibus eorumque discipulis sunt dicta vel potius ficta per phantasiam, quibus in nulla scientiae disciplina locus esse potest: velut quum definit Troxler (Schellingii discipulus): „Der innerste, eigentliche Process des Lebens wird gebildet durch den absoluten Urtraum, aus

Pantheistis vel monistis recte annumeraveris Herm. Lotze [1], Theod. Fechner [2], Guil. Wundt [3].

18. Neque desunt inter eos, qui de rebus psychologicis scripserunt, qui aperte Democritum, Epicurum secuti sint. Inter hos in Anglia Thomas Hobbes, Hartley (1704), C. Darwin [4], H. Spencer, sunt praecipui. In Gallia floruerunt de la Mettrie [5], Helvetius [6], qui docuerunt, hominem nihil esse nisi machinam. Deinde Dit. de Holbach [7]. His accedunt Lagrange, Cabanis, alii.

In Germania recentioris materialismi exordia posuit Lud. Feuerbach, qui e schola Hegeliana egressus loco ideae sese evolventis posuit materiam perpetuis mutationibus obnoxiam [8]. Hunc

---

welchem sich Wachen als Traum der Seele und Schlaf als Traum des Leibes differenziren."

[1] Allgemeine Pathologie und Therapie der mechanischen Naturwissenschaften. 1842; Allgemeine Physiologie des körperlichen Lebens. 1851; Medicinische Psychologie oder Physiologie der Seele. 1859; Mikrokosmos. 1884.

[2] Nanna oder Ueber das Seelenleben der Pflanzen. 1848; Zendavesta oder Ueber die Dinge des Himmels und des Jenseits. 1851; Ueber die Seelenfrage, ein Gang durch die sichtbare Welt, um die unsichtbare zu finden. 1861.

[3] Scripsit: Vorlesungen über die Menschen- und Thierseele. Ed. 2 1892; Grundzüge der physiologischen Psychologie. Ed. 4 1892; alia. Eius doctrina his paucis comprehendi potest: „Das Bewusstsein mit seinen mannigfaltigen und doch in durchgängiger Verbindung stehenden Zuständen ist für unsere innere Auffassung eine ähnliche Einheit, wie für die äussere der leibliche Organismus, und da Physisches und Psychisches in durchgängiger Wechselbeziehung stehen, so ist Seele das innere Sein der nämlichen Einheit, die wir äusserlich als den zu ihr gehörigen Leib anschauen, und zwar ist das geistige Sein die Wirklichkeit der in Entwicklung begriffenen Dinge. Das menschliche Bewusstsein ist die Spitze dieser Entwicklung; es bildet den Knotenpunkt im Naturlauf, in welchem die Welt sich auf sich selbst besinnt. Die menschliche Seele ist das Erzeugniss zahlloser Elemente; nicht Substanz, sondern Actualität."

[4] Darwin primo tempore in theismo haesit; postea in materialismum lapsus est; circa finem vitae suae agnosticismum sive empirismum confessus est.

[5] Scripsit is: Histoire naturelle de l'âme. 1745; L'homme machine. 1748; L'homme plante. 1748; L'art de jouir ou L'école de la volupté; Vénus métaphysique ou Essai sur l'origine de l'âme humaine. 1751.

[6] Scripsit: De l'esprit. 1758; De l'homme, de ses facultés et de son éducation. 1772.

[7] Is placita materialismi explanavit in libro: Système de la nature. 1770.

[8] Dicit is: „Der Zweck meiner Schriften ist, die Menschen aus Theologen zu Anthropologen, aus Theophilen zu Philanthropen, aus Candidaten des Jenseits zu Studenten des Diesseits, aus religiösen und politischen Kammerdienern der himmlischen und irdischen Monarchie und Aristokratie zu freien, selbstbewussten Bürgern der Erde zu machen" (Vorlesungen über das Wesen der

secuti sunt C. Vogt[1], Iac. Moleschott[2], Lud. Büchner[3], Christ. Wiener[4], Th. Meynert[5], sescenti alii.

Sed silentio premere non licet Ern. Haeckel, qui inter eos eminet, qui Darwini materialismum in Germania propagaverunt[6]. Darwinistae psychologiae id muneris esse volunt, ut declaretur, per quam viam psychica phaenomena omnia, quum sint nihil nisi speciales materiae modificationes, ex phaenomenis simplicissimis sola adaptatione mechanica paullatim orta sint.

19. **Psychologiae notio et definitio.** Nomen psychologiae primum exeunte saeculo XVI legitur in libro Casmanni: „Psychologia anthropologica“[7]. Quae vox ad exemplum vocabuli „theologiae“, quod a Platonis tempore apud philosophos in usu fuit,

Religion [1851]. Opp. VIII. 29). „Wirklich ist nur die Natur, die im Menschen gipfelt, und im Menschen selbst wieder nur das Sinnliche.“ „Der Geist im Menschen ist nur die Allgemeinheit der Sinne“ (II, 321 sqq.). „Das Geheimniss des Lebens ist die Sinnlichkeit.“ „Die Basis der Sittlichkeit ist der Geschlechtsunterschied.“

[1] Is inter alia opuscula scripsit: Köhlerglaube und Wissenschaft. 1854.

[2] Kreislauf des Lebens. Ed. 5 1887. „Einer der grössten Fortschritte des Jahrhunderts ist es, dass man die rein stoffliche Natur aller Lebensvorgänge bis zu den höchsten hinauf erkannt hat und auf die geheimnissvolle Kraft, Seele genannt, keinen Werth mehr legt“ (I, 145). „Stoffliche Bewegungen, die in den Nerven mit elektrischen Strömen verbunden sind, werden im Gehirn als Empfindungen wahrgenommen, und diese Empfindung ist Selbstgefühl, Bewusstsein“ (II, 443).

[3] Kraft und Stoff. Ed. 16 1888; Natur und Geist. 1857; Das goldene Zeitalter. Ed. 2 1891; alia.

[4] Grundzüge der Weltordnung. 1857.

[5] Meynert a H. Czolbe (Neue Darstellung des Sensualismus) didicit: „Das Bewusstsein dürfte wohl nichts anderes sein, als eine zu ihrem Ausgangspunkte zurückkehrende Bewegung der Materie, und das Gehirn scheint so beschaffen zu sein, dass in ihm eine solche Bewegung zu stande kommen kann.“

[6] Generelle Morphologie. 1866; Natürliche Schöpfungsgeschichte. 1868. Ed. 8 1889; Anthropogenie. 1874. Ed. 4 1891; alia. Eius placita psychologica paucis comprehendi possunt: „Urzeugung und (phylogenetische) Entwicklung sind wissenschaftlich bewiesen.“ „Kraft (Geist) und Stoff sind die ursprünglichen Principien alles Seienden.“ „Seele und mechanische Bewegung sind dasselbe.“ „Alle Materie ist beseelt.“ „Es gibt Plastidulseelen, Atomseelen etc.“ „Die Menschenseele, welche nur die Summe aller Functionen der Nervenzellen ist, hat sich geschichtlich aus der Affenseele differenzirt.“

[7] Hannov. (ed Francof.) 1594. Casmannus nomen istud a Goclenio magistro suo accepisse videtur, qui opusculo suo, varias de animae origine sententias continenti, inscripserat titulum: *Ψυχολογία*, hoc est de hominis perfectione, animo et imprimis ortu huius Commentationes variorum . . . Marpurgi 1590.

composita est; et accommodate significat eam scientiam, quae est de anima [1].

Casmannus idem primus fuit, qui scientiae, quae est de homine, nomen „anthropologiae" dedit, quam in „psychologiam" sive scientiam, quae sit de anima, et „somatologiam" sive scientiam, quae sit de corpore, divisit; et somatologia iterum dividebatur in anatomiam et physiologiam. Quae divisio in psychologiam, anatomiam sive morphologiam, physiologiam a nonnullis recentioribus applicatur omnibus viventibus corporeis: plantis, animalibus, hominibus; qui universum tractatum de rebus viventibus speciali nomine „biologiam" vocant, ita ut in biologia tractandum sit, quidquid ad vitam sive viventia spectat [2].

Definiri solet psychologia, ut sit id, quod nomine exprimitur: scientia de anima.

In qua definitione ponitur, animam „esse primum principium in his, quae apud nos vivant" [3], sive in omnibus viventibus corporeis. In omnibus enim, quae putantur vivere, sine dubio arbitrandum est inesse ultimam sive primam aliquam rationem, unde vitae causa petenda sit. Hanc rationem „animam" nominamus, nihil hoc loco affirmantes de huius principii natura vel substantialitate. Et de hac natura animae in psychologia inquirendum erit.

Psychologia etiam definiri potest enucleatius, ut sit scientia, quae ab operationibus vitalibus viventium corporeorum [4] notis ad naturam sive essentiam primi earum principii interni, quod anima appellari solet, detegendam et declarandam analytice progreditur; et ex natura sive essentia animae detecta et declarata ad declarandum melius operationes vitales synthetice iterum regreditur.

---

[1] Angli haud raro psychologiam vocant „mental philosophy", „mental science", „intellectual philosophy", „philosophy of human mind".

[2] Sed alii biologiam coartant ad considerandam vitam secundam, sive phaenomena tantum vitalia eorumque conditiones sive internas sive externas. Neque desunt, qui in biologia considerari volunt phaenomena vitae vegetativae dumtaxat; scimus enim etiam in aliis rebus nomen generis haud raro adhiberi ad significandam speciem generis infimam. Sunt quoque, qui voce biologiae significent doctrinam, quae agat de conditionibus ad vivendum necessariis.

[3] S. Thomas, S. th. 1, q. 75, a. 1.

[4] Reperies inter recentiores, qui solum hominem ad psychologiam pertinere velint praetermissis beluis atque plantis. De quibus recte Volkmann: „Dadurch, dass die Psychologie sich auf das menschliche Vorstellungsleben beschränkt, entschlägt sie sich willkürlich eines Hilfsmittels, welches sich in den Naturwissenschaften der Gegenwart so glänzend bewährt hat: der Vergleichung. Burdachs comparative Psychologie (Leipzig 1842) hätte in dieser Beziehung von grösserer Bedeutung werden können, wenn sie sich wirklich auf den Boden der Vergleichung gestellt hätte. In neuerer Zeit hat K. G. Carus

De animae definitione haec hoc loco indicasse satis est. Anima primum dicitur vitae principium (Log. n. 1571), ut eam esse id significetur, ex quo intrinsecus ultimo potentiae omnes et operationes vitales corporis viventis proficiscantur. Dicitur vero esse principium vitae in corporibus vivis sive in viventibus corporeis, quia sunt etiam alia, quae vivunt, entia pure spiritualia, quorum consideratio ex se non spectat ad psychologiam.

Haec definitio est initialis (Log. n. 143), qualis sub cuiuslibet scientiae exordiis indicari solet. Definitio perfecta sive terminalis haec erit, ut anima dicatur esse illud principium substantiale in viventibus corporeis essentialiter a materia distinctum, quod est ultima ratio interna vitae illorum.

Huius igitur scientiae obiectum adaequatum est omnis anima[1]. Quoniam autem quidquid in hac disciplina declaratur, ad cognitionem tandem hominis sive animae humanae refertur, obiectum primarium putandum est esse anima hominis[2].

Quum in obiecto uniuscuiusque scientiae distinguere oporteat, quid materiale sit, quid formale (Log. n. 1080), obiectum materiale psychologiae putandum est esse omnis anima eiusque proprietates et operationes; obiectum formale est natura harum rerum secundum se considerata.

Apud recentiores definitionibus psychologia circumscribitur, quae inter se omnino diversae sunt, prout unusquisque in suo sensu abundat, quas hoc loco confutare vel indicare supervacaneum est[3].

20. Psychologiae a disciplinis finitimis diversitas. Differt psychologia 1. a logica (Log. n. 558) obiecto quum materiali tum formali. Logica enim in tribus mentis operationibus tantum versatur (Log. n. 524), neque in harum operationum naturam inquirit, sed

in seiner ‚Vergleichenden Psychologie' (Wien 1866) den Gedanken einer Parallelisirung der Entwicklungsstufen des thierischen Seelenlebens mit denen des menschlichen in glücklicher Weise durchgeführt" (Lehrbuch der Psychologie I, 37).

[1] *Ἐπιζητοῦμεν δὲ θεωρῆσαι καὶ γνῶναι τήν τε φύσιν αὐτῆς καὶ τὴν οὐσίαν, εἶθ' ὅσα συμβέβηκε περὶ αὐτήν* (Aristoteles l. 1 de an. c. 1, 402 a 7).

[2] Recte Guil. Wundt: „Der Mensch selbst, nicht wie er von aussen erscheint, sondern wie er unmittelbar sich selbst gegeben ist — er ist das eigentliche Problem der Psychologie. Alles, was diese sonst noch in den Kreis ihrer Betrachtungen ziehen mag, das Seelenleben der Thiere . . ., alles dies führt auf jenes erste Problem zurück" (Vorlesungen über die Menschen- und Thierseele [Hamburg 1892] p. 1.

[3] Exemplo sit id, quod dicit Volkmann: „Psychologie ist jene Wissenschaft, welche sich die Aufgabe stellt, die allgemeinen Klassen der psychischen Phänomene aus den empirisch gegebenen Vorstellungen und dem speculativen Begriffe der Vorstellung nach den allgemeinen Gesetzen des Vorstellungslebens zu erklären" (l. c. I, 34).

harum operationum directionem curat sive rectitudinem, qua ad cognoscendum verum dirigendae sunt.

2. Differt a philosophia morali, quae agit de actionibus humanis liberis tantum, quatenus hae sub ratione moralitatis, obligationis, iuris referuntur ad finem ultimum.

3. Differt a scientia aesthetica, quae de ipsis mentis humanae cum pulchro relationibus philosophatur, dum psychologia in facultatem percipiendi verum, in sensum hominis aestheticum inquirit et in facultates alias.

4. Differt a physiologia. In hac enim disciplina de vitalibus agitur functionibus, quae organis efficiuntur, velut *oculo, stomacho, cerebro,* secundum partem dumtaxat materialem et conditiones materiales ad eas functiones requisitas [1].

Non desunt physiologi, qui omnem de functionibus vitalibus tractatum omnino ad physiologiam trahant, ac si functiones illae integrae in solis viribus materiae causam habeant. Qui igitur totam psychologiam volunt esse partem physiologiae vel scientiae physicae. In quo opinandi genere omnes sunt, qui materialismum sequuntur (Cabanis, Helvetius, alii).

Sunt quoque, qui distinguant inter eas functiones vitales, quibus aliqua conscientia adiuncta sit, et alias, quarum conscientia nulla haberi possit; has subdentes physiologiae, illas trahentes ad psychologiam. Alii nostrae aetatis physiologi physiologiam et psychologiam coniungi volunt; qui dicunt res physiologicas tractandas esse psychologice vel res psychologicas physiologice [2].

5. Differt ab anatomia, quae est de ipso corpore organico eiusque compositione organica; differt a chemia physiologica, in qua agitur de chemica corporis viventis constitutione, atque

---

[1] „Die Physiologie betrachtet die Verrichtungen und Thätigkeiten der Organismen nach ihren äussern Erscheinungen und den denselben zu Grunde liegenden Gesetzen“ (Vierordt, Grundriss der Physiologie des Menschen. Tübingen 1880). Similiter Funke: „Die Physiologie befasst sich mit der Aufgabe, die Erscheinungen des Lebens in allen seinen Formen nach wissenschaftlichen Grundsätzen zu erforschen.“

[2] Ita Lotze, Medicinische Psychologie oder Physiologie der Seele. Leipzig 1852. W. Wundt, Grundzüge der physiologischen Psychologie (4 Aufl.). Leipzig 1893. Carpenter, Mental Physiology. 5th ed. London 1879. Frédault, Physiologie générale; traité d'anthropologie physiologique et philosophique. Paris 1863. A. Horwicz, Psychologische Analysen auf physiologischer Grundlage. Magdeburg 1878. Is docet organizationem corporis pari gradu procedere cum organizatione animae, scientiam igitur de organismis (physiologiam) in se includere psychologiam. „Die innige und nothwendige Verbindung von Empfindung und Bewegung bildet das einfache Element, aus dem sich alle seelischen Processe bloss durch Wiederholung und Complication aufbauen.“

etiam de processibus chemicis, qui in functionibus vitalibus interveniunt; differt a scientia evolutionis organicae sive embryologia, quae est, id quod nomine satis indicatur, de organica eiusdem organismi evolutione inquisitio [1].

6. Differt psychologia ab anthropologia naturali, a zoologia, a botanica, quibus in disciplinis genus quoddam viventis corporei — sive homo, sive animal, sive planta — secundum conditiones externas naturales consideratur. Sed nomine anthropologiae multi completam et omnem de homine considerationem comprehendunt ita, ut anthropologia sit scientia de homine non solum, ut est animal, sed ut tamquam animal rationale peculiari ad mundum et ad Deum relatione gaudet. In qua permultas partes distinguunt: somatologiam, ethnographiam [2], linguisticam, psychologiam, ethicam, sociologiam, philosophiam religionis, reliquas.

Itaque psychologia id sibi proprium habet, ut primo agatur de anima in se secundum essentiam et passiones (sive proprietates) suas; deinde etiam de anima, ut moli corporeae in unam substantiam unita est. Ipsum corpus, in quo anima inest, ab obiecto psychologiae alienum esse non potest; id quod per se satis intelligitur.

21. Psychologiae praestantia et utilitas [3]. Quum homo res ceteras omnes, quae hoc mundo visibili continentur, plurimum dignitate et perfectione superet, manifestum est, psychologiam nobilitate et praestantia inter omnes disciplinas naturales excellere. Ex anima enim sua trahit homo indolem illam, propter quam recte

[1] De evolutione specierum, quam fingunt per theorim descendentiae, diximus in Philosophia naturali n. 577 sqq.

[2] Ad ethnographiam pertinet quae hodie vocatur „psychologia gentium“. Dicit Lazarus (in foliis: Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft): „Die Völkerpsychologie ist die Lehre von den Elementen und Gesetzen des geistigen Völkerlebens; es kommt ihr darauf an, das Wesen des Volksgeistes und sein Thun psychologisch zu erkennen, die Gesetze zu entdecken, nach denen die innere geistige Thätigkeit eines Volkes in Leben, Kunst und Wissenschaft vor sich geht, sich ausbreitet, erweitert oder verengt, erhöht oder vertieft. Es gilt, die Gründe, Ursachen und Veranlassungen der Entstehung, Entwicklung und des Unterganges der Eigenthümlichkeiten eines Volkes zu enthüllen.“

[3] Incipit Stagirita libros de anima: *Τῶν καλῶν καὶ τιμίων τὴν εἴδησιν ὑπολαμβάνοντες, μᾶλλον δ' ἑτέραν ἑτέρας ἢ κατ' ἀκρίβειαν ἢ τῷ βελτιόνων τε καὶ θαυμασιωτέρων εἶναι, δι' ἀμφότερα ταῦτα τὴν τῆς ψυχῆς ἱστορίαν εὐλόγως ἂν ἐν πρώτοις τιθείημεν· δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι, μάλιστα πρὸς τὴν φύσιν· ἔστι γὰρ οἷον ἀρχὴ τῶν ζῴων.*

dicitur microcosmus, sive magni mundi compendium, dispersas in aliis rebus perfectiones admirabili ordine in se complectens. Nihil igitur inter res huius mundi est contemplatione dignius quam homo. Hac dignitate animae humanae abrepti non deerant philosophi, qui, rebus externis plus aequo in philosophia neglectis, totum suum studium contulerint ad contemplandum Deum et animam humanam.

Huius considerationis praestantiam ipse Aristoteles inde potissimum petierat, quod in animalibus praeclarius eluceret ordo causarum finalium. Qua de re multa dixit in libro primo de partibus animalium c. 1 et 5 (praecipue 645 a, 8—30). Atque id praecipue de ipso homine putandum est. Facile iam intelligetur, quanta sit vis animae et quam praeclare hominibus a Deo provisum sit, si quis vel solam humani corporis fabricationem humanaeque naturae figuram perspectam habeat [1]. Iam vero, inquit Tullius, animum ipsum mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere.

Sed praeter hominem etiam aliae res vivae dignae sunt, quae prae ceteris rebus naturalibus quantumvis grandibus accurate considerentur secundum principia sua vitalia. Qua de re praeclare S. Augustinus: „Non enim", inquit, „qualiscunque moles, quamquam ista visibili luce praefulgeat, si vita careat, magni aestimanda est; quaelibet namque viva substantia cuilibet non vivae naturae lege postponitur." [2] Et de Manichaeis dicens: „Atque hic", inquit, „si forte turbati a me quaererent, num etiam muscae animam huic luci praestare censerem, responderem: Etiam. Nec me terreret, musca quod parva est; sed quod viva, firmaret. Quaeritur enim, quid illa membra tam exigua vegetet; quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat; quid currentes pedes in numerum moveat, quid vibrantes pennulas moderetur ac vibret. Quod qualecunque sit, bene considerantibus, in tam parvo tam magnum, ut cuivis fulgori perstringenti oculos praeferatur." [3]

22. De praestantia psychologiae satis; nunc de eius utilitate dicendum est. Gravissimum certe emolumentum est, quod ex psychologia nascitur disciplinis reliquis.

Hic inter omnes primae commemorandae sunt scientiae, quae agunt de rebus humanis.

Et iterum inter has de homine disciplinas prima est scientia moralis sive ethica, quae ex psychologia tantum utilitatis hausit, ut praeterea nulla.

In hac enim de ultimo fine hominis eiusque beatitudine agitur, deinde de vitiis, de actibus illis, quibus beatitudo comparatur aut amittitur. Quarum rerum omnium anima principium est et fundamentum. Et haec anima, quamdiu

[1] Cfr. Cic. l. 2 de nat. deor. c. 54 sqq. [2] De vera religione c. 29.
[3] Lib. de duabus an. contra Manich. c. 4. Cfr. Conimb. in lib. 2 de coelo c. 1, q. 2.

est in corpore, ab hoc pendet, quoties intellectum adhibet atque etiam voluntatem. Et in omnibus fere suis operationibus intellectualibus ab affectibus appetitus, a passionibus organicis, a varia dispositione vitae sensitivae atque etiam vegetativae vehementer ducitur vel trahitur. Quae quum ita sint, scientia de moribus absoluta satis et perfecta esse non potest, nisi doctrina de anima perspecta habeatur. Sicut enim medicus, ut est apud Aristotelem [1], qui corpori media adhibere vult, ut munere suo recte fungatur, primo multam operam collocat in cognoscendo corpore, ita etiam is, qui in doctrina morali studium suum ponit, prius curare debet, ut psychologiam bene perspectam habeat.

Sed non tantum scientiae morali psychologia est necessaria [2], sed etiam momentum gravissimum habet pro logica, rhetorica [3], paedagogica, psychiatria, pro re iudiciaria, politica, pro arte gubernandi et oboediendi, pro linguistica, ethnographia, disciplinis reliquis, quae in rebus ad corpora organica, praecipue ad hominem, pertinentibus versantur.

Neque inscienter a theologis [4] dictum est, ad cognoscendum ipsum Deum permulta ex psychologia adiumenta praesto esse. Homo enim, quum constet corpore et anima rationali, in se continet et materialem mundum et spiritualem, omnesque rerum gradus in se complectitur. Si igitur humana mens excellentiam suam et virtutem considerat, et imperfectiones, quas in se conspicit, cogitando removet, fieri non potest, quin ad contemplandam Dei naturam incredibiliter provehatur. Atque ita facilius et perfectius ex nobismetipsis, quam ex aliis creatoris effectibus, ad ipsius intelligentiam assurgimus. Hac ratione psychologia magnopere conducit, ut homo quum auctorem, cuius imaginem anima humana exhibet [5], melius cognoscat, tum suae nobilitatis et immortalitatis conscius, bona aeterna, quibus est destinatus, ardenti desiderio cupiat, bona autem naturalia tanquam media adhibeat ad consequendum finem ultimum.

Et ipsa etiam philosophia naturalis, cui ante iam operam nostram navavimus, ex psychologia summe illustratur. Quo magis enim naturam ipsius animae cognitam habemus ex psychologiae studio, eo clarius etiam naturam non solum rerum viventium, sed omnium etiam corporum naturalium cognoscimus.

Quod si nulla fere in naturalibus est disciplina, cui non aliqua lux eveniat ex psychologia, id tamen praecipue de iis putan-

[1] L. 1 ethic. c. ult.

[2] De eius necessitatis indole simili modo sentiendum est, quo diximus de necessitate logicae. Log. n. 544.

[3] Haec psychologiae pro rhetorica utilitas gravissima visa est Platoni (Phaedr. 271 A). [4] Cfr. Suar. libr. de anima in Praefat.

[5] „Quum in omnibus creaturis sit aliqualis Dei similitudo, in sola creatura rationali invenitur similitudo Dei per modum imaginis, in aliis autem creaturis per modum vestigii. Id autem, in quo creatura rationalis excedit alias creaturas, est intellectus sive mens“ (S. Thomas, Summ. theol. I, q. 93, a. 6).

dum est, in quibus de viventibus agendum est, velut pro botanica, zoologia, anthropologia, aliis [1].

Quibus in rebus mens humana contenta esse non potest, ut adhibeantur oculi, fiant experimenta, classificentur phaenomena per inductionem. Sed ex his rebus cognitis etiam magis excitatur humanum ingenium, ut quaerat illorum phaenomenorum causas altiores, quae ad explicandum satis sint.

Id vero, res viventes quod spectat, per psychologiam efficitur, quae agit de anima, quae est internum rei viventis principium [2]. Qui scientiam quaerit, is certe scrutandis causis externis et materialibus diligentem navabit operam; sed praeterea ab inquirendis causis efficientibus, finalibus, formalibus (Log. n. 1590) abstinere non potest, quum hae causae illis potiores sint. Quapropter rectissime a Stagirita quibusdam philosophis obiectum est, quod ideo turpiter a veritate defecerint, quia, sicut in ceteris rebus, ita etiam in rebus animatis solam causam materialem consideraverint neglectis reliquis causarum generibus [3]. Abundat nostrum saeculum viris ceteroquin eruditissimis, qui eadem reprehensione digni sunt.

---

[1] De modo, quo ipse Aristoteles in zoologia animum suum converterit ad doctrinas psychologicas, dicit C. Claus: „Man darf in Aristoteles nicht etwa einen ausschliesslich descriptiven Zoologen und in seinen Werken ein bis ins kleinste ausgeführtes Thiersystem suchen wollen; dem grossen Denker und Philosophen musste eine solche einseitige Behandlung der Wissenschaft fernliegen. Aristoteles betrachtete das Thier als lebendigen Organismus in seinen Beziehungen zur Aussenwelt, nach der Entwicklung, dem Baue und den Lebenserscheinungen, und schuf eine vergleichende Zoologie im weitern Sinne des Wortes, die in mehrfacher Hinsicht als erste Grundlage unserer Wissenschaft dasteht. Sein Streben war darauf gerichtet, ein Bild von dem Leben der Thierwelt zu gewinnen, und daher begnügt er sich nicht etwa mit einer Beschreibung der äussern Erscheinungen und der äussern Theile, sondern geht in vergleichender Weise auf den Bau der innern Organe und auf die Verrichtungen derselben ein, stellt die Lebensweise, Fortpflanzungs- und Entwicklungsgeschichte dar und würdigt die psychischen Thätigkeiten, Triebe und Instincte einer eingehenden Betrachtung, überall aus dem Einzelnen ins Ganze hinausschreitend, die Wechselbeziehungen und den innern Zusammenhang der Erscheinungen feststellend. Das Werk unseres grossen Meisters wird also mit Aubert und Wimmer eine ‚Biologie der gesamten Thierwelt' zu nennen sein, ‚gegründet auf eine grosse Menge von Specialkenntnissen, belebt durch den grossartigen Gedanken, alles thierische Leben als einen Theil des Weltalls in allen seinen unendlichen Modificationen zu einem einheitlichen Gemälde zusammenzufassen, und erfüllt von der Weltanschauung, für die Gesetze des natürlichen Geschehens einen vernünftigen Endzweck voranzusetzen" (Grundzüge der Zoologie I [4. Aufl. Marburg 1880 bis 1882], 65).

[2] *Ἔστι δὲ ἡ ψυχὴ τοῦ ζῶντος σώματος αἰτία καὶ ἀρχή ... καὶ γὰρ ὅθεν ἡ κίνησις αὐτή, καὶ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς ἡ οὐσία τῶν ἐμψύχων σωμάτων ἡ ψυχὴ αἰτία* (Arist. l. 2 de an. c. 4, 415 b 12).

[3] L. 1 de part. anim. c. 1.

23. Psychologiae difficultas. Vix quemquam reperies, qui psychologiam multis difficultatibus obstructam esse neget. Quarum prima, ut docet Aristoteles (l. 1, c. 1), inde nascitur, quod vix ulla est methodus, quae non sit in aliqua psychologiae parte adhibenda. Praeterea in hac disciplina etiam ideo error est facilis, quia phaenomena psychica ex multiplicis generis principiis oriuntur. Neque facile est in rebus viventibus ea, quae actualia sunt, a potentialibus distinguere, et ea, quae a sola anima procedunt, ab iis separare, quae proficiscuntur ab anima et materia in unam substantiam unitis. Difficile quoque est definire, utrum principium vitale extensum sit et dividatur divisa materia, an sit indivisibile sive simplex. Abstrusior etiam res est, quum de discrimine agitur, quod intercedit inter animam rationalem, sensitivam, vegetativam. Deinde gravis est dubitatio, quum quaeritur, qua ratione anima definiatur; utrum melius quis procedat ex consideratis potentiis ad cognoscendam animae essentiam, an ex considerata hac essentia ad cognoscendas proprietates; qua ratione facultates animae inter se distinguantur; utrum incipiendum sit ab operationibus an a potentiis, ab hisne operationibus an ab illis; qua ratione substantia ex accidentibus cognosci possit.

Neque non difficultas est in observandis per reflexionem eventibus internis. Fluxa enim et admodum mobilis est harum rerum exsistentia, quae res facile propter ipsum reflexionis conatum evanescunt. Omnis deinde activitas reflexa difficilior est quam directa. Accedit, ut facile oriantur propter vim passionum motus, quibus conscientia non leviter perturbatur. Atque haec psychologiae difficultas, quae ex difficultate reflexionis psychologicae nascitur, etsi non tanta est, quanta a Cartesianis aliisque praetenditur (quibus haec fere una esse videtur), est tamen magna.

Magis igitur haec philosophiae disciplina impedita est difficultatibus quam reliquae. At vero „nihil est“, ut dicit Cicero, „tam ab humana cognitione remotum atque abstrusum, quod non, quaerendo, investigari possit: sive hoc difficile est, tamen nec ullus modus deest investigandi veri, quum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum“.

Sed propter istas difficultates recte est monitum, non licere unicuique psychologo, expertis et observatis a se ipso factis contentum esse, sed omnino necesse esse, ut diligenter audiat et legat, quae alii de his rebus experti sint vel observando cognoverint vel adhibitis rationibus metaphysicis philosophati sint.

Cuius rei praeclarum exemplum habemus Aristotelem, qui libros „de anima“ ita disposuit, ut libro primo, dum aliena recensentur, propria vel parentur invenienda, vel quasi per transennam ostendantur, atque ut altero contra et tertio, dum propria enucleantur, priores semper sententiae respiciantur [1].

Quod si in omni philosophiae disciplina, qui est eius generis, notitia historiae sive consideratio eorum, quae ab aliis de re, de qua agitur, indicata sint, tanquam instrumentum inveniendae veritatis admodum utilis est (Log. n. 411. n. 1093), in psychologia ea vix non est omnino necessaria. Quum post Cartesium plurimi conati sint integram et novam psychologiam ex proprio ingenio tanquam ex sclopeto suo emittere, factum est, ut hodie psychologia miserrime iaceat [2].

24. Fontes psychologiae. Quum notitia animae petenda sit ex notitia phaenomenorum vitalium, manifestum est, fontem primarium in experientia illorum effectuum sive internorum sive externorum situm esse, quibus unaquaeque anima eiusque vita sese nobis manifestat. Est igitur imprimis conscientia hominis propria, deinde observatio vitae in hominibus et viventibus reliquis; quae observatio vulgari ratione atque etiam accurate et methodice instituta esse potest [3].

---

[1] Trendelenburg. Comment. de an. p. 113.

[2] Hac de re recte Jessen (in libro: Versuch einer wissenschaftlichen Begründung der Psychologie [Berlin 1855, Einleitung]): „Die Psychologie kann gegenwärtig kaum auf den Namen einer Wissenschaft Anspruch machen, wenn wir nur ein auf festerem Grunde ruhendes und zu einem systematisch geordneten Ganzen entwickeltes Wissen eine Wissenschaft nennen. Sie entbehrt jeder sichern Begründung, und wir suchen vergebens in ihr solche Grundlagen, wie sie die Mathematik in ihren unbestrittenen Principien, die Naturwissenschaften in ihren durch Beobachtung festgestellten Thatsachen besitzen. Die Unvollkommenheit unserer psychologischen Erkenntniss hat gewiss ihren Hauptgrund in der Schwierigkeit der Sache selber, mehr oder weniger aber auch in der verkehrten Art und Weise, in welcher man das Seelenleben bisher zu erforschen versucht hat. Die Psychologie ist . . . bearbeitet worden nicht als eine auf festen Grundlagen ruhende und durch die Einzelnen weiter zu entwickelnde Wissenschaft, sondern als eine von jedem Einzelnen neu zu begründende und von Grund aus aufzubauende. Sie konnte daher nicht fortschreiten, wie die Naturwissenschaften, durch gemeinsame Bemühungen vieler; jeder musste vielmehr von vornen wieder anfangen, und wäre man in andern Wissenschaften nicht anders verfahren, so würden sie ebenfalls stehen geblieben sein, ohne die Stufe ihrer gegenwärtigen Entwicklung zu erreichen.“

[3] De rebus observatis cfr. Volkmann, Lehrbuch der Psychologie p. 45, Anm. 5. Qui recte monet: „Vor zwei Fehlern ist jeder Beobachter psychischer Erscheinungen zu warnen: vor der Einmischung theoretischer Ansichten in den Act des Beobachtens selbst, und vor der Sucht nach Abnormem, Seltsamem. Die

Praeter hunc fontem primarium, qui experentia et observatione psychologica constituitur, multi fontes secundarii sunt aperti in arte anatomica, physiologica [1], pathologicaque [2] (quae est de morbis); praeterea in botanica, zoologia, anthropologia.

Et hominem quod attinet, praeclara adiumenta peti possunt ex consideratione humanae linguae, ex scientia linguistica et grammatica, ex historia gentium vel singulorum hominum, ex

---

aussergewöhnlichen Phänomene sind meistens gerade die verwickeltsten Probleme, und das Complicirteste ist nicht immer das Lehrreichste."

[1] Reperiri diximus, qui psychologiam partem ipsius physiologiae esse putent. Contra etiam reperies, qui physiologiam a psychologia omnino alienam esse velint. Inter quos sunt Platonici, Cartesiani, Leibniziani aliique, qui animam corpori substantialiter uniri negant. Aristoteles, S. Thomas aliique Peripatetici, disserentes de anima, plurima explicant de rebus physiologicis. Hodie ad hanc veterum consuetudinem revertuntur. Dicit Volkmann: „Die Berücksichtigung jener somatischen Organe und Functionen, an welche als an ihre Vorbedingung die Seelenthätigkeiten geknüpft sind, ist in gewissen Theilen der Psychologie nicht bloss erwünscht, sondern geradezu unerlässlich (dabei hat sich die Physiologie der Centralorgane weit minder fruchtbar bewährt als die der peripherischen Apparate)... Die Zeit ist wohl für immer vorüber, wo man hierin eine Verunreinigung der Psychologie erblicken konnte" (l. c. I, 41).

[2] Hodie haud paucos reperies, qui omnem observationem psychologicam ad phaenomena hypnotica similiaque restringere velint. Quos rectissime increpat Wundt: „Der Hypnotismus gehört nicht in den Arbeitsraum des Psychologen, sondern in das Krankenzimmer, und die Herbeiführung des hypnotischen Schlafes, insbesondere aber seine zur Hervorrufung der intensivern Erscheinungen meist erforderliche wiederholte Herbeiführung ist nur gerechtfertigt, wo ärztliche Indicationen dieses verlangen. Zweitens kann ich dem Hypnotismus die fundamentale Bedeutung für die experimentelle Psychologie nicht zuerkennen, welche die hypnotischen Schulen, und welche namentlich auch die hier tonangebende „Société de Psychologie physiologique" in Paris ihm einräumen. Der hypnotische Schlaf ist ein abnormer Zustand wie andere. So wenig es angeht, auf den Traum oder auf die Manie oder auf den paralytischen Blödsinn die ganze Psychologie zu gründen, gerade so wenig kann der Hypnotismus diesem Zwecke dienen. Insbesondere aber beruht es auf einer totalen Verkennung des Wesens der experimentellen Methoden und ihrer Bedeutung in der Psychologie, wenn von den Vorkämpfern des Hypnotismus die Hypnotisirungsmittel und andere Einwirkungen auf den Hypnotisirten zur ‚experimentell-psychologischen Methode' gestempelt werden. Die meisten dieser Einwirkungen verdienen, an dem Massstab der exacten Wissenschaften gemessen, überhaupt nicht den Namen von Experimenten. Soweit sie aber einem experimentellen Verfahren nahe kommen, entbehrt gerade das hypnotische Experiment der wesentlichsten Eigenthümlichkeiten und Vorzüge der am normalen Bewusstsein ausgeführten psychologischen Versuche" (Hypnotismus und Suggestion [Leipzig 1892] p. 112 sq.).

ethnographia, ex historia civilisationis quam vocant, et ex rebus similibus [1].

Praeter fontes habet psychologia normam negativam in omnibus scientiis reliquis, ita ut psychologo non liceat docere quidquam, quod iis sit contrarium, quae scientiae reliquae ex suis quaeque principiis demonstrant. Neque ab hoc loco excipitur theologia, quae principia sua trahit ex revelatione divina (Log. n. 1167). Quum in theologia plurimum intersit, ut recta habeatur de anima humana sententia, nonnulla dogmata, praelucente revelatione divina, de natura animae humanae statuta sunt, quibus contradicere philosopho christiano nefas est.

Haud pauci ex philosophis christianis hoc loco colligunt ea, quae ex theologia ad psychologiam spectant ad aliquot canones.

1. Anima humana non est Dei substantia neque ex Dei substantia.

2. Anima rationalis et intellectiva non est una numero in omnibus hominibus, sed est et fuit et erit plurificata secundum individuorum hominum pluralitatem, ita ut singulae sint in singulis.

3. In unoquoque homine una est anima, non plures.

4. Anima rationalis secundum se et suam substantiam est corporis forma materiamque informat et cum ipsa unum per se constituit.

5. Anima humana per creationem oritur, creaturque ab ipso Deo.

6. Anima rationalis non est corpus, neque ex corporibus conflata, sed est spiritus.

---

[1] Dicit Volkmann: „Zu den psychologisch merkwürdigsten Producten des menschlichen Seelenlebens zählen die verschiedenen Formen der Gesellschaft. Insofern in der Gesellschaft die Einzelnen denselben Gesetzen der Wechselwirkung unterstehen, die bezüglich der Vorstellungen in der Seele gelten [de qua re nos dicturi sumus n. 447], besteht zwischen den Formen und Zuständen der Gesellschaft und denen des individuellen Seelenlebens eine gewisse Analogie, deren genauere Erfahrung geeignet erscheint, nach beiden Seiten hin Licht zu bringen. So konnte Herbart einige Grundzüge der Politik dazu benutzen, um dadurch den psychologischen Gesetzen mehr Deutlichkeit zu verschaffen. Dieser Auffassung des gegenseitigen Verhältnisses von Socialwissenschaft und Psychologie kehrt auch in der ältern Herbart'schen Schule wieder (bei Hartenstein, Strümpell, Schilling). Die neuere Schule vertauschte diese Analogie, deren Fortführung doch eigentlich kein wesentliches Resultat in Aussicht stellen konnte, mit jener zwischen der individuellen Seele und dem Gesamtgeiste der Gesellschaft (Psychologie der Gesellschaft). Diese versetzt entweder als Völkerpsychologie ihr Problem in die Erklärung jener Phänomene, die lediglich innerhalb des socialen Zusammenlebens entspringen und nicht sowohl Verhältnisse im Menschen als zwischen den Menschen zum Gegenstande haben (Lazarus), oder sie handelt als Socialpsychologie von jenen Erscheinungen, auf denen das Geistesleben der Gesellschaft beruht, von der psychischen Persönlichkeit (?) der Gesellschaft selbst (Lindner)" (l. c. I, 97).

7. Anima rationalis non creatur ante ortum corporis, sed simul a Deo creatur et cum corpore unitur.

8. Anima rationalis non corrumpitur corrupto corpore, sed manet in aeternum duratura.

9. Animae manentes post corpora non subintrant alia corpora, neque transmigrant de uno in aliud [1].

25. Methodus in psychologia adhibenda. Varias in scientia methodos ad tres ordines reduci posse scimus (Log. n. 445). Primo loco est methodus, quae vocatur analytica, experimentalis sive empirica, a posteriori; cui opposita est methodus altera, quae est synthetica, rationalis, a priori; inter quas media est methodus mixta.

Et alias ab aliis methodos in psychologia adhibitas videmus.

1. Sunt, qui contenti fuerint sola methodo empirica, inter quos praecipui sunt qui empiristae vocantur. a) Inter hos invenies, qui ex sola reflexione omnia exspectent; qui methodum a se adhibitam psychologicam vel analytico-inductivam vocare solent. Qui quum, haerentes in solis phaenomenis, negent nos quidquam de rerum essentiis cognoscere posse, totam suam operam ad id conferunt, ut per reflexionem conscientiae ad sola phaenomena psychica attendant, ea inter se comparent, per inductionem secundum similitudinem dissimilitudinemve in diversas

[1] Canone 11 Synodi VIII oecumenicae reprobatur sententia eorum, qui hominem habere duas animas docuerunt, definiturque eum habere unam tantum animam, eamque rationalem et intellectualem (Denzinger, Enchiridion symbol. et definit. n. 274).

Concilium Viennense definivit contra errores Ioannis Petri Olivi, unigenitum Dei Filium assumpsisse „partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem". „Doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam et veritati catholicae inimicam fidei . . . reprobamus . . ." (Denz. l. c. n. 408. 409).

Decrevit Leo X in Conc. Lateran.: „Damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes, quum illa non solum vere, per se et essentialiter humani corporis forma exsistat , . . verum et immortalis et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit" (Denz. l. c. n. 621).

Pius IX de doctrina Güntheri et libris: „Noscimus, iisdem libris laedi catholicam sententiam et doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma" (Denz. l. c. n. 1509).

classes distribuant; ea, quae complexiora sunt, per analysim solvant, ut inveniantur elementa omnium phaenomenorum simplicia, atque ita detegantur leges, quibus universus mundus eventuum vitalium regatur[1].

Atque illa quidem rerum internarum observatio et ad eas reflexio, quae sola in hac methodo laudatur, plurimum interest, ut magna cum diligentia colatur. Verum minime ea satis est, ut nobis accuratam scientiam, ne dicam de anima ipsa, sed ne de istis rebus phaenomenalibus quidem nobis comparemus.

Ut enim recta fiat actuum potentiarumve vitalium secundum certas classes vel species distributio, non solum per reflexionem ad ipsa facta psychica vertendus animus est, sed magna cum diligentia etiam obiecta, in quibus operationes vitales versantur, consideranda sunt. Ex obiectis enim formalibus actus et potentiae specificantur (Phil. nat. n. 365). Neque illa observatio reflexa

[1] Hanc methodum laudat Guil. Wundt (Ueber Selbstbeobachtung und innere Wahrnehmung. Philosophische Studien IV, 292 sqq.; Hypnotismus und Suggestion p. 84): „Das Experiment gestattet es, einen bestimmten Bewusstseinszustand annähernd in derselben Weise, in der er zuvor aus einer bestimmten äussern Einwirkung vorhanden war, durch Wiederholung der nämlichen Einwirkung unter den gleichen äussern Bedingungen zu erneuern und so eine immer schärfere Wahrnehmung der in dem betreffenden Moment vorhandenen Vorgänge möglich zu machen. Namentlich das Gebiet der chronometrischen Experimente in der Psychologie ist voll solcher nur mittelst des Experimentes ermöglichter Selbstbeobachtungen, die nun in Verbindung mit den experimentell variirten äussern Bedingungen Ergebnisse liefern, die einen psychologischen Werth eben nur insoweit besitzen, als sie die Selbstbeobachtung zwingen, eine Antwort auf eine präcis gestellte Frage zu geben. Ich erinnere an die Versuche über den Umfang des Bewusstseins, über den Zeitsinn, über die nach subjectiven Bedingungen verschiedenen Reactionsformen, über die periodischen Schwankungen der Aufmerksamkeit, über die qualitativen und quantitativen Gesetze der Associationen u. s. w. Es lässt sich geradezu aussprechen: es gibt kein irgendwie werthvolleres Experiment, bei dem der Selbstbeobachtung nicht der Hauptantheil, der äussern experimentellen Beeinflussung aber bloss die Bedeutung eines die Selbstbeobachtung ermöglichenden und gewisse Ergebnisse derselben registrirenden Hilfsmittels zukäme. Wenn bei dem psychologischen gerade so wie bei dem naturwissenschaftlichen Experiment in der Regel die so gewonnenen Resultate in gewissen numerischen Werthen sich niederlegen lassen, so ist das darum nur ein nebensächliches, wenn auch ein unentbehrliches Moment. Für sich allein betrachtet, haben die Zahlen gar keinen Werth, ebensowenig wie die Thatsache, dass ein chemischer Körper so und so viel Procente Kohlenstoff hat, isolirt und ohne Beziehungen zu andern Körpern betrachtet, irgend einen Werth besitzt. Zahlen können Hilfsmittel zur Auffindung von Gesetzen und zur Anwendung gewisser Gesetze des Geschehens sein; sie sind aber in letzter Instanz für eine erklärende Wissenschaft niemals selbst Zweck."

sufficit ad analysim, quae de rebus complexis in psychologia instituitur. Conscientia enim sola neque elementa componentia clare exhibet, neque modum, quo ex illis res composita orta sit. Et inductio, de qua isti dicunt, valeat nobis patefacere leges aliquas secundarias sive aliquos constantes modos, qui in rerum superficie apparent, at certe ex se sola nihil nos docere potest de universali et necessaria huius constantiae causa et natura, id quod tamen ad pariendam scientiam est necessarium [1].

b) Alii quum conscientiam propriam incertam vel mendacem esse putarent, aliam posuerunt methodum empiricam, quam experimentalem vel physiologicam vocant [2].

Hi igitur posthabita reflexione plurimum colunt observationem omnium eventuum in rebus viventibus, sive illi reflexioni pervii sunt sive non, magnopere attendentes ad conditiones materiales, quibuscum eventus psychici coniuncti sint. Et eventus illos non solum diligenti observationi subdunt, sed multis etiam et multiplici ratione iteratis experimentis.

Atque hanc etiam observandi et experiendi rationem, licet sola satis esse non possit, inquisitionibus psychologicis maximum emolumentum conferre posse nemo non videt (Log. n. 454). Quum enim eventus psychici multiplici ratione pendeant a conditione externa organorum eorumque conditionibus materialibus et a vario impressionum genere, fieri non potest, quin experimentis illis accurate institutis multa de natura facultatum vitalium, quae in eventibus illis manifestantur, et hinc de natura ipsius animae cognoscantur. Et de ipsorum phaenomenorum processu hac methodo plurima cognoscuntur, quae per methodum pure reflexivam attingi non possunt.

Ita, ut ex exemplorum mole aliquid proferamus: unum sonum, in quo sola conscientia nullam compositionem sentire possumus, propter experimenta physiologicorum et physicorum scimus ex multis sonis compositum esse; similiter de colore dicendum est. Quid sola experientia novimus de intervallo temporis, quod intercedit inter affectionem sensuum exteriorum et perceptionem?

c) Neque desunt empiristae, qui et reflexionem et experimentationem simul magni ducentes methodum reflexionis psychicae, et experimentationis physiologicae coniungunt, omittunt tamen, quod est empirismi vitium, omnem methodum rationalem. Quapropter sibi viam, quae ad ipsius animae cognitionem ducat,

---

[1] Waitz, Lehrbuch der Psychologie als Naturwissenschaft (Braunschweig 1849) p. 22 sqq.

[2] Inter hos nominandi sunt ex Germanis Ioh. Müller, E. H. Weber, Th. Fechner, Helmholtz, E. Dubois-Reymond, H. Lotze, Volkmann.

omnino obstruunt. Quam ob rem ne haec quidem methodus, quantumvis sit quoad ea, quae ponit et sibi expostulat, admodum utilis et laudanda, quia tamen omissis ratiocinationibus haeret in solis observandis phaenomenis, ad finem psychologiae obtinendum satis esse potest. Nam res psychicas tantum attingit, quantum istae versantur in conditionibus empiricis et materialibus; hinc ex parte tantum et quodammodo extrinsecus. Quod si id putandum est, quum agitur de operationibus animae organicis, multo magis valet de iis actibus, in quibus anima humana ab organis intrinsecus non pendet. Accedit, ut per methodum suam nullo modo ostendant, qua ratione facta psychica, omissa anima, ex solis corporis affectionibus declarari possint.

Methodi empiricae aut ad observanda ea referuntur, quae suapte natura in rebus viventibus eveniunt, aut per artem et industriam experimenta in rebus viventibus instituunt; atque ita aut naturales sunt, aut artificiales. Praeterea immediatae sunt, quum immediate versantur in eventibus psychicis; mediatae, quum attenduntur eventus physici, quibuscum psychici coniuncti esse putantur.

De methodis empiricis diximus; nunc de methodis rationalibus.

26. 2. Ex adverso haud pauci inter philosophos nostrae aetatis sunt, qui etiam in rebus psychologicis, omissa omni ad experientiam attentione, methodos suas pure aprioristicas commendent.

Ad hunc locum imprimis pertinent methodi, quas metaphysicas vocant, vel idealisticas, quas potissimum apud illos philosophos reperies, qui omnia in philosophia ex principio aliquo primo per deductiones trahenda esse censent. Quorum sententiam falsam esse in logica ostensum est (Log. n. 1101).

Opinatus est Plato ex ipsa scientiae idea a priori statuendum esse, qua ratione anima in priore ante nativitatem vita scientiam sibi comparaverit, et qua ratione in hac vita illius scientiae oblitteratae recordari possit (Log. n. 1039), quibus ex rationibus cognitis, quae sit natura animae, concludi possit.

Similiter docent Neoplatonici praesentem animae in corpore statum sequi ex meliore statu antecedente supposito, cuius ideam in mente innatam habeamus.

Neque minus pantheistae alii in suo quique genere ex idea entis absoluti functiones affectionesque omnes psychologicas construere conantur. Speciatim docet Hegel animam nihil aliud esse quam necessariam quandam evolutionem sive manifestationem phaenomenologicam; eam ob rem ex absoluti natura et eius processu dialectivo evolutionis nobis a priori satis innotescere, quae sit natura animae (Log. n. 1667).

Ex ontologistis Gioberti adducimus, qui dixit, quum intellectus noster sine ulla interruptione „immediata Dei exsistentias creantis intuitione“ gaudeat, ex cognito Deo creante cognosci a nobis a priori, quae esset natura omnium rerum creatarum atque etiam animae (Log. n. 1680).

27. Methodos idealisticas vehementer impugnavit Herbart, qui methodum rectam ex realismo petendam esse dixit atque superstruendam principiis metaphysicis quidem, quae tamen ex experientia hausta essent. Atque id recte quidem dixit Herbart, sed in eligendis principiis turpiter falsus est. Quum enim putaret tum solum psychologiae indolem verae scientiae proprie dictae servari posse, si ea computis arithmeticis subici posset, construxit ipse novum systema ex „realibus" sive entibus simplicibus, quae inter se turbarent et sese ipsa conservare studerent. Hac ex re in nobis repraesentationes esse dicit, quae modo mechanico inter se agant, emergant, evanescant; omnia in nobis regi legibus mechanicis atque ita quantitate affecta esse, ut calculo mathematico iam subdi possint. Unde hanc methodum mathematicam vocant [1].

Quid hac de re iudicandum sit, satis in apertis esse videtur. A rebus viventibus certe non absunt, quae habeant numerum et quantitatem. Neque conditiones illae materiales, quae cum phaenomenis psychicis coniunctae sunt, ex se a mensurabilitate mathematica abhorrent [2]. Unde rectissime quis conari potest, ut in declarandis illis legibus, quas methodus physiologica mediis et mensuris materialibus detexerit, aliqua ratione mathesim adhibeat. Sed falsum est ipsas operationes psychicas, ut psychicae sunt, quantitate mathematica affectas esse. Plurima deinde in psychologia disquiruntur, quae ab omni quantitate aliena sunt, ut est quaestio de substantia animae, de eiusdem habitudine ad corpus, de natura accidentium psychicorum, similia [3]. Herbartium quod

[1] Philosophiam mathematicam iam in mentionem adduxerat Wolffius: „Theoremata haec", inquit, „ad psycheometriam spectant, quae mentis humanae cognitionem mathematicam tradit, et adhuc in desideratis est" . . .; „qua ea, quae animae sunt, ad mensuram revocantur" (Psych. empir. § 522). Dixit Fortlage psychologiam mathematicam esse „eine sinnreiche Belustigung mit fingirten Grössen"; Ahrends: „feinere Nuance des Materialismus"; Heinroth: „die Dreistigkeit, Mathematik in die Erklärung der Lebenserscheinungen einzumengen, ist ein Frevel, der zum Untergange der Biologie und Psychologie führen muss"; Schleiermacher: „ein Stück überwundener Atomistik".

[2] Haud inepte Kant: „Die Anwendung der Mathematik in jenen Theilen der Weltweisheit, wo die Kenntniss von Grössen vorkommt, ist von unermesslicher Nutzbarkeit" (Opp. ed. Rosenkranz I, 88. Cfr. ibid. p. 115. 132. 142). Dubitavit vero Kant, possetne mathesis applicari phaenomenis psychicis, quum haec essent in solo „tempore" (V, 310; I, 521).

[3] Dicit Volkmann: „Die Begriffe der Vorstellungsstärke, des Gegenwirkens der Vorstellungen, der Klarheitsgrade, der Verschmelzung und Bewegung der

attinet, turpiter ipse falsus est, ponens in anima repraesentationes tanquam entia realia, quae certa virtute per mathesim commensurabili conentur inter se supprimere, iuvare, ascendere (Log. n. 1696).

28. **Methodus genetica.** Nunc ad methodos mixtas veniamus, quae sunt inter pure empiricas et pure aprioristicas quodammodo mediae. Quarum aliquae falsae sunt excogitatae, una vera est.

Et ex falsis hoc loco notatu digna ea est, quam geneticam vocant, quae quidem potissimum ab Herbartii discipulis exculta est. Praetermissa igitur methodo pure mathematica (de qua modo aliquid praecepimus), in hac methodo genetica processum rationalem cum empirico (tum cum eo, in quo reflexio adhibetur, tum cum eo, in quo in observationes incumbunt) haud inepte quidem coniungunt; idque ad unum hunc finem fieri dicunt, ut facta psychica ex principiis suis „genetice" explicentur. Fatendum certe est, huic methodo in multis quaestionibus psychologicis locum esse: multa enim in viventibus reperies, quae inter se cohaerent connexione genetica, quae etiam a nobis cognosci possit.

At vero qui hanc methodum laudant, eam rei omni et toti applicari volunt, reducentes phaenomena et entia omnia ad entia et phaenomena simplicissima. Quam ob rem praecipiunt a) in re omni philosophandi initia ab iis phaenomenis psychicis petenda esse, quae sint omnium simplicissima, i. e. ab emotionibus simplicissimis; b) inde oriri in nobis „ideam generalem eventus psychologici" (qua videlicet ratione generatim res psychicae eveniant), quae idea a nobis pro principio speculativo et directivo adhibenda sit; c) praelucente hac idea videndum esse, quomodo in rebus psychicis ex simplicioribus ea, quae sint magis composita (velut ex emotionibus sensitivis infimis intellectiones altissimae), paullatim nata sint, vel saltem nasci potuerint.

Psychologiam eo modo tractari volunt, quo etiam omnem scientiam naturalem ad id unum dirigendam esse praecipiunt, ut phaenomena naturalia per-

Vorstellungen sind selbst im gewöhnlichen Gedankenkreise einheimisch. . . . Die mathematische Darstellung unterscheidet sich von der gewöhnlichen nur darin, dass sie das präcis und scharf aufzufassen strebt, was diese unbestimmt und beiläufig auf sich beruhen lässt. . . . Die mathematische Psychologie kann nicht die ganze Psychologie sein wollen (selbst innerhalb der Sphäre der quantitativen Bestimmungen findet sie bald an der Complicirung der Phänomene ihre Grenze); sie kann auch keine Berechnung der einzelnen Seelenzustände sein oder auch nur in Aussicht stellen wollen; denn hierzu fehlt ihr nichts weniger als alles" (l. c. I, 476).

fectiora explicentur ex operationibus et viribus simplicibus inter se additis. Quapropter psychologiam „physicam animae“ vocari volunt.

Verum sine negotio quivis videt has methodi geneticae praeceptiones falsas esse et reiciendas. Certum est enim, operationes psychicas, quae inferiores sunt, non esse semper elementa simpliciora, ex quibus operationes superiores componantur, velut intellectiva ex sensitivis. Inquisitio ergo instituenda a psychologis non potest eo contineri, ut id, quod superius est, genetice explicent ex simplicioribus inter se compositis.

29. **Methodus Aristotelica.** Reliquum est, ut de ea methodo mixta sive analytico-synthetica dicamus, quam ex Peripateticorum more acceptam veram et rectam esse iudicamus, de qua, quum in Logica (praecipue n. 448) iam aliquid praeceptum sit, nunc breves esse possumus.

Quum generatim res non cognoscamus immediate in se ipsis, sed mediate, i. e. intervenientibus tantum earum effectibus, exordiendum est ab animae actibus per experientiam sive internam sive externam a nobis cognitis. Nam „rei cuiuslibet perfecta cognitio haberi non potest, nisi eius operatio cognoscatur. Ex modo enim operationis et specie mensura et qualitas virtutis pensatur. Virtus vero naturam rei monstrat. Secundum hoc enim unumquodque natum est operari, quod actu talem naturam sortitur.“ [1]

Aristoteles quum quaereret, utrum prius essentia animae an eius affectiones investigandae essent, censuit, quamvis cognitio essentiae ad perfectam cognitionem affectionum animae esset necessaria, tamen per solas accurate cognitas affectiones patere aditum ad cognoscendam ipsam animae essentiam [2]. Quoniam vero natura phaenomenorum cognosci satis non possit nisi post cognitam animae essentiam, ab anima cognita ad disquirenda per synthesim phaenomena redeundum esse.

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 1. Recte Wundt: „Der Glaube, dass die Thatsachen der seelischen Erfahrung speculativ sich entwickeln liessen, war ebenso ein methodischer Fehler, wie die Meinung, dass die physikalische und chemische Untersuchung den Anfang der psychologischen Wissenschaft bilden müsse. Wir haben die Seelenlehre vor allem zu betrachten als eine Wissenschaft der Erfahrung. . . . Dem Standpunkt ausschliesslicher Speculation fehlt daher der Psychologie wie jeder Wissenschaft gegenüber von vornherein die Berechtigung“ (Menschen- und Thierseele, ed. 2. p. 8). „Das erfahrungslose Denken und die gedankenlose Erfahrung sind gleich ohnmächtig“ (ibid. p. 9).

[2] L. 1 de an. c. 1.

Et hanc capitis praeceptionem Peripatetici omnes fideliter exsequentes, docuerunt in psychologia operam navandum esse methodo tum analyticae tum syntheticae (Log. n. 445).

Id vero non ita intelligendum est, ac si pars prima psychologiae sit unice empirica, altera perficiatur solis ratiociniis analyticis, tertia demum sola demonstratione synthetica absolvatur. Sed unaquaeque pars tractanda est tum manuducente experientia tum per analysim, tum per synthesim; quamquam non eodem modo eademque mensura, sed prout materia hoc vel illud magis expostulat.

Cuius rei exempla sint: Solent Aristotelici partim via analytica ex obiectis formalibus, partim via synthetica ex natura et necessitate ipsorum viventium numerum et diversitatem potentiarum demonstrare. Probatione analytica primo ex obiectis immaterialibus immaterialitatem actuum intellectus atque ipsius intellectivae facultatis cognoscimus, ex quo deinde ipsius animae immaterialitatem demonstramus. Et ex natura animae rationalis demonstratione analytica, demonstratione synthetica ostendere possumus animam humanam immortalem esse.

Haec methodus aristotelica non solum experientia et observatione, demonstratione analytica et synthetica constituitur, sed etiam iubet adhiberi adiumenta reliqua in psychologia maxima cum accuratione, quae a logicis ad acquirendam scientiam commendantur. Ita praecipue inductioni in complenda experientia et in condendis definitionibus principiisque latissimus campus apertus est (Log. n. 365. 745). Methodus genetica quamquam, ut ab Herbartianis intelligitur (n. 27), est falsa, quatenus tamen praescribit, ad connexiones causales sive geneticas diligenter attendendum esse, in methodo aristotelica vim habet suam et approbationem, id quod ex ipsa definitione scientiae a Peripateticis tradita apertum est.

Neque experimentationi in psychologia nullus locus est. Etsi enim ipsa anima animaeque actiones passionesve in se nulli experimentationi subsunt, subsunt tamen quatenus cum affectionibus corporis cohaerent.

Atque his dictis apparet, methodum aristotelicam omnium esse completissimam; nihil enim ab ea alienum est, quod in aliis methodis verum et utile esse inveneris. Est deinde omnium certissima. Proficiscens enim ex rerum experientia tum interna sive psychica, tum externa sive naturali, non sola inductione continetur, sed secundum certissimum causalitatis principium (Log. n. 1593) ex consideratis effectibus ad cognoscendas causas

internas earumque naturam progreditur; et ex cognita animae natura adhibitis veris principiis facultates et operationes animae extensius et penitius cognoscere conatur. Et vix opus est, ut addamus nullam hac methodo efficaciorem et fecundiorem excogitari posse. Quum enim omnia scientiae subsidia adhiberi iubeat, ut, quidquid in obiecto psychologiae continetur vel cum hoc cohaeret, quantum fieri potest, attingatur: teste historia per hanc viam gravissimae de anima quaestiones ab Aristotelicis prosperrime pertractatae sunt.

30. **Psychologiae partitio.** Illam partitionem retinendam esse putamus, qua psychologiam dividunt in partes duas, quarum prior est de anima, ut est principium vitae in vivente corpore; altera de functionibus vitae intellectivae. Priorem nominant psychologiam naturalem sive physicam; alteram psychologiam metaphysicam. Nos tamen hanc metaphysicam vocari anthropologicam malumus. Etsi enim haec psychologiae pars primo loco continet considerationes de vita hominis intellectiva, quae sunt metaphysicae, tamen propter gravissimam rei utilitatem erit necessarium, ut post institutas considerationes metaphysicas revertamur ad considerandam vitam hominis physicam. Sunt enim in hac vita physica, quae clare perspicere non possis, nisi post diligenter perquisitam vitam intellectivam. In quo genere ea sunt, quae loquelam eiusque originem spectant, appetitum hominis sensitivum, huiusque cum voluntate et libero arbitrio connexionem, animae humanae immortalitatem et ultimum hominis finem, quantum id ad psychologiam spectat. Duarum igitur partium prior generalior erit: physica, altera specialior: anthropologica.

Post Wolffium nonnulli [1] psychologiam diviserunt in empiricam sive experimentalem, et rationalem sive metaphysicam (Log. n. 88); psychologiae empiricae id muneris incumbere, ut per modum historiae enarret operationes animae, ut eae per experientiam et observationem innotescant: psychologiae vero rationalis proprium esse, ut naturam animae eiusque facultatum secundum principia metaphysica perquirat. Verum inscienter haec divisio posita est. Nam et psychologia rationalis indiget experientiae et observationis, et psychologia empirica ad dignitatem scientiae evehi non potest, nisi ex eventibus expertis et observatis ad leges internas, ad perspiciendas causales connexiones, ad naturam tandem et essentiam ipsarum rerum perscrutandas assurgat. Quapropter in omni parte psychologiae et methodum empiricam et rationalem adhibendam esse diximus.

Et sane quidem psychologia empirica, quae revera id sit, quod nomine

[1] In Gallia Tissot, Anthropologie spéculative. Paris 1843.

exprimitur, esse non potest. Quotus enim quisque est, qui in explicandis phaenomenis ab altiore causarum investigatione abstinere possit?[1]

Admodum hodie divulgata est psychologia, quae ex scepticismo nata est, et ideo dicitur empirica sive phaenomenalis, quia qui hanc colunt, desperant quidquam ab homine cognosci posse praeter phaenomena.

Huic psychologiae empiricae viam latissimam aperuit Kant, qui divisionem Wolffianam retinuit, sed aliam vocibus vim dedit. Psychologiam empiricam[2] in ipso „Ego phaenomenico" versari dixit. Quoniam autem phaenomena psychica praeter successionem ex tempore nihil haberent, cui mathesis applicari posset, hanc psychologiam ex finibus scientiae exsulare iussit. Psychologiae autem rationali[3] nihil reliquit nisi „Ego numenicum", de quo nihil prorsus cognosci posset, quod vim obiectivam haberet (Log. n. 837 sqq.). Non opus est, ut iterum multis ostendamus, quantopere haec utraque Kantiana opinatio a recto veritatis tramite aberret, postquam id in Logica abunde demonstravimus.

Praeterea aliae occurrunt divisiones, velut ea, qua psychologiam dividunt in psychographiam, psychonomiam, psychosophiam.

Alii, inter quos Th. Ziehen, psychologiam distinguunt speculativam et empiricam; empiricam dividunt in autonomam sive transcendentalem, quae occupetur in investigandis eventibus psychicis, quatenus ab eventibus cerebralibus, qui istis sint paralleli, non pendeant; et physiologicam, quae haereat in perscrutandis eventibus psychicis ab eventibus celebralibus, qui paralleli sint, pendentibus; ad physiologicam spectare illam psychophysicam, in qua nexus inter phaenomena psychica et physica exprimatur computis mathematicis[4].

Sunt quoque, qui distinguant psychologiam generalem (numenologiam) et psychologiam specialem (phaenomenologiam). Ita Scheidler, Fischhaber, E. Schmidt, F. A. Carus, Ennemoser, Lichtenfels, Nüsslein. Alii a consideratione humani individui et societatis humanae trahunt psychologiae divisionem (Krause). Alii dicunt de psychologia iudiciali sive criminali (Metzger, Plattner, Hoffbauer, Grohmann, Heinroth, Regnault), de psychologia pathologica, et physiologica. H. Spencer psychologiam obiectivam et subiectivam distinguit.

Reperies etiam, qui, contenti phaenomenorum analysi, omnem synthesim ex psychologia exsulare iubeant. Qui dividunt psychologiam in partes duas, quarum prior sit de actibus et facultatibus animae, altera de natura animae. Cogitanti autem cuique apertum est, in hac re et morem veterum et principia retinenda esse, qui in omni scientia methodum analytico-syntheticum praescripserunt quantum fieri possit adhibendam esse (Log. n. 448). Quum in omni scientia, tum praecipue in psychologia est huius methodi necessitas. Plurima enim sunt, quae de phaenomenis psychicis explicari satis non possint, nisi post probatam ipsius animae naturam.

---

[1] Qua de re scite Harms: „Die empirische Psychologie ist stets nichts anderes gewesen, als eine philosophische Wissenschaft, welche die Grundlegung der Philosophie, der Logik und der Metaphysik, der Physik und der Ethik in sich enthalten und durch ihre exceptionelle Empirie gewinnen zu können glaubte" (Geschichte der Psychologie [edit. 2, Berolini 1879] p. 106).

[2] „Physiologie des innern Sinnes", vel „Naturgeschichte der Seele".

[3] „Seelenlehre".

[4] Th. Ziehen, Leitfaden der physiologischen Psychologie (Jena 1893) p. 3.

Nos igitur ex rebus expertis et observatis per analysim primo progrediemur ad cognoscendam ipsam essentiam sive substantiam, regressuri deinde per synthesim ad melius cognoscenda facta psychologica.

Moris est inter Peripateticos, ut post enarratam doctrinam per quaestiones de iis rebus disputetur, quae, quum graviores sint et difficiliores, subsunt variis dubitandi rationibus (Log. n. 408. 411. 1654). Id nunc de iis, quae diximus hactenus, efficiendum est, priusquam ad res ipsas veniamus.

Sunt vero res duae, de quibus hoc loco enucleatius disputandum esse videtur. Quaeremus primo, possitne esse vera de anima scientia, an ab initio de omni animae cognitione scientifica desperandum sit: deinde sitne psychologiae obiectum sive subiectum (Log. n. 466) recte indicatum.

Quaeritur primo:

possitne esse vera de ipsa anima scientia?

31. **Introducitur quaestio.** Peripatetici multi[1] in hac quaestione exordia psychologiae posuerunt, id tantum intendentes, ut haec res, a nemine olim serio in controversiam vocata, explicetur magis. Sed hodie iam a multis hac in re graviter errantibus cogimur propter rei necessitatem, ut rem in disputationem adducamus. Materialistae negant (Phil. nat. n. 181) animam esse, nisi velis motus mechanicos, de quibus satis in physica dictum sit, animam appellare. Empiristae ea tantum cognosci posse volunt, quae ipsa in se sensu percipi possint (Phil. nat. n. 7).

Rationes dubitandi. (1.) Assentiendum videtur materialistis, qui phaenomena vitalia vel psychica dicunt omni ex parte nasci ex irritatione physica (electrica, thermica, chemica) sive mechanica, hinc in processus physicos, qui sint in isto genere complicatiores, resolvenda esse. Quod si ita est, iam nulla praeter disciplinas naturales esse potest scientia, quae sit de anima. Psychologia ergo in physiologia inclusa erit. Vel dices psychologiam esse physiologiam, anatomiam, ethnographiam, linguisticam, physiognomiam, statisticam, zoologiam, botanicam, disciplinas reliquas, quae his finitimae sint, in unam scientiam comparativam collectas, quae una scientia propter ingentem obiecti amplitudinem in multas disciplinas divisa sit.

(2.) Et quamvis putes phaenomenis psychicis peculiarem indolem inesse, qua a phaenomenis reliquis diversa sint, tamen psychologia esse non posse

[1] Cfr. Tolet l. c. q. 1.

videtur scientia de anima vi huius vocis usitata. Nam anima nihil erit nisi collectio sive fasciculus ex phaenomenis psychicis constans. Iis igitur assentiendum esse videtur, qui ex mente Lockii et Condillac (Log. n. 1621 et n. 1625) psychologiam admittunt, ut est cognitio phaeomenorum psychicorum.

(3.) Vel sit etiam praeter phaenomena anima substantialis: sed quis unquam eam vidit, tetigit, audivit? Intellectus noster nihil intelligit, nisi quod aliqua ratione sensu percipitur. Sed anima non est sensibilis neque per se neque per accidens (Log. n. 655). Quoniam igitur ad cognoscendam animam substantialem nobis nullus apertus est aditus, cognoscendis phaenomenis contenti esse debemus.

(4.) Si de anima esset scientia, idem esset sciens et scitum. Verum id esse non potest. Nam quis experiri atque observare actus suos psychicos possit, quum, adveniente actu observante, actus observandus iam abierit? Hanc sapientiam in medium proferunt Aug. Comte (in Philosophia positivistica), H. Maudsley (in libro de animae physiologia et pathologia), F. A. Lange (in opere de historia materialismi conscripto), Guil. Wundt[1].

(5.) Id quod computis mathematicis subici non potest, nullius scientiae obiectum esse potest[2]. Quae res hodie multis placet, inter quos praecipuus I. F. Herbart[3]. Sed quis unquam animam considerationi gemetricae vel arithmeticae subdere serio conatus est? Et ne ipsis quidem phaenomenis psychicis praeter successionem in tempore quidquam dimensionis est, cui mathematicae rationes applicari possint.

(6.) Quum anima intellectiva duplicem exsistendi modum habere putetur, priorem, quum est in corpore, alteram, quum a corpore separata exsistet, certissimum esse videtur de hac anima a corpore separata nullam prorsus esse scientiam. Qui enim quaeso fieri possit, ut nos homines de ista animae conditione quidpiam cognoscamus?

32. **Dico:** Specialis esse potest de anima scientia. Nam universe insunt in rebus, quas viventes dicunt, phaenomena, quae ab omnibus vocantur vitalia. Sed de omnibus rebus, quarum effectus cognoscuntur, potest esse scientia. Nam effectus quilibet ponit causam certamque causae indolem. Causa autem phaenomenorum vitalium rei interna nuncupatur anima. Ex anima deinde tanquam ex causa rursus ad effectus vitales animae respondentes concludimus. Ergo de anima potest esse scientia. Atque haec scientia specialis est. Quoniam enim ex communi hominum doctorum indoctorumve persuasione phaenomena vitalia ab illis, quae vitalia non sunt, speciali indole discriminantur, etiam ipsa anima

---

[1] „Die Vorstellung eines solchen, der in die Selbstbeobachtung vertieft ist, wirkt fast mit unwiderstehlicher Komik; seine Situation gleicht genau der eines Münchhausen, der sich an dem eigenen Schopf aus dem Sumpfe ziehen will“ (Essays p. 136).

[2] „Wo es nichts mathematisch zu berechnen gibt, da ist keine Wissenschaft.“

[3] Cfr. Kant, Metaphysische Anfangsgründe der Naturwissenschaft, Vorrede.

speciali indole est praedita. De speciali autem re specialis est scientia.

33. Respondenda ad dubia ante posita. *(Ad 1.)* Non est dubium, quin permulta phaenomena psychica multiplici ratione a motu mechanico vel ab effectionibus physicis pendeant; — qua de re suis locis dicendum erit. Sed certum est iterumque dicetur enucleatius, eventus psychicos ab eventibus physicis penitus diversos esse. Nobis hoc loco satis esse potest, quod ipsi adversarii de phaenomenis vitalibus vel psychicis dicere solent tamquam de rebus, quae ab aliis rebus omnino differant. Ea autem externa, quae tantopere diversa sunt, habent etiam principia interna omnino diversa. Necesse est ergo de principiis phaenomenorum vitalium specialem esse scientiam.

(Ad 2.) Homo natura sua impellitur, ut non solum phaenomena cognoscat rerumve effectus externos, sed ut ad cognoscendas ipsas res phaenomenorumve causas internas progrediatur (Phil. nat. n. 9). Atque inter has causas etiam ipsa reperitur substantia (Log. n. 1460 sqq.).

Sed obiciunt: Qui animam esse volunt, interitum parant omni de rebus psychologicis scientiae. Quum enim cuncta repetant ex anima tanquam ex causa occulta, actum est de inquirendis causis veris et naturalibus, quae cognosci et computis mathematicis subici possint. In causa est anima. Res finita est! — *Respondeo:* Inanis timor est. Qui enim persuasum habent, accidentia vitalia inhaerere substantiae vitali, nullo modo campum investigandarum causarum phaenomenalium coartant. Neque quisquam ab anima ullo modo impediri potest, ne summa cum diligentia incumbat in detegendas connexiones et leges, quae sint inter eventus physicos et eventus psychicos.

(Ad 3.) Non est necesse, ut ea, quae sciantur, sint sensibilia. Sed satis est, ut earum rerum aliquis effectus sub experientia sensili fuerit. Ita de ipso Deo potest esse scientia propria. Errant praeterea, qui animam negant esse sensibilem per accidens. Dum enim est in composito, ipsa simul cum corpore substat accidentibus et passionibus, quae per se sunt sensibilia. De cognitione rerum psychicarum haec Aquinas: „Aliqua res potest cognosci dupliciter. Uno modo secundum id, quod est, alio modo quantum ad ea, quae ipsam consequuntur. Cognitio autem de re secundum id, quod est, potest dupliciter haberi, scilicet dum cognoscitur, quid est, et an est. Quid autem res est, cognoscitur, dum ipsius quidditas comprehenditur, quam quidem non comprehendit sensus, qui solum accidentia sensibilia, nec imaginatio, quae solum imagines corporum [percipit]; sed est proprium obiectum intellectus. . . Essentiam autem alicuius rei intellectus noster tripliciter comprehendit. Uno modo comprehendit essentias rerum, quae cadunt in sensu abstrahendo ab omnibus individuantibus, sub quibus cadebat in sensu et in imaginatione, et sic remanebit pura essentia rei. . . Alio modo essentias rerum, quas non videmus, cognoscimus per causas vel effectus eis proportionatos cadentes in sensu. . . Tertio modo . . . [per actum rationis investigantis, quid sit necessarium in actu aliquo ex proportione obiecti boni et finis]. Similiter an res sit, tripliciter cognoscit. Uno modo, quia cadit sub sensu. Alio modo ex causis et effectibus rerum cadentibus sub sensu. . . Tertio modo cognoscit aliquid in se ipso esse ex inclinatione, quam habet ad aliquos actus; quam quidem

inclinationem cognoscit ex hoc, quod super actus suos reflectitur, dum cognoscit se operari." [1]

(Ad 4.) Certum est (et ex modo dictis confirmatum) multa phaenomena psychica ab unoquoque nostrum in se ipso observari posse et multa etiam experiendo percipi. Vel quis nostrum est, quin ex sua ipsius experientia sciat, quid sit cognoscere, iudicare, velle? [2]

Sed praeterea alii etiam eventus psychologiae in promptu sunt. Reminiscimur affectionum psychicarum, quae praeterierunt. Alios deinde homines diversae omni genere indolis atque etiam res viventes reliquas diligenter animadvertere possumus. Atque ex his rebus et similibus cognitis ad cognoscendas causas per ratiocinia possumus pergere.

(Ad 5.) Vehementer errant, qui opinantur praeter mathematicam certitudinem scientiamve esse nullam; quamquam concedendum est mentem humanam haud raro percelli gravius certitudine mathematica (Log. n. 185).

(Ad 6.) Etiam de anima separata acquirere possumus scientiam. Nam ex iis, quae habuit in corpore, concludi potest ad aliqua, quae ipsi etiam separatae conveniunt [3].

---

[1] 3, dist. 23, q. 1, a. 2. Et de reflexione haec addit Aquinas: „Animam reflecti per cognitionem supra se ipsam, contingit dupliciter. Uno modo, secundum quod potentia cognoscitiva cognoscit naturam sui vel eorum, quae in ipsa sunt; et hoc est tantum intellectus, cuius est quidditates rerum cognoscere. Intellectus autem sicut alia cognoscit se ipsum, scilicet per speciem non quidem sui, sed obiecti, quae est forma eius; ex qua cognoscit actus sui naturam, et ex natura actus naturam potentiae cognoscentis, et ex natura potentiae naturam essentiae et per consequens aliarum potentiarum; non quod habeat de his omnibus diversas similitudines, sed quia in obiecto suo non solum cognoscit rationem veri, secundum quod est eius obiectum, sed omnem rationem, quae est in eo; unde et rationem boni; et ideo consequenter per illam eandem speciem cognoscit actum voluntatis, et similiter etiam alias potentias animae et actus earum. Alio modo anima reflectitur super actus suos cognoscendo illos actus esse. Hoc autem non potest esse ita, quod aliqua potentia utens organo corporali reflectatur super proprium actum (quia oporteret, quod instrumentum, quo cognoscit se, caderet medium inter ipsam potentiam et instrumentum, quo primo cognoscebat). Sed una potentia utens organo corporali potest cognoscere actum alterius potentiae, in quantum impressio inferioris potentiae redundat in superiorem, sicut sensu communi cognoscimus visum videre. Intellectus autem quum sit potentia non utens organo corporali, potest cognoscere actum suum, secundum quod patitur quodammodo ab obiecto et informatur per speciem obiecti. Sed actum voluntatis percipit per redundantiam motus voluntatis in intellectu ex hoc, quod colligantur in una essentia animae; et secundum quod voluntas quodammodo movet intellectum, dum intelligo quia volo, et intellectus voluntatem, dum volo aliquid, quia intelligo illud esse bonum" (ibid. ad 3).

[2] Neque tamen in dubium vocare volumus, quin haec sui ipsius observatio in multis rebus deficiat. Hac de re cfr. Volkmann l. c. I, 42.

[3] Tolet. l. c. concl. 4.

Quaeritur secundo:

sitne anima obiectum psychologiae?

34. Rationes dubitandi. Non anima [1], sed ipsum corpus vivum videtur esse huius scientiae obiectum. Nam: (1.) Illud scientiae est obiectum, cui passiones sive proprietates insunt, quae in scientia considerantur. Sed corpori viventi insunt passiones, quas considerant psychologi, velut *videre, irasci.*

(2.) Earum rerum, quae in psychologia ponuntur, plurimae ex se corpus vivum spectant, non vero animam.

(3.) Praeterea id tantum pro obiecto psychologiae haberi potest, quod esse certo constat. Sed nondum est probatum esse in corpore vivente animam.

(4.) Quod si homini constat se habere animam, id ipsi abunde aperitur per immediatam conscientiam, nec quidquam aliud homini aperiri potest de natura

---

[1] De significatione vocis haec dicit Horwicz: „Das Wort Seele leitet Adelung ab von Sawl, Sahl, Grimm von Saiva, Saivala (gotisch). Sawl, Sahl bedeutet eine in unartikulirtem Geräusch sich kundgebende Kraft, dann auch hohler (tönender) Raum, Saal; Saivala See, treibende Kraft. Hiernach zeigt unser Wort Seele in seiner Wurzel die doppelte Grundbedeutung eines hohlen, innern Raumes und einer wirkenden Kraft. Die letztere Bedeutung zeigt auch das nah verwandte Ziel und erzielen. Beide Bedeutungen, des Innern und der wirkenden Kraft, zeigt nun das Wort ‚Seele' bis auf den heutigen Tag nicht nur in seiner Hauptbedeutung, sondern auch in den mannigfachen Nebenbedeutungen (Seele heisst z. B. der hohle Raum des Kanonenrohrs oder des Gewehrlaufs, die Blase im Gänsekiel und im Hering, die Spindel in der Spinnerei u. s. w.). Von nicht so tiefer ursprünglicher Bedeutung zeigen sich die Synonyma ‚Geist' und ‚Gemüth' sowie die griechischen und lateinischen Ausdrücke für diese und Seele. Geist, Gescht, Gischt bedeutet wie *ψυχή*, *πνεῦμα* und *anima* ein Hauchen, Blasen, Sprudeln. Es ist demnach klar, dass unser deutsches Wort ‚Seele' den Inbegriff unseres innerlichen Lebens sowohl am allgemeinsten als auch am tiefsten erfasst in dem doppelten Sinne einer innerlichen und wirkenden beherrschenden Potenz. Bedeutsam ist auch die Etymologie des mit Seele begrifflich nahe verwandten Wortes Leben; es stammt von der Wurzel lib, liben = Geräusch machen, bewegen, davon leuen, schreien, Leben machen. Das Bedeutsame ist, dass der Leib, diese Basis oder dieses Product des Lebens (wie man will), auf eine ganz ähnliche Wurzel zurückgeführt wird: lîb, davon kliben, beliben, kleiben, kleben, linquere — lassen, bleiben. Daher bedeutet Leib zugleich eine zusammenhängende, zähe Masse, Klumpen; in diesem Sinne spricht man auch jetzt noch in allen deutschen Mundarten von einem Laib Brod. Auffallend ist es, dass diese beiden Wurzeln von so verschiedener Bedeutung sprachlich einander so nahe stehen, dass man geneigt wird, sie für eine zu halten, was auf den sehr engen Zusammenhang deutet, in welchem Leben und Leib zu einander stehen: beide werden dann auch später völlig gleichbedeutend gebraucht: ‚Leib und Leben', ‚am Leibe strafen', ‚den Leib verlieren' u. dgl." (Psychologische Analysen).

suae animae. Ergo saltem anima humana ab obiecto psychologiae excludenda est.

Sed contra: (5.) Sola anima rationalis, quae est in homine, obiectum psychologiae esse potest. Quid enim homini commune est cum plantis et bestiis?

Dico: Anima est proprium psychologiae obiectum, et non corpus animatum [1]. Nam obiectum scientiae id vocatur, in quo ea scientia versatur, inquisitura naturam eius et proprietates (Log. n. 466). Atqui psychologia investigat naturam et proprietates principii vitalis, quod animam vocant; corporum vero viventium naturam et proprietates eatenus tantum perquirit, quatenus eae ex principio vitali profectae sunt.

Praeterea is est finis psychologiae, ut investigetur, quae sit in corporibus viventibus ultima vitae ratio interna sive ratio formalis, ex qua fit, ut sint viva. Sed hanc rationem animam esse arbitrandum est. Ergo anima est proprium psychologiae obiectum.

35. **Respondenda** ad rationes dubitanti. *(Ad 1.)* Passiones illae in corpore vivente quidem reperiuntur, sed ab anima proveniunt, et hoc modo a psychologis perquiruntur.

(Ad 2.) Animam esse obiectum psychologiae proprium esse diximus. Obiectum, si minus stricte vel proprie acceperis, latius patet. Saepe enim ad obiecti proprii intelligentiam necessarium est, ut ea attendantur, quae cum isto arcte coniuncta sunt. Animam solam obiectum huius scientiae esse dicimus, non quod corporis cognitio omnino negligenda sit, sed ut intentionem huius scientiae significemus ex se et directe ferri ad cognitionem animae.

(Ad 3.) Non est dubium, quin in re vivente insit vitae principium sive anima, quaecunque illa est. Omnis enim effectus respondentem sibi causam supponit. Sitne vero anima substantia, an accidens reale, an sola materiae modificatio, an solus motus localis, an aliud quidpiam, id nunc sub inquisitionis initiis nondum definimus.

(Ad 4.) Anima humana se ipsam intervenientibus suis actibus duplici modo cognoscere potest. Priore modo particulariter, quum Plato vel Socrates percipit se habere animam intellectivam eo, quod percipit se intelligere. Altero modo universaliter, quum naturam humanae mentis consideramus proficiscentes ex consideratis intellectus actibus. Et differentia est inter has duas cognitiones, quia ad priorem satis est ipsa mentis praesentia. Sed ad alteram praesentia satis non est, sed diligens requiritur et subtilis inquisitio. Quam ob rem multos videmus naturam animae ignorare et multos etiam in iudicanda natura animae erravisse graviter [2]. Itaque reflexio conscientiae quidem requiritur, ea tamen satis non est, sed accedere debet diligens observatio et ratiocinatio tum ut recte percipiamus actus, tum ut recte ab actibus concludamus ad animae potentias et naturam, tum ut ex natura animae percepta recte concludamus ad alias

[1] Cfr. Tolet. l. c. q. 4.

[2] S. Thom., S. theol. 1, q. 87, a. 1.

animae proprietates. Ex quo satis apparet, quam sit necessarium, ut ad experientiam et diligentem factorum observationem accedant ratiocinationes.

(Ad 5.) „Omnis creaturae aliquid habet homo, ut est apud Gregorium [1]. Habet namque commune Esse cum lapidibus, Viaere cum arboribus, Sentire cum animalibus, Intelligere cum angelis.“ Est igitur homini cum beluis et plantis communis illa vita, quae organis corporeis absolvitur et hinc dicitur organica. Ubi vita in corpore, ibi anima; unde vocem animae ad unam vitae speciem restringere non licet. Anima humana pro sua dignitate id habet, ut locum obiecti primarii obtineat. Et commode accidit, ut homines, bestiae, plantae in una scientia simul considerentur. Nam hoc modo discrimen ingens, quod est homines inter et corpora viventia reliqua, praesertim bestias, clarius elucescit [2].

Et solent hodie ad melius animam humanam cognoscendam subsidia quaerere ex scientia linguistica, ethnographica, ex historia, psychiatria; et recte id quidem: numquid ad eundem finem minus emolumentorum exspectandum est ex studio vitae beluinae? Accedit, quod multa principia biologica, quin immo ipse vitae conceptus, ex omnium viventium, quae in natura exstant, contemplatione haurienda sunt. Quid tandem, quod adversarii asseverent considerationem principii vitalis, quod beluis vel plantis insit, minus homine dignam esse, quam studium botanicae et zoologiae, vel legum physicarum vel chemicarum?

36. Scholion. Sunt, qui in hac quaestione adsciscant distinctionem inter obiectum formale quod et obiectum formale quo. Obiectum formale quod illud dicunt esse, quod per se consideratur, quod corpus animatum esse dicunt. Obiectum quo formale duplex iterum distinguunt: in Esse scibilis, quae est ratio, propter quam res a potentia attingi potest; in Esse rei, quod est illud, ratione cuius constituitur „obiectum quod“ in sua specie. Et hoc modo animam volunt esse „obiectum quo“.

---

[1] Greg. Papae hom. 29 in evang. Marci.

[2] Inter illos, quos evolutionistas hodie vocant, haud paucos reperies, qui etiam ex ipsa hominum cum bestiis comparatione argumenta conquirant ad ostendendam hominum ex bestiis originem (cfr. Tito Vignoli, Ueber das Fundamentalgesetz der Intelligenz im Thierreiche. Leipzig 1879. Erstes Kapitel: Nothwendigkeit der vergleichenden Psychologie). Hos propriis ipsorum armis convincendos esse, nemo est quin videat.

PARS PRIOR.

PSYCHOLOGIA PHYSICA SIVE NATURALIS.

37. **Ordo doctrinae.** Sicut pars, quae est psychologiae altera, quam „anthropologiam“ dicimus, ab aliis vocatur „psychologia metaphysica“, ab aliis „pneumatologia“, ita haec pars prior, quam nos nominamus „psychologiam physicam“ sive „naturalem“, ab aliis appellata est „psychologia biologica“, ab aliis „biologia philosophica“.

Obiectum, de quo per hanc partem disputamus, est anima, quae corpori viventi vitam praebet. Quam ob rem cunctae huius partis disputationes ad id diriguntur, ut acquiratur cognitio altior corporis animati sive viventis corporei, quae species est sub genere corporis naturalis, de quo diximus in Philosophia naturali.

Et haec quidem pars continet libros duos, quorum prior est de viventis essentia sive natura. discursu analytico ex phaenomenis observatis cognoscenda; alter est de viventis functionibus organicis, discursu synthetico ex cognita viventis natura melius perspiciendis.

LIBER PRIOR.

DE VIVENTIS ESSENTIA SIVE NATURA.

Haec de natura viventis tractatio duabus disputationibus absolvitur, quarum prior est de viventis natura in communi; in altera dicetur de natura viventis in viventium speciebus singulis, sive de principiis vitalibus in specie. Universaliora enim monet Aristoteles ex se prius tractanda esse quam particularia; et ex particularibus prius ea, quae sint apertiora.

Disputatio prior.

De vita et anima generatim accepta.

Quoniam anima ex vita actuali a nobis cognoscitur, oportet videre, quid sit vivens, quid sit vita, quid sit anima. Unde 1° dicendum erit de vita actuali in corporibus, quae aperte vivunt: 2° de conceptu vitae; 3° de discrimine inter viventia et non viventia; 4° de vitae viventiumque divisione; 5° de vitae substantialitate, sive de anima quae sit substantia.

SECTIO PRIMA.

De corporibus viventibus.

38. **Quid veniat nomine corporis organici.** Universum genus corporum naturalium dividunt in duos ordines, quorum prior continet corpora organica sive organismos; alter corpora anorganica.

1. Organismus est corpus ex partibus dissimilaribus ad certas operationes idoneis per propriam ipsius organismi naturam ita constructum, ut omnes partes mirabili ordine consociatae ad perfectionem ipsius corporis ex se conspirent tanquam ad finem unum. „Iam membrorum," ut est apud Tullium, „id est partium corporis, alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, ut ea, quae sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta sit a medicis etiam disputatur; alia autem nullam ob utilitatem quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis, viris mammae atque barba."[1] Et ipsae illae partes dissimilares vocantur organa, i. e. instrumenta sive media, quibus perfectio totius corporis a toto corpore appetitur. Haec organa quoad indolem et dispositionem ab ipso corpore, in quo insunt, determinata sunt, ab hoc corpore producuntur, conservantur, diriguntur ita, ut organismus ipse sit sibi ipsi quodammodo causa exemplaris, efficiens, finalis.

In rebus anorganicis reperitur quidem constructio quaedam secundum certas leges producta; sed hae res omnes partibus homogeneis constant, neque ullas habent functiones ad certas et diversas operationes directas in ipsius rei perfectionem. Sed unaquaeque pars agit tanquam ab aliis non pendens. Partes igitur in rebus anorganicis putari non possunt esse instrumenta a re tota tanquam ab agente principali adhibita.

Duo nobis hoc loco praestanda sunt: prius, ut describamus corporum viventium organa, alterum, ut videamus, quaenam vita

[1] Cic. l. 3 de fin. bon. et mal. c. 5.

insit in unoquoque organismorum genere. Descriptio organorum organicarumque operationum accuratior ad psychologiam non spectat, nisi praesuppositive, et a scientia naturali (praecipue ab anatomia et physiologia) petenda est. Quam quum lectoribus notam esse ponamus, eas tantum res hoc loco in memoriam vocare volumus, quibus declaretur, quantopere psychologo anatomiae et physiologiae notitia sit utilis. Aquinas, Aristotelem secutus, ad eas res tanta accuratione advertit, ut multis visus sit supra modum commiscere anatomiam physiologiamque cum psychologia. Primo dicemus aliquid de corporibus viventibus in generali, deinde de functionibus vitalibus, ac tertio de organis cognitioni inservientibus.

§ 1. Describuntur organa eorumque functiones.

I. Organismus eiusque structura.

39. Organismi descriptio generalior. A tota organismorum fabricatione atque a figura et perfectione naturae vivae universe considerandā exordium petimus. Quae res iam veteribus visa est esse digna, quam summa admiratione prosequamur.

At fieri nullo modo potest, ut paucis plagulis comprehendamus cuncta, sed satis nobis esse debet, ut excerpamus nonnulla speciminis causa. „Quum tribus rebus animantium vita teneatur," ut est apud Tullium, „cibo, potione, spiritu, ad haec omnia percipienda os est aptissimum, quod adiunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur atque ab his extenuatur et molitur cibus. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt; quae confectio etiam a lingua adiuvari videtur. Linguam autem ad radices eius haerens excipit stomachus, quo primum illabuntur ea, quae accepta sunt ore. Is utraque ex parte tonsillas attingens palato extremo atque intimo terminatur. Atque is agitatione et motibus linguae quum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autem partes eae, quae sunt infra quam id quod devoratur, dilatantur, quae autem supra, contrahuntur. Sed quum aspera arteria, sic enim a medicis appellatur, ostium habeat adiunctum linguae radicibus paullo supra, quam ad linguam stomachus annectitur, eaque ad pulmones usque pertineat excipiatque animam eam, quae ducta sit spiritu, eandemque a pulmonibus respiret et reddat: tegitur quasi quodam operculo, quod ob eam causam datum est, ne, si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed quum alvi natura subiecta stomacho cibi et potionis sit receptaculum, pulmones autem et cor extrinsecus spiritum adducant: in alvo multa sunt mirabiliter effecta, quae constant fere e nervis. Est autem multiplex et tortuosa arcetque et continet, sive illud aridum est sive humidum quod recipit, ut id mutari et concoqui possit, eaque tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accepit, cogit et confundit, ut facile et calore, quem multum habet, atterendo cibo, et praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur.

„In pulmonibus autem inest raritas quaedam et assimilis spongiis mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima; qui tum se contrahunt aspirantes, tum respiratu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes. Ex intestinis autem et alvo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad iecur, per quasdam a medio intestino usque ad portas iecoris, sic enim appellantur, ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent. Atque inde aliae pertinentes sunt, per quas cadit cibus a iecore dilapsus. Ab eo cibo quum est secreta bilis iique humores, qui e renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt ad easdemque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius viae pertinent: per quas lapsus cibus in hoc ipso loco in eam venam, quae cava appellatur, confunditur, perque eam ad cor confectus iam coctusque perlabitur; a corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes. Quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab ipso spiritu, deinde contagione pulmonum, ex eaque pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant; cui similis alter adiunctus est, in quem sanguis a iecore per venam illam cavam influit. Eoque modo ex his partibus et sanguis per venas in omne corpus diffunditur et spiritus per arterias. Utraeque autem crebrae multaequae toto corpore intextae vim quandam incredibilem artificiosi operis divinique testantur. Quid dicam de ossibus, quae subiecta corpori mirabiles commissuras habent et ad stabilitatem aptas et ad artus finiendos accommodatas et ad motum et ad omnem corporis actionem? Huc adde nervos, a quibus artus continentur, eorumque implicationem toto corpore pertinentem, qui, sicut venae et arteriae, a corde tracti et profecti in corpus omne ducuntur.“ [1]

Atque haec paucissima exempli causa indicavimus, ut vocemus in memoriam, plurima iam a veteribus — praecipue medicis — de organismorum institutione et accurate investigata et iucunde explanata esse.

Plurima ex iis, quae a veteribus ad explicandam hanc fabricam mirabilem dicta sunt, scimus nostro tempore rebus melius perspectis correcta esse et in omnes partes ita amplificata, ut permagnum librum scribere oporteat, si eas res vel leviter attingere velimus.

40. Plantas quod attinet, etiam breviores esse possumus. Res notissima est, praecipuas partes plantarum perfectiorum esse radicem, truncum, ramos, folia, flores. Radix pars est multis poris et meatibus amplioribus exstructa, qua planta succum nutritium ad sui conservationem excipit. In radice reperies medullam, corticem, corpora lignosa trachiis perforata, aliaque, quae res inde traducuntur ad truncum et ramos.

Organa omnia, quae in plantis reperiuntur, putari possunt oriri per metamorphosim ex quattuor formationum generibus: ex

[1] L. 2 de nat. deorum c. 55.

trunco sive caulomo, ex foliis sive phyllomo, ex radicibus, ex crinibus sive trichomo.

41. Structura organismorum. Omnis fere organismorum structura cellulis[1] constituitur, id quod in plantis est manifestius. Cellula iustar vesiculae membrana constat, plasmate parenchymo, nucleo. Membrana externa undique clausa in se substantiam solido-liquidam et admodum contractilem — parenchymum vocant — continet, vel potius varias substantias. — Harum substantiarum coniunctionem in plantis protoplasma vocant, in animalibus sarcodem (sarcodam). De animalibus postea.

Intra protoplasma vix non semper est nucleus quidam, qui ex materia protoplasmatica condensata efficitur. Intra vero nucleum ut plurimum sunt nucleoli. Praeter protoplasma etiam aliae substantiae in cellulis repertae sunt, velut aqua, amylum, saccharum, guttulae olei, grana chlorophylli, quibus in plantis efficitur color viridis, aliae.

Vita cellulae tres functiones habet: a) nutritionem, quo nutrimentum, quod processibus chemicis praeparatum ope endosmosis per membranam penetrat, in substantiam protoplasmatis vivam convertitur; b) augmentationem sive incrementum cellulae vivae, quod ex nutritione sequitur; c) productionem novarum cellularum viventium. Haec productio fit aut ad evolvendum magis ipsum organismum, aut ad novum individuum organicum producendum. Multiplicari autem solent cellulae per quandam scissionem[2].

Et cellulae quidem, quae progrediente organismi evolutione oriuntur, magna varietate inter se distinguuntur. Quae formae sive figurae diversitas partim originaria est, i. e. ex interna cellulae evolutione exorta, partim acquisita, forinsecus accepta ex multarum cellularum coniunctione, pressione.

Forma originaria esse potest a) vesicularis, i. e. ea, cuius longitudo aliquid superat latitudinem (ovalis, elipsoidica); b) tubicularis, i. e. ea, cuius longitudo multum superat latitudinem; c) spiralis, quum in cellula

[1] Cellularum vocem primus adhibuit Rob. Hooke. Ipsas cellulas organicas primi detexerunt Marcello Malpighi, Nehemias Grew (1671). Eas proposuerunt explicatius Casp. Fred. Wolff, Rob. Brown (invenit nucleum), Meyer, Mohl, Schleiden, Theod. Schwann, Ed. Strassburger, Oscar Hertwig (Die Zelle und ihre Gewebe; Grundzüge der allgemeinen Anatomie und Physiologie. Jena 1893).

[2] Opinabantur nuper, fieri, ut cellulae in organismo etiam ex se solae oriantur (Freie Zellbildung). Nunc autem res certa est, omnem cellulam ex cellula vel potius omnem nucleum ex nucleo per scissionem oriri. Vide sis Strassburger, Zellbildung und Zelltheilung. Jena 1881.

ad interiorem membranae partem fibrae iacent ad modum spiralis vel anulorum; quae fibrae modo fractae sunt, modo continuae; d) angularis vel alterius formae irregularis.

Haud raro cellulae porosae sunt, i. e. in rebus ad interiorem partem membranae externae appositis sunt parva foramina, quae in duabus cellulis coniunctis sibi respondent, ita ut res fluidae vel endosmosi per membranam, vel deficiente etiam membrana per apertam viam ex una cellula in alteram transire possint. Et hoc quidem de formis originariis.

Forma acquisita esse potest prismatica, cylindrica, dodecaëdrica, muriformis, vel etiam ea, quae describi vix possit. Et saepe etiam evenit, ut cellulae cum aliis cellulis coniunctae omnem formam cellularem amittant et in fibras, tubos, res similes concrescant.

Ex cellularum varia coniunctione construnctur texturae cellulares, prout eae ad varios obtinendos fines idoneae sunt. Ex variarum coniunctione texturarum construuntur quae vocantur organa. Et omnis haec constructio primo ab ipso organismo pendet et ab eius natura determinatur, ita ut eadem sit in omnibus unius speciei individuis, sit vero specifice diversa pro specifica organismorum diversitate.

Ex omnibus denique organis integer organismus constituitur. In quo fines omnes diversorum organorum conspirant ad obtinendum finem unum, qui in vita totius organismi perficienda situs est.

Et longissima est series evolutionum vel transformationum, per quam singula organa paullatim efformantur, quae quidem organa, postquam efformata sunt et perfecta, pro vita organismi magnum momentum habent; quamdiu autem in via evolutionis sunt imperfecta, ipsi organismo potius oneri et impedimento sunt [1].

42. Corpora organica certam in evolutione sequuntur ipsius materiae constitutionem internam certamque formam sive figuram externam secundum typum naturae insitum. Et tanta est in ea re varietas, ut plantarum species numerentur saltem 150 000, et animantium saltem 125 000. His vero rebus peculiaris quidam status aggregationis est proprius, quem liquido-solidum vocant. Ex quo fit, ut organismi ut plurimum circumscribantur lineis curvis, horreant figuras geometricas et lineas rectas mathe-

[1] „Unter einem Organ versteht man einen Zellentheil, eine Zelle oder einen Zellcomplex, welche zu einer bestimmten Function geeignet sind. Als Gewebe kann jeder Zellcomplex bezeichnet werden, dessen Zellen nicht bloss in einer, sondern mindestens in zwei Richtungen des Raumes zusammenhängen“ (M. Westermaier, Kompendium der allgemeinen Botanik [Freiburg 1893] p. 49).

maticas. Est deinde certus terminus magnitudinis, ultra quam corpora organica non extenduntur; atque etiam certum ipsis durationis tempus praefixum est, ultra quod exsistere non possunt, sed senescente vita emoriuntur [1].

Res vero anorganicae figuram sive formam non habent nisi eam, quae ex viribus materiae naturalibus resultat. Quod si in statum solidum transferuntur, rectas lineas mathematicas sequuntur, ad certos angulos concurrentes. Neque magnitudinis certus terminus ipsis praestitutus est, neque certum durationis tempus habent.

43. Compositiones chemicae, quae sunt in corporibus organicis, ut plurimum admodum complexae [2] sunt et facile mobiles atque solubiles [3]. Cellulosa constare videtur ex $C_{24}\ H_{21}\ O_{21}$; protoplasma ex $C_{40}\ H_{62}\ O_{12}\ N_{12}$; lecythinum ex $C_{44}\ H_{90}\ N\ P\ O_9$. Compositionum organicarum pars plurima hactenus nondum extra organismos productae sunt. Earum tamen aliquae, quae simpliciores sunt, a chemicis specialem artem vel dispositionem adhibentibus effici possunt. Distinguere solent, qui dicunt accuratius, inter materias organicas, et organizatas. Organicae sunt, quae in natura non reperiuntur nisi in organismis, ortae tamen sunt per solam compositionem chemicam. Organizatae sunt, quae habent partes dissimilares constructas in usum vitae. Illae per artem chemicam effici possunt, hae vero non [4].

---

[1] „Umgeben von der Fülle der Mittel, deren der Organismus zum Leben bedarf, entsagt er dem Leben, wenn seine Stunde gekommen ist. Der Eintritt dieser Stunde wird durch die Species bestimmt, deren Glied das Einzelwesen ist, und erklärt sich aus keinem andern Grunde als dem die Species beherrschenden Gesetz" (Ita Henle, Anthropologische Vorträge fasc. 2 [1880], p. 91).

[2] Testatur J. Reinke: „In chemischer Hinsicht besitzt das Protoplasma, auch der niedrigsten Organismen, ein hochcomplicirtes Gefüge." Et enumeratis 39 variis materiis compositis, quae in protoplasmate aethalii septici ab ipso repertae sint, edicit: „Die Eiweissstoffe betragen zusammen kaum 30 % der Trockensubstanz. Damit dürfte wohl jene Vorstellung für immer beseitigt sein, derzufolge das Protoplasma aus Eiweiss bestehen sollte, und namentlich wird man aufhören, eine nackte Plasmazelle einem Eiweissklümpchen gleichzusetzen" (cfr. Botanische Zeitung 1881 Nr. 48. Naturforscher 1880 p. 25. Untersuchungen aus dem botanischen Laboratorium der Universität Göttingen 1881 fasc. 1; et librum: Studien über das Protoplasma. Berlin 1881).

[3] Cfr. Pflügers Archiv für Physiologie XXV, 150. Quo in loco ostendere conatur auctor, ab hac facili mobilitate chemica universam vitam organismorum repetendam esse.

[4] „Der intelligente Wille des Chemikers kann die Elemente zwingen, ausserhalb des Organismus zu solchen (organischen) Verbindungen zusammen-

Ex chemicis multi inter res organicas et organizatas ponunt medias, quas organogenas vocant, quae sunt substantiae organicae maxime compositae et ex iis structurae organizatae proxime oriuntur, in quo genere est substantia albuminis, cellulosae.

Ad compositionem accedere specialem solubilitatem diximus. Dum in anorganicis aequilibrium est stabile et firmum, res organicae in aequilibrio labili vertuntur et continenter turbantur. In his coniunctiones adducuntur usque laxiores, in quibus vires et calor quodammodo coacervantur, quae dein per respirationem ad vitae utilitatem solvuntur.

44. Systema nerveum in communi[1]. Generatim distinguitur systema cerebrospinale (quod sit organum vitae sensitivae[2]), et ganglionare sive nervus sympathicus (a quo potissimum vita vegetativa absolvatur[2]).

In utroque systemate pars quaedam centralis habetur, varia complectens centra nervosa. In priore est cerebrum; in posteriore sunt gangliones in variis partibus positi, praecipue in sympathico, qui inter se funiculis medullaribus colligati sunt.

Systema ganglionare non re tota et omni ratione ab altero systemate pendet, sed ex se suas functiones exsequitur. Sed tamen tum per structuram (anatomice) tum per functiones suas (physiologice) cum systemate cerebrospinali cohaeret.

Duplex nervorum genus distinguunt, sensitivos, qui ex potiore parte centripetales sunt, et motores, qui ex munere suo vim potius centrifugalem habent. Ad motores reducuntur nervi secretorii, regulatorii, quietivi, alii.

Nervorum pars maxima ex medulla spinali egrediuntur, atque id per radices duas, quarum posterior sensationi, anterior motioni inservit. Quae fibrae iam intra medullam spinalem usque ad cerebrum inter se sunt separatae.

Et medulla spinalis, etsi primas partes in eo habet, ut sit

---

zutreten, die, wie Harnstoff, Tannin, Chinin, Kaffeïn, die Farbstoffe der Gewächse u. s. w., keine vitalen, sondern nur chemische Eigenschaften haben, deren kleinste Theilchen sich zu Krystallen ordnen. Aber nie wird es der Chemie gelingen, eine Zelle, eine Muskelfaser, einen Nerv in ihrem Laboratorium darzustellen" (Liebig, Chemische Briefe I, 356. 357).

[1] De constitutione anatomica cerebri et medullae spinalis praeclare scripserunt: Wernicke, Lehrbuch der Gehirnskrankheiten. Obersteiner, Anleitung beim Studium des Baues der nervösen Centralorgane. 1892. Edinger, Vorlesungen über den Bau des Centralnervensystems.

[2] Sed etiam pro vita vegetativa nervi gravissimum momentum habent. „Das Nervensystem regulirt den gesamten Stoffwechsel und die gesamte Ernährung und beeinflusst die Störungen" (Ebstein).

quasi ligamen intermedium inter cerebrum et nervos, tamen aliquam habet, ut sic dixerim, subordinatam independentiam.

Certum est, nervorum vim et efficaciam a massa et crassitudine minime pendere.

45. Nervi omnes eiusdem plane structurae et compositionis esse videntur. Et constant quidem fibris et cellulis, ita ut cellulis munus princeps tribuendum esse videatur, fibrillis autem munus tantum traducendarum affectionum.

Cellulas scimus continere nucleum cum tenaci protoplasmate, in quo multae granulae insunt.

Nervi, qui diversis organis inserviunt coniungentes ea cum cerebro, nullo discrimine, quod specificum sit, inter se differunt.

Fibra unaquaeque cuticula elastica circumvolvitur et praeter cylindrum quem vocant ut plurimum massam quandam albumineam et adipem continet. Ita aliquam cum filis telegraphicis similitudinem prae se fert. Et id sibi proprium habet, ut, quo longior sit fibra, eo fortior sit excitatio.

Fibrae nerveae omnes nascuntur ex cellulis. Falsi sunt, qui putabant fibrarum aliquas ex quibusdam formationibus reticulatis originem ducere. Hae enim formationes non sunt fibrarum radices, sed potius ramosa cornua.

Oriuntur autem fibrae partim ex cellulis centralibus, partim ex cellulis periphericis. E periphericis nascuntur fibrae, quae sunt in filis olfactoriis. Ex centralibus oriuntur fibrae, quae motui inserviunt, quae sunt vel cerebrospinales, vel in sympathico; atque etiam eae, quae sunt in nervis sensibilibus periphericis.

Cellulae singulae habent apophyses sive processus interdum unius, interdum duplicis generis. Distinguunt enim apophyses nervosas et protoplasmaticas sive dentrites. Hae apophyses partim in fibras transeunt, partim in innumerabiles ramiculos solvuntur.

Cellulae et fibrae inter se sunt contiguae, ita ut solus contactus satis sit ad functiones varias coniungendas.

Multae sunt res, ex quibus appareat, cellulas potius quam fibras in functionibus superioribus, ut sunt sensationes, impulsus ad efficiendos motus spontaneos, occupatas esse [1].

46. **Encephalum sive cerebrum.** Systema cerebrospinale, animalia perfectiora quod attinet, centrum quoddam habet sive partem principalem, quae vocatur encephalum, vel cerebrum. Cerebrum igitur in illis animalibus est organum centrale facultatis sensitivae. Nam „oportet illud principium sensitivum commune habere aliquod organum, quia pars sensitiva non habet aliquam operationem sine organo“.

Praeter centralem situm et magnitudinem et mirabilem complicationem multa sunt, unde principatus cerebri supra reliqua

[1] Ita Alb. de Kölliker anno 1891; cfr. Biologisches Centralblatt 1892 Nr. 2.

organa vitae sensitivae concluditur. Laeso vel male disposito cerebro activitas sensitiva mirum quantum immutatur. Vehementi sensuum internorum operatione cerebrum fatigatur, id quod vel somniantes experiri possunt. Itaque cerebrum pars principalis est principii sensitivi, nervi sunt partes illius principii interni, sed subordinati.

Organum hoc ex massa quadam molli et pulposa constituitur. Cuius chemica constitutio eadem fere est, quae nervorum.

Tres sunt cerebri partes principes: cerebrum maius, quod proprie dicitur cerebrum, et continetur in superiore parte cranii a fronte usque ad occipitium; cerebrum minus sive cerebellum, quod sub posteriore parte cranii est; medulla spinalis oblongata, quae in columnam vertebralem protenditur.

Tria sunt totius cerebri et medullae spinalis velamenta: Dura mater vel Meninx fibrosa, quae externa est et partem habet cephalicam et partem spinalem. Pars cephalica cruciatum quendam processum sive eminentiam cruci similem habet. Velamentum medium est Arachnoidea sive Meninx serosa, quae iterum cerebralis est et spinalis. Velamentum tandem tertium est Pia mater sive Meninx vasculosa.

Cerebrum ipsum et cerebellum altiore quodam sulco in partes duas aequales dividuntur; quae hemisphaerae cerebri et cerebelli vocantur.

In omni hemisphaerarum superficie gyri occurrunt sive confractus, qui sulcis multis inter se separati sunt, in quorum parte exteriore substantia quae vocatur cinerea sive corticalis reperitur, in interiore vero parte substantia medullaris. In his autem gyris et sulcis nulla symmetria inest[1].

Illi, qui cranioscopiae navant operam (inter quos Gall), censent solos gyros illos, qui reperiantur in superficie superiore hemisphaerarum, esse organa vitae cognoscitivae.

Hemisphaeras coniungit pars, quae vocatur Corpus callosum, sive Commissura maxima, sive Trabs cerebri, quae in parte anteriore descendit usque ad Corpora mammillaria.

In hemisphaeris insunt qui vocantur Ventriculi laterales vel tricornes. Ex ventriculis enim eminent Cornua, quae in massam usque medullarem protenduntur.

[1] „Dass Unsymmetrie und Vermehrung der Gyri, sowie besondere Tiefe der Zwischenfurchen bei geistvollen Menschen vorkommen, mag seine Richtigkeit haben; wurde jedoch von mir und andern auch im höchsten Grade des Blödsinns gefunden“ (Hyrtl, Lehrbuch der Anatomie [ed. 10] p. 775).

In cornu anteriore ventriculorum sunt Corpus striatum, Thalamus opticus, Stria cornea. In cornu posteriore sunt Calcar avis, Eminentia collateralis. In cornu inferiore Cornu Ammonis et Fimbria.

Infra trabem cerebri reperitur Fornix tricuspedalis et Ventriculus medius sive tertius; in quo est Septum pellucidum. Huius ventriculi parietes tribus Commissuris coniunguntur. Infra commissuram anteriorem est Aditus ad infundibulum; infra posteriorem vero Aditus ad aquaeductum Sylvii.

Infra ventriculum tertium ad quartum est Corpus quadrigeminum (vocatur a veteribus cerebri Nates et Testiculi), in cuius parte anteriore desuper pendet Glandula pinealis sive Conarium.

Partem inferiorem cerebri si perscrutamur, partes reperiemus, quae vocantur Substantia perforata anterior, Chiasma sive Decussatio nervorum opticorum, Tuber cinereum cum Infundibulo, Hypophysis cerebri (a veteribus Sentina vocata vel Glandula pituitaria), Corpora mammillaria sive Globuli medullares, Crura cerebri sive Pedunculi.

Cerebelli hemisphaerae in superficie inferiore coniunguntur parte, quae vocatur Pons Varoli sive Nodus cerebri.

Per Medullam oblongatam sive Bulbum medullae spinalis cerebrum cum ipsa medulla spinali coniungitur. In hoc bulbo reperies Pyramides, Olivas, Corpora restiformia.

In superficie superiore hemisphaerae cerebelli coniunguntur aliqua parte, quae vocatur Vermis superior.

In unaquaque hemisphaera distinguitur Lobus superior, anterior et posterior.

47. Medullae spinalis nucleus substantia cinerei coloris constituitur, qui substantia albicante circumvolvitur. Haec corticula fibris nerveis constat. In substantia cinerea cellulae potiores sunt, quam fibrae.

Ex cerebro duodecies bini nervi proficiscuntur.

1. Nervi olfactorii; 2. Nervi optici, in Chiasmate convenientes, iterum vergunt in duas partes; 3. Nervi oculomotorii; 4. Nervi trochleares sive pathetici; 5. Nervi trigemini; 6. Nervi abducentes; 7. faciales; 8. Nervi acustici; 9. Nervi glossopharyngei; 10. Nervi vagi sive pseumo-gastrici; 11. Nervi recurrentes sive accessorii; 12. Nervi hypoglossi sive loquentes.

Ex medulla spinali trigesies semel bini nervi proficiscuntur, qui distinguuntur in collares, dorsales, lumbales, sacrales.

Nervos diximus esse aut sensitivos aut motorios. Hi inter se separati irritationes inter se communicare non possunt, nisi interveniente cerebro vel medulla spinali. Et unusquisque nervus plurimis fibrillis constituitur, quae inter se separatae sunt. Hae fibrillae nerveae crassitudinem habent 0,0006‴—0,0085″.

Ex veterum opinatione non cerebrum, sed cor pro centro vitae organicae habebatur. Dicit Aristoteles, sensationem expetere sibi organum similare, actionem autem sive motum organum dissimilare. „Sed quum vis sentiendi, vis movendi, vis nutriendi eodem in membro contineantur, necessarium est, ut membrum, quod primum principia eiusmodi teneat, et partes similares habeat, quibus capax sit omnium sensibilium, et partes dissimiliares eo, quod movens et agens est . . .; in animali compote sanguinis cor tale habetur membrum.“ [1]

II. Functionum vitalium enarratio.

48. **Operationes organicae.** De differentiis morphologicis satis diximus; differentias dynamicas quod attinet, breviores esse possumus, quamquam hae praestantiores sunt; quo enim ens est nobilius perfectiusve, eo potius et magis suam essentiam manifestat in suis actionibus, quam in suis formis apparentibus. Haec actio organismis propria cernitur in assumptione, praeparatione, intussusceptione nutrimenti et assimilatione, in succorum circulatione, in respiratione, secretione. Et ipse organismus haud raro sese ipse variis motibus circumagit, mutat, modificat. Et omnes vires physicas chemicasque fere sine interruptione ex statu aequilibrii naturalis eicit easque ad novos usque processus ineundos quasi cogit [2]. Organismus denique totus omnes suas partes et

[1] L 2 de part. anim. c. 1, 647 a, 24.

[2] „Vom chemischen Standpunkte aus kann man die lebende thierische Zelle als eine Combination verschiedener chemischen Substanzen ansehen, die sich stets nur in einem labilen Gleichgewicht befindet, die unbeständig im höchsten Grade und in jedem Augenblick bereit ist, durch Oxydation oder Spaltung in Körper von geringerer Complicirtheit zu zerfallen, wobei jeder Schritt abwärts im Process der Auflösung die Ursache für das Freiwerden einer gewissen Menge von Energie ist. Solche explosions- oder auch stufenweise erfolgenden Zersetzungen finden fortwährend, solange das Leben dauert, statt, und chemisehe Umbildungen und chemische Zersetzungen sind daher der wesentliche Theil in der Lebensgeschichte der Zelle oder des Organismus, dessen integrirendes Glied sie ist. . . . Dieses fortwährende Freiwerden von Energie, das so charakteristisch für die lebende thierische Zelle ist, und das auf dem unausgesetzten Zerfall der lebenden Substanz des Organismus beruht,

vires quodammodo coniungit intrinsecus et unit ad assequendum finem unum, qui est totius organismi perfectio.

49. Nutriuntur organismi et augentur per continuum fluxum materiae, ita ut, eodem perdurante totius typo, aliae usque partes materiae abeuntibus succedant, dum contra in rebus anorganicis, eadem perdurante materia, alii post alios typi succedere possunt. In organismis nova materia non recipitur per externam partium iuxtapositionem, neque per solam harum partium in rem ipsam immissionem. Sed induntur hae partes schemati totius organismi, prout perfectioni totius conveniens est. Quae immissionis ratio intussusceptio vocari solet. „In hoc consistit intussusceptio" — ut est apud Lotze — „ut nulla corporis pars possit se sola et sine habita totius ratione forinsecus materiam in se suscipere. Sed quidquid recipitur, primo ad totum spectat, quo omnibus et singulis partibus id distribuitur, quod ad conservandum totum conveniens est." [1]

Incrementum cellularum fit per modum intussusceptionis, id quod multis rebus observatis a Nägeli confirmatum est. Verum praeter intussusceptionem etiam „appositioni" locus est secundarius [2].

Res anorganicae, si interdum augentur, crescunt per solam novarum partium appositionem.

Recte in nutritione distinguunt assimilationem sive mutationem materiae brutae in organicam, et continuum fluxum materiae. Assimilatio ista in plantis, quae non petunt nutrimenta sua ex residuis organicis aliorum organismorum, per chlorophyllum efficitur, et ad processum desoxydationis, ut aiunt, reducitur; contra in animalibus processus est oxydationis.

50. Ortus novi individui organici, qui in natura fieri solet, vocatur generatio; si universe accipiatur, dicitur esse mutatio a Non-esse ad Esse in aliquo subiecto. Cui opponitur corruptio, quae est mutatio ab Esse ad Non-esse in aliquo subiecto. Generatio generatim in ortu rerum naturalium locum habet, quam ob rem ab Aristotele dicta est esse via ad naturam. Sed praecipue dicitur de viventibus, in quibus quippe ortus novorum individuorum magis in aperto positus sit. Haec viventium generatio a philosophis describi solet, ut sit origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinem naturae. Oritur enim individuum novum

---

hat die Forderung nach Nahrungsmaterial zur Folge" (Ita R. H. Chittenden, American Naturalist XXVIII, 100; Biologisches Centralblatt XIV. Bd., Nr. 9).

[1] Allgemeine Physiologie des körperlichen Lebens (Leipzig 1881) p. 159.

[2] Cfr. M. Westermaier l. c. p. 28 sqq.

in coniunctione cum individuo generante. Quod si de causis generationis quaeras, causam materialem id esse assignant, quod ab antiquiore organismo transit in generandum; causa efficiens in vivente antiquiore sita est. Causam finalem in eo cernes, quod generatum, in qua ratione producitur et constituitur, generanti secundum naturam speciei sit simile, atque hoc modo natura generantis specifica in alio simili latius propagetur. Causa denique formalis in ipsa similitudine sita est, qua generatum generanti est simile, quatenus haec similitudo per generationem tamquam per quandam assimilationem procreata est. Ipsa igitur generationis formalitas in propagatione naturae ut similis sive in expressione similitudinis consistit.

In rebus anorganicis nihil in hoc genere reperies. Sed omnes hae res, si mixtae sunt (Phil. nat. n. 633), ex elementis speciei diversae oriri solent.

51. Generatio in rebus viventibus experientia teste fit aut per monogenesim aut per digenesim[1].

Monogenesis fit aut per generationem fissiparam aut gemmiparam aut sporiparam.

In generatione fissipara[2] sola scissione vel decisione novum individuum constituitur eo modo, quo ex una linea per divisionem oriuntur lineae duae. Quae generatio efficitur aut scissa cellula in cellulas duas pluresve, aut scisso toto organismo (id quod in vorticellis accidit).

Neque minus in generatione gemmipara (sive externa, sive endogena), sola scissione vel decisione individuum novum oriri videtur (in ascidiis, cestodibus, salpidis), quia gemmae, antequam ab organismo solvuntur, naturam habent, quae est in toto organismo, quoad structuram eadem.

In generatione sporipara, quum sporae diversam ab indole totius indolem habeant, non sola scissione vel decisione novum individuum oritur, sed aliquid diversae rationis producitur, quod per modum germinis sive seminis perfecti ipsa novi individui initia continet.

In generatione digena sive digenesi duae cellulae requiruntur, quae in individuis diversi sexus parari solent, quam ob rem digenesim sexualem vocant[3].

[1] Arist. l. 1 de generat animal. c. 1.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. un. de spirit. creat. a. 1 ad 19.

[3] „In his, quae habent vitam perfectam, distinguuntur agens et patiens

Atque hae cellulae ad producendum novum organismum inter se uniri debent. Et eam ut plurimum diversitatem prae se ferunt, ob quam cellula ovuli a cellula spermatis fecundari debeat [1].

Interdum tamen in organismis imperfectioribus (velut in ctenophoris, cirripediis, tunicatis, ascidiis) ovulum non indigere videtur, ut fecundetur ex altero individuo; et iam generatio fit, quae, quia sexualis non est, vocatur parthenogenetica [2].

Hoc loco in mentionem cadit metagenesis, quae fit per generationum varietatem in una eademque generationum serie; atque etiam polymorphismus, quo in eadem viventium specie multiformis proles producitur. Metagenesis est, quum formarum diversitas in individuis tempore inter se succedentibus secundum mutatas generationes deprehenditur, velut quum una generatio sexualis est, altera, quae sequitur, nutricularis. Hanc detexerunt apud salpas (Chamisso 1819), medusas, aphidas, trematodes (Steenstrup 1842), alias (ita aurelia quattuor formas induit: gastrulae, scyphostamatis, strobilae, ephyrulae). Dimorphismus vel polymorphismus est, quum in duobus vel pluribus individuis eiusdem speciei simul exsistentibus natura diversitatem formarum inducit. Id fit vel ob diversa munia vitalia obeunda (velut in dimorphismo sexuali vel in formis apud apes, formicas occurrentes), vel ob diversitatem conditionum externarum (velut in bestiis, quae vocantur ascolotl et amblystoma) [3]. Quibus omnibus in formis observandum est, earum unamquamque habere relationem essentialem ad alias, easque virtute continere, ita ut ad speciem unam reducendae sint.

Fieri quoque potest, ut maior formarum diversitas reperiatur in individuo uno, in quo plures formae subito et per saltus quasi inter se succedunt, quod fieri scimus in ranis, papilionibus, multisque arthropodis. Quam rem metamorphosim appellant.

52. De generatione viventium olim gravis erat inter viros sapientissimos opinationum diversitas, utrum generatio omnis in natura sit univoca, an etiam accidat generatio aequivoca (Log.

---

in generatione propter perfectam generationem in eis. In plantis autem, quae imperfectam vitam habent, est in eodem utraque virtus, activa scilicet et passiva, quamvis forte in una planta dominetur virtus activa et in alia virtus passiva: propter quod dicitur etiam una planta masculina et alia feminina" (S. Thomas 3, dist. 3, q. 1, a. 1 solut.).

[1] „Das Ei erfährt durch die Befruchtung einen Impuls, der specifisch umgestaltend auf seine Lebenserscheinungen einwirkt" (Kölliker, Entwicklungsgeschichte des Menschen [2. Aufl.] p. 378).

[2] Cfr. Owen, On parthenogenesis, or the successive production of procreating individuals from a single ovum. 1849. De Siebold, Wahre Parthenogenesis bei Schmetterlingen und Bienen. 1856. Hanc in natura contingere suspicatur Aristoteles l. 6 de hist. animal. c. 13. Cfr. Conimberic. l. 1 de generat. c. 4, q. 27, a 1.

[3] Qui dimorphismus ab aliquibus, inter quos R. Leukart, falso heterogonia vocatus simpliciter nomen dimorphismi retinuit.

n. 1599, 3). Constat generationem quandam aequivocam fieri per hybridismum (velut *mulus* ab equo et asino generatur). Praeterea veteres plantas imperfectiores atque etiam beluas ex putri materia generari posse putabant. Oculo enim quasi videre sibi videbantur organismos istos semine destitutos esse.

Sententiam similem S. Augustinus proposuerat. „Omnium rerum," inquit, „quae corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in istis corporei mundi huius elementis latent. . . . Et quamvis aliquando semen oculis videre nequeamus, ratione tamen conicere possumus, quia, nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerumque nascerentur ex terra, quae ibi seminata non essent." [1]

Sed rebus melius perspectis communis est recentiorum sententia nullum vivum oriri nisi ex vivo eiusdem speciei, ita ut semen individuorum futurorum efficiatur ab ipsis individuis antecedentibus. Longum est atque etiam supervacaneum ducimus afferre de hac re doctorum virorum multa testimonia (Phil. nat. n. 189) [2].

---

[1] L. 3 de Trinit. c. 8, n. 13.

[2] 1. Huxley (On our knowledge of the causes of the phenomena of organic nature p. 80) historicam relationem de experimentis ad generationem spontaneam praesertim a D. Pasteur institutis sic concludit: „The result of Mr. Pasteur's experiments proved therefore in the most conclusive manner that all the appearences of spontaneous generations arose from nothing more than the disposition of the germs of organisms which were constantly floating in the air. . . For my own part, I conceive that with the particulars of Mr. Pasteur's experiments before us, we cannot fail to arrive at his conclusions; and that the doctrine of spontaneous generation has received a final coup de grace." — 2. Mr. H. N. Hartley (Procedings of Royal Soc. of London XX [1872], 157: On the evolution of life from lifeless matter), postquam experimenta de novo exactissime instituerat et insufficientiam et defectus experimentorum D. Child, D. Bastian ostenderat, sic concludit: „The theory [the evolution of life *de novo*] involves the discovery of a new property of matter, the property that certain compounds (undefined introgenous particles in the atmosphere) must have of decomposing molecules of other substances with which the are in contact, and building out of their constituant atoms substances of a much more complicated nature without the exertion of internal forces; even beyond thus they must be capable of arranging those compounds into definite forms. In the course of nature complex substances do not increase, but modify their molecular complexity. The oxydation vegetable products are resolved into carbonic, acid and water: we find no tendency in these oxydes of carbon and hydrogen to become reduced to such products as sugar, starch or cellulose; nay, much farther, we know no process by which such transformation might be effected, still less are we acquainted with any internal forces which can mould them into cells with functions to perform. On this account, a very great deal of thoroughly sound experimental evidence is necessary to establish

Certum est igitur res organicas non oriri nisi ab aliis individuis eiusdem speciei, ita ut cellula primitiva uniuscuiusque organismi oriatur ex cellula alia. Oritur autem individuum novum fecundatione cuiusdam cellulae sive eo, quod substantia pollinis, postquam intravit in cellulam, quae tamquam ovulum in ovario praeparata est, ibi corpusculum germinale fecundat, quod fecundatum sese ad cellulam individuo novo destinatam evolvit. Ex hac cellula deinde per iteratam nuclei et protoplasmatis divisionem cellulae multiplicantur.

Dum cellulae, quae evolvente sese organismo oriuntur, magno inter se discrimine tum externo tum interno differunt, unaquaeque cellula, ex qua novum individuum organicum oritur, habet formam sphaericam vel elipsoidicam eandem pro diversis organismorum speciebus.

53. Haec omnia, quae diximus, efficiuntur motibus multiplicis generis, quos extra in natura frustra quaeres. a) In vivente protoplasmate is motus est, ut massa fluida (vocatur enchylema) agatur tum per circulum in parte protoplasmatis exteriore, tum per filamenta protoplasmatis, quae per cellulam protenduntur ad nucleum usque, tum via inversa a nucleo ad membranam usque. Ipsa vera protoplasmatis filamenta incredibili varietate huc illuc moventur, per cellulam sese extendunt atque retrahunt, ita ut totum protoplasma motu multiplici atque perpetuo agitari videatur. Atque ipse etiam nucleus modo in medio, modo in latere hoc vel illo positus esse videtur. Qui motus omnis in organismis eiusdem speciei idem est, in organismis specierum diversarum diversus. b) Est praeterea in rebus organicis motus multiplex tum intra tum extra cellulas secundum leges physicas absolvitur, praecipue per endosmosim et exosmosim; qui tamen motus, quum secundum speciales structuras cellulares peragatur, naturae et perfectioni uniuscuiusque organismi in unaquaque specie accommodatus est. Et hi quidem motus peculiari ratione illo motu protoplasmatis, qui ex huius contractilitate efficitur, adducuntur atque iuvantur. c) Praeter hos et alios motus physicos sine interruptione contingunt in organismo plurimi processus chemici per multiplicem analysim atque synthesim, qui, etsi fiunt secundum leges generales chemicas, tamen plurima habent, quae sibi propria sunt, ita ut a chemicis omnibus chemica disciplina dividatur in organicam et anorganicam.

Quae res omnes, etsi partim a causis externis atque a conditionibus materialibus pendent, ea tamen constantia et eo ordine

---

the doctrine of evolution of life *de novo*. But so far as our present knowledge guides us, wether we term it spontaneous generation, abiogenesis, archebiosis, the process by which living things spring from lifeless matter, must be said to be only ideal." (Cfr. etiam D. Beale, Protoplasm.)

cum natura organismi cohaerent, et organismi perfectioni inserviunt, ut nullus dubitationi locus relinquatur, quin eae ex potiore parte ab ipsius organismi natura determinentur.

54. Operatio cognoscitiva. Multas ex rebus organicis habere novimus vim cognoscendi. Cognitio est res primigenia et pari evidentia nobis nota atque aliud quidpiam vel evidentissimum. Quare non definiri, describi vix potest. Est unicuique homini per experientiam propriam apertissimum, quid sit Cognoscere (Log. n. 89). Hac experientia teste in cognitione est quaedam impressio, quam accipit qui cognoscit e re obiecta; quam impressionem sequitur in cognoscente expressio illius obiecti in subiecto immanens, qua subiectum sibi ipsi rem obiectam praesentem sistit cum aliqua sui conscientia (Log. n. 106, schol. 1).

Cognitionem igitur nemo dixerit esse effluxum sive egressum quendam cognoscentis in rem cognitam, id quod in actionibus naturalibus contingit, quas ideo „transeuntes" vocant. Sed cognitio indicat potius exsistentiam cogniti in cognoscente, qui cognoscendo fit quodammodo etiam id, quod cognoscit. Quae res comprobatur illis vocibus, quas omnes homines usurpare solent, quum de cognitione loquuntur, velut: capere, apprehendere, habere in mente, incidere in mentem, e mente elabi. Quibus dictis apparet, naturam rei non cognoscentis ad se ipsam coarctatam esse, naturam vero rerum cognoscentium habere maiorem amplitudinem et extensionem. „Cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum, sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius; nam species cogniti est in cognoscente." [1]

Distinguunt cognitionem intellectivam, quae rationes universales et immateriales percipere et his manducentibus supra materialia ulterius elevari et ad cognoscenda omnia entia ascendere possit; et sensitivam, quae inter limites huius mundi materialis contineatur (Log. n. 31 sqq.). Sensatio igitur est cognitio organica versans in sensibilibus, ut sensibilia sunt. Sensatio, si vis vocis latior accipitur, habet in se sensationem subiectivam (affectionem subiectivam) et sensationem obiectivam (perceptionem); haec vi vocis propria sensatio est [2]. Haec sensatio ex se est perceptio obiecti; semper tamen aliquam perceptionem affectionis subiectivae comitem habet.

Quum experientia teste saepenumero sensationibus res obiectae vere percipiantur a nobis, erroris convicti sunt ii, qui notionem cognitionis ad solas cognitiones intellectivas coartare volunt [3].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 14, a 1. [2] Empfindung und Wahrnehmung.

[3] Inter hos, ut exemplo sit locus, Rosmini cognitionem definit „apprehensionem intellectualem"; Locke eam vocat „formale mentis iudicium".

Cognitio sensitiva omnium animalium est propria, cognitio intellectiva solis hominibus attribuenda est.

Multi ex recentioribus dicunt in cognoscitiva vita rem primigeniam esse „repraesentationem". Ita praecipue Herbart eiusque discipuli. Ad repraesentationes omnia reducenda esse. Ex quibus multi repraesentationibus attribuunt realitatem substantialem easque inter „realia" reponunt.

Alii (cfr. Volkmann l. c. I, 168) repraesentationem dicunt esse statum animae, quo haec exprimit oppositionem suam ad realia, quae ipsi praesto sint [1].

III. De organis cognitioni inservientibus.

55. Cerebri functio. Organum universe acceptum scimus esse partem viventis alicui vitae functioni inservientem. Organum, quo functio sensitiva efficitur, sensorium dicitur. Distinguunt sensorium internum, quod est cerebrum, et sensoria externa, quae sensibus externis constituuntur. Internum cum externis coniungitur intermediis nervis sensitivis.

Vix in ulla parte corporis scientia anatomica et physiologica tantam operam collocavit quam in perscrutando cerebro. Nihilominus cum veritate dictum est: Obscura textura, obscuriores morbi, functiones obscurissimae.

Sed a priori cordato cuique homini constare debet, incredibilem illam in textura cerebri complicationem non esse frustra, quin immo secundum structuram anatomicam et processus quasi mechanicos cerebrum ita compositum esse, ut vires chemicae et

---

[1] Dicit Volkmann: „Vorstellung ist Ausbildungsmoment der Seele von innen aus." „Die Vorstellung ist weder ein Abbild des Aussendinges, noch eine äusserlich veranlasste Selbstevolution des Geistes oder des ihm immanenten Vorstellungsvermögens. . . . Das Verdienst, den richtigen Begriff der Vorstellung angebahnt zu haben, gebührt zumeist der Kant'schen Schule, insbesondere Reinhold. Nach Reinholds Theorie gehört zu jeder Vorstellung ein Stoff und eine Form. . . . Deutlicher bezeichnet Schelling die Vorstellung als das gemeinschaftliche Product des Ich und des Nicht-Ich, durch beide bedingt. . . . Benecke erblickt in der Vorstellung ‚die Ausfüllung des von innen kommenden Unvermögens durch von aussen her hinzutretende Reizelemente'. In der englischen Associationspsychologie der Gegenwart ist der Gedanke, dass zur Bestimmung der Vorstellung Subject und Object, Ich und Nicht-Ich gleichmässig zusammenwirken, zur allgemeinen Anerkennung gekommen. Ribot bezeichnet ihn mit Recht als eines der unumstösslichsten Resultate derselben" (l. c. p. 172 sqq.). „Der Begriff der Vorstellung fällt mit dem Begriff der Empfindung zusammen, demgemäss wir die Empfindung als den von der Seele bei Veranlassung des ihr entgegengebrachten Nervenreizes entwickelten Zustand zu definiren haben" (l. c. p. 213).

physicae quam plurimae in usum vitae adsciscantur. Constare quoque debet, inter operationes materiales cerebrique structuram et operationes percipiendi, imaginandi, memorandi, aestimandi eam esse conditionem, ut utrumque ab altero aliqua ratione pendeat; exsistere etiam quoad speciem organo imprimendam processum quendam receptivum, processum vero proiectorium quoad speciem exprimendam (Log. n. 848. 849).

Quod si locus concedatur rationabilibus suspicionibus, dicemus, fibrillis illis, quae prope substantiam cineream utriusque hemisphaerae constituunt substantiam medullarem coloris albicantis, transferri impressiones acceptas a rebus extraneis ad cellulas, quae cellulae istas impressiones recipiunt earumque vestigia retinent. Cellularum in ista substantia cinerea plus quam millies milliones sunt.

Ganglii sive nuclei subcinericii coloris, constantes cellulis, qui sunt infra substantiam medullarem albicantis coloris, destinati esse videntur ad coniungendas fibras sensitivas cum fibris motoriis; neque inepte iudicat, qui efficientiam physicam, quae simul cum acceptis speciebus impressis in nervos sensitivos exerceatur, transmutari putet et simul cum aliis energiis ad efficiendos motus adhiberi.

Quod si cellulas substantiae cinereae inter se variis fibrarum fasciculis quasi per reticulam connexas videmus, haec rerum apparatio ad servandam facilius unitatem activitatis cerebralis et ad iuvandam associationem imaginum destinata esse videtur.

Et illud etiam ex admirabili cerebri mechanismo concludere licet, in quolibet actu sensitivo involvi processum quendam physico-chemicum (vel motum quendam molecularem electro-chemicum), qui, ut est processus naturalis, causam habeat in aliquo processu antecedente; qui tamen processus, ut sunt simul processus psychici, eveniunt simul secundum normam intentionalem intrinsecus determinantem.

Quam ob rem mirum esse non potest varias cerebri dispositiones materiales, velut magnitudinem, pondus, tortuositatem, humiditatem vel siccitatem, pressiones sanguinis et quae sunt in hoc genere aliae, non sine momento esse ad id, ut cerebrum sit instrumentum magis minusve aptum ad obeundas functiones sensitivas. Neque mirum est, in variis animantium generibus reperiri diversas proprietates materiae cerebralis pro maiore minoreve perfectione functionum sensitivarum.

De cetero observandum est, dubium non esse, quin natura, sicut ubique, ita etiam in exornando cerebro egerit ad opulentiam. Sunt duae hemisphaerae, quamvis licet alterutra ad vivendum absolute satis sit. Permultae sunt partes, quae non solum ad Posse, sed ad facilius et perfectius posse datae esse videntur.

56. **Nervi.** Iis, quae supra (n. 44) de nervis sunt dicta, haec addimus.

Nervi qui vocantur sensitivi vim habent, ut simul cum rebus externis inserviant producendis affectionibus subiectivis vitae sensitivae, atque iis phaenomenis sive repraesentationibus, quibus intervenientibus res externae a nobis cognoscuntur.

Excitantur nervi sensitivi in extremis suis partibus; idque fit per irritationem, contactu et pressione, motu alicuius corporis, oscillatione aëris, vibratione aetheris, vel etiam, id quod in calore conducto accidere videtur, vibrationibus minimarum partium voluminalium alicuius corporis.

Irritationes generatim internae sunt aut externae.

Internae ex centris quae vocantur automaticis proficiscuntur vel ex certis quibusdam cellulis; in quarum numero sunt motus instinctivi et spontanei. Irritationes externae aut illae sunt sensitivae, quae pro diversis sensibus specifice diversae sunt, aut communes, quae unicuique sensui applicari possunt, quae esse possunt mechanicae, thermicae, electricae [1].

Ad efficiendam vero rei externae cognitionem non satis est sensus externi irritatio; sed hanc sequi debet nervi sensitivi excitatio ad cerebrum usque. Cum cerebro enim nervi omnes in rem unam coniuncti sunt. Cognitio non immediate in mundum externum quasi egreditur a cerebro, sed ab illo organo externo, quod erat irritatum.

57. Motus, qui ab animalibus secundum cognitionum normas efficiuntur, scimus vocari spontaneos. Quorum motuum exsecutio exordia sua habet in nervis, quos motorios vocant. A nervis motoriis excitantur musculi, quibus motus isti ad effectum adducuntur eo, quod hi certo modo laxati vel contracti laxant quoque et trahunt varias partes corporis. Quum hac musculorum activitate producantur effectus mechanici, patet musculos sub hoc respectu subiacere legibus mechanicis. Per experientiam constat,

[1] Druck und Stoss, chemische Processe, Temperaturschwankungen, elektrische Bewegungen.

musculos activitate sua producere calorem, imminuere elasticitatem suam.

Ut nervi suae ductionis munere fungantur, requiritur continuitas anatomica (contiguitas satis non est) atque etiam nervi integritas. Quae in nervo insunt fibrillae, unaquaeque pro se seorsim accepta, ductionem efficiunt; sunt enim per totam viam hae fibrillae inter se separatae. Potest vero nervus irritari et excitari non solum in organis terminalibus, sed in omni parte sua; id vero per naturam nunquam contingit, sed per violentiam tantum (sive morbo, sive laesione). Et effectus omnis irritationis, sive naturalis sive violentae vel artificialis, quoad qualitatem a modo irritationis non pendet, sed totus a natura uniuscuiusque fibrillae nerveae. In nervo motorio efficitur contractio mechanica; in nervo sensitivo affectio aliqua psychica, velut dolor, vel apparens luciditas, vel strepitus; atque hae affectiones sentienti apparent non in loco irritationis violentae, sed eo in loco, quo fibrillis naturaliter irritatis apparere solent. Hanc naturam singulis fibrillis nerveis propriam „energiam specificam" nominare solent (cui tamen voci ab aliis notio recta, ab aliis perversa subicitur).

58. Per electricitatem nervi in aliquo statu („electrotonum" vocant) poni possunt, in quo eorum excitabilitas admodum mutata est[1].

Etiam a calore sive temperatura haec excitabilitas dependet; non tamen constat, possitne aliquis nervus excitari ipso calore. Effectibus vero mechanicis id facile fieri potest; difficilius effectibus chemicis.

Irritatio nervorum naturalis sive normalis in nervorum extremitatibus vel in organis ad id destinatis efficitur. Et irritationem sequitur excitatio secundum certas leges, de quibus physiologi multum disputant.

De processibus chemicis[2], mechanicis, electricis, qui in ipsis nervis accidant, admodum exigua est physiologorum scientia.

---

[1] „Die Erregbarkeit ist erhöht in der catelectrotonisirten Strecke (d. h. zu beiden Seiten der negativen Electrode), herabgesetzt dagegen in der anelectrotonisirten Strecke (d. h. zu beiden Seiten der positiven Electrode)" (Pflüger).

[2] Quae sint in nervis elementa chemica, probe cognoscimus: „Zu den normalen Bestandtheilen des Gehirns zählen wir Wasser, verschiedene Albuminate, Cerebrin, phosphorhaltige, fettartige, in Aether lösliche Stoffe, phosphorsaure Alkalien, anorganische Salze u. s. w. Das Rückenmark ist weit ärmer an Wasser und weit reicher an in Aether löslichen Stoffen als das Gesamt-

Abhinc a multo tempore inquisierunt physiologi, quanam re constituatur coniunctio illa, qua per nervos organa extrema cum cerebro connectantur. Primo rem posuerunt ut motionem sive tractionem mechanicam sive rectam sive vibratoriam [1]. Alii negotium spiritibus vitalibus attribuerunt, qui nervos huc illuc percurrerent. Hansen anno 1743 primus electricitatem in auxilium vocavit [2], quem plurimi postea secuti sunt.

Quod si quaeras, qua ratione negotium istud conficiatur, apud physiologos nostrae aetatis nihil reperies praeter opinationes ingeniose sane excogitatas. De theoria moleculari dicunt, aut alterationis, aut electrotoni. Has omni certitudine vacuas vel paucis describere supervacaneum est [3].

---

gehirn. Gehirn, Rückenmark und Nerven reagiren während des Lebens und im Zustande der Ruhe neutral; durch erschöpfende Thätigkeit aber und beim Absterben tritt saure Reaction ein. Aus allen quantitativen Bestimmungen der Gehirnbestandtheile haben sich für pathologische Verhältnisse gar keine Aufschlüsse ergeben. Die in Aether löslichen Stoffe stehen in einer bestimmten Beziehung zur Entwicklung des Gehirnes; im Gehirn der Neugeborenen treten sie sehr zurück" (Gorup-Besanez, Physiologische Chemie p. 647). Quae vero sit harum rerum pro vita utilitas, ignoramus, vel suspicione tantum attingere possumus.

[1] Cfr. Haller, Elementa physiologiae corporis humani IV (Lausanne 1762), 357. 373.

[2] Cfr. Du Bois-Reymond, Untersuchungen über Thierelektricität II, 1, p. 211.

[3] Apud Hermann leguntur haec: „Die Beseitigung der molecularen Theorie des Nervenstroms, des Actionsstroms und des Electrotonus, ferner die Erkenntniss des Ablaufs der Actionsstromwelle im polarisirten Nerven sind Momente, welche auf neue Wege zum Verständniss der Nervenfunctionen hinweisen. Man könnte vor allem versucht sein, rein chemische Theorien der Erregung aufzustellen. Wir haben gesehen, dass manches für die Annahme spricht, dass die Nervenfaser eine äusserst unbeständige, gleichsam explosive Substanz enthält, welche sich auf den leisesten Anstoss (Reiz) spaltet. Es wäre nicht unmöglich, sich Verkettungen vorzustellen, durch welche diese Spaltung sich schnell von Theilchen zu Theilchen fortpflanzt, etwa wie in einer abbrennenden Pulverlinie. Aber mag auch an dieser Vorstellung etwas Richtiges sein, so fehlt doch jedenfalls noch ein fundamental wichtiges Glied; warum nämlich spaltet sich auf den Anstoss des Reizes nicht der ganze Vorrath jeder Stelle, sondern nur ein der Reizgrösse annähernd proportionaler Antheil? Es muss also die Verkettung längs des Nerven derart sein, dass sie nicht allein den Process weiter leitet, sondern ihn auch an Ort und Stelle quantitativ beschränkt. Sehen wir nun, ob nicht die bereits bekannten Thatsachen auf eine solche Verkettung hinleiten. Unzweifelhaft sind die beiden wichtigsten Sätze der allgemeinen Nervenphysik das Gesetz der elektrischen Erregung und das Gesetz des Actionsstroms. Das erstere Gesetz lautet: Eine Nervenzelle

Inter nostrae aetatis physiologos reperies quoque, qui non solos nervos, sed etiam musculos negotio sensationis inservire dicant. Sed alii facta, quibus isti ad probandam opinationem suam utuntur, a fibrillis nerveis per musculos diffusis repetunt, quae admodum tenues sint.

59. **Organa sensationis externa et primo organum visus.** Nunc de iis partibus corporis dicendum est externis, quae ad sensationem rerum externarum referuntur, sive ut sensoria sive saltem ut media. Haec distinguuntur in simplicia, quorum apparatus simpliciores sunt; et in composita, quae apparatus complicatiores habent. Simplicia ad tactum, odoratum, gustum spectant; composita ad oculum, auditum.

In nullo sensu eventus forinsecus advenientes immediate nervos ipsos irritant, sed prius specialibus apparatibus parari sive disponi debent, ut vim irritandi accipiant.

1. **Organum visus** primum et internum sunt nervi visuales sive optici; proximum et externum sunt oculi, sive bulbi, qui instar camerae obscurae constructi sunt. Et quia multi oculorum motus ad accurate videndum sunt necessarii, plurimi sunt prope oculos musculi et nervi his motibus inservientes.

In ipsis oculorum bulbis sunt Sclerotica et Cornea, Choroidea et Iris, in qua media reperitur Pupilla. In oculi camera humor aqueus est. Retinam sive Tunicam nerveam dicunt esse „cerebrum oculi“; ea ex colliculo nervi optici sua petit exordia.

Retina tabulatis sive membranis quinque constituitur, in quarum prima bacilli et coni sunt, in altera granuli, in tertia cellulae; in quarta fibras reperies; quinta, quae membrana limitans vocatur, omni structura, quae observari a nobis possit, caret. In retina varia sunt pigmenta, quorum notissimum est Rhodopsinum (Sehpurpur), nuper a Scholl detectum, quod praecipue

---

wird erregt, wenn ihr Catelectrotonus zunimmt oder Anelectrotonus abnimmt. Der Umstand, dass jede einzelne Faser für sich ihre Anode und Kathode im physiologischen Sinne hat, mehr noch derjenige, dass der Nerv zwischen Kern und Hülle der Fasern polarisirbar ist, lehrt, dass die durch den Electrotonus bedingte erregende Veränderung an dieser Grenze ihren Sitz haben muss, so dass man das Gesetz auch ausdrücken kann: Ein Faserquerschnitt wird erregt, wenn seine negative Polarisation zu- oder seine positive abnimmt. — Das Gesetz des Actionsstroms lautet: Jeder erregte Faserquerschnitt verhält sich negativ gegen einen weniger oder nicht erregten. Beziehungen zwischen der Grösse der elektromotorischen Kraft und der der Erregungsdifferenz sind bisher nicht bekannt“ (Physiologie des Nervensystems [1879] p. 193).

reperitur in bacillis; non tamen apud animalia omnia. Et in fovea centrali, quae ea est retinae pars, in qua visio est acutissima, coni tantum sunt, omnis Rhodopsini carentes. Videntur tamen conis inesse aliae res pallidae, quae absolvendis processibus photochemicis accommodatae sunt.

In medio oculo Corpus vitreum et Lens crystallina reperitur. Ex tribus humoribus is, qui vocatur aqueus, anteriorem oculi concavitatem implet. Qui vocatur crystallinus, est in centro oculi involutus tenui pellicula, quam Araneam vel Arachnoidem vocant. Qui vocatur vitreus, posteriorem oculi cavitatem replet in figura fere orbiculari, contentus pellicula, quam Hyaloidem vocant.

Fibrillae nerveae, etsi omnes eandem plane structuram habent, quoad irritabilitatem tamen diversae esse videntur. Young distinxit genus triplex, prout fibrillae irritari possunt colore rubro, viridi, violaceo. Alii alios colores, qui fundamentales sint, distinguunt. E. Hering quattuor ponit: caeruleum et flavum, viridem et rubrum, quos coniunctos esse vult ad reactiones duas inter se oppositas; quibus addit reactionem tertiam: album nigrum, prout processus chemici assimilationis vel dissimilationis diversi sint. G. Wundt colores fundamentales inter se diversos negat, ponitque colores omnes per continuitatem inter se coniunctos esse. Et alii quidem alio modo rem explanant.

Non sine utilitate est, ut noscamus, quaenam veteres de his rebus sint opinati [1]. Putabant igitur, visionem incipere in oculo ratione humoris aquei pupillae tanquam in organo proximo et externo; ibi vero perfici, ubi nervi optici coniungerentur, tanquam in proprio sensorio et organo ultimo.

Nam, ut est apud Aquinatem, organum visus, in quo fit visio, debet esse complexionis aqueae... Aqua enim est de numero perspicuorum. Oportet autem, ut, sicut exterius medium est aliquod perspicuum illuminatum, sine quo nihil potest videri: ita etiam intra oculum sit aliquod lumen. Quum vero non sit visio nisi in perspicuo, necesse est, ut etiam intra oculum sit aliquod perspicuum; et ideo necesse est, ut sit aqua, quae servabilior est et spissior quam aër. Quoniam vero humor pupilla contentus habet conditiones necessarias ad complexionem organi visus, ideo in illo incipit fieri visio. Non tamen in illo perficitur, sed in loco circa cerebrum, ubi se coniungunt nervi optici ab oculis procedentes; quod ex multis manifesto apparet. Et primo quidem ex signo, quod affert Aristoteles ab his, qui in pugnis circa tempora vulnerantur, desumptum. Scissis enim poris et nervis, qui pupillam continuant visivo prin-

[1] Has igitur opinationes veterum saepius adducturi sumus, non ut ex iis discamus, quid natura rerum in viventibus habeat, sed propter solam notitiam historicam.

cipio, ubi nimirum nervi se circa cerebrum coniungunt, subito tenebrae fiunt per visus amissionem, ac si lucerna exstingueretur; pupilla enim est sicut lampas quaedam illuminata ab exteriore lumine; et ideo quando praescinduntur pori et nervi continuantes pupillam principio visivo, non potest lumen huius lampadis usque ad visivum principium pervenire, ideo visus obscuratur.

Secundo ex duplici ratione: una desumpta ex necessitate luminis interius in oculo exsistentis. Ideo enim ad videndum praeter lumen exterius requiritur etiam lumen interius, quia virtus visiva non est in exteriore superficie oculi, sed est interius; unde oportet, quod sit in aliqua parte determinata corporis, quae quia est interius iuxta cerebrum sita, ubi coniunguntur duo nervi ex oculis procedentes, ideo oportet, quod intra oculum sit aliquod perspicuum receptivum luminis, ut sit uniformis immutatio a re visa usque ad principium visivum. Altera est ex unitate numerica sensationis. Ideo enim est una numero visio, licet sint duo oculi, et per consequens duae pupillae et duo humores aquei pupillarum, quia visio utriusque oculi concurrit per quosdam nervos ad aliquod intrinsecum in suum organum, quod est circa cerebrum; per hoc autem, quod uterque visus concurrit ad aliquod unum principium, illi uni attribuitur operatio sentiendi tanquam proprio sensitivo. Unde manifestum est, quod visio licet inchoetur in humore pupillae, perficitur tamen circa cerebrum, ubi coniunguntur nervi optici. Unde sequitur, quod, quia aliud est sensorium seu principium visivum, aliud organum (nam illud constat partibus similaribus, hoc vero dissimilaribus), nervi, qui sunt partes similares, sint sensorium visus sive principium visivum, pupilla vero vel oculus continens pupillam, in qua continetur humor aqueus tela quadam contentus, sit organum visus: — quod est dicere, quod organum proximum et intrinsecum sunt nervi visuales [1].

60. 2. **Organum tactus**, si tactus vi vocabuli latiore accipiatur, per omnes fere partes corporis diffusum est. Ad tactum enim reducuntur non solum sensationes contrectationis, resistentiae, pressionis ex gravitate et levitate rerum exortae, sed etiam sensationes temperaturae tum externae tum internae (caloris, frigoris), conatus muscularis (contractionis, tensionis, relaxationis), sensationis subiectivae voluptatis et doloris. De hoc tactu Aquinas: „Quum sensus tactus", inquit, „sit quasi fundamentum aliorum sensuum, in organo uniuscuiusque sensus non solum invenitur proprietas illius sensus, cuius est organum proprium, sed etiam proprietas tactus, sicut organum sensus *visus* non solum sentit album et nigrum, sed sentit calidum et frigidum. . . ." [2]

Atque hic tactus in tactum internum et externum distinguitur. Tactus internus ad sensum communem spectat. Tactus externus, qui contrectatione rerum externarum continetur, is est, quem in numero sensuum externorum ponere solent.

---

[1] S. Thomas in l. de sensu et sensibili lect. 5. 17. 19.

[2] Id., Quaest. disput. q. 22 de verit. a. 5.

Organum huius tactus in dermate per totam fere corporis superficiem diffusum est. Tegumentum enim corporis commune constituitur epidermi, dermate, textura quadam interiore. Et in dermate reperiuntur papillae, in quibus insunt corpuscula tactus, quae peculiarem quidem structuram habent; eorum tamen constitutio interna nobis ignota est. Non omnes partes corporis aequali virtute ad habendum tactum sunt praeditae, sed tactus subtilitas potissimum a multitudine et subtilitate nervorum pendet, qui in hac vel illa parte reperiuntur. Tactu docemur, quae sit rerum magnitudo et figura, gravitas vel levitas, laevitas vel asperitas, durities vel mollities, calor vel frigus, motus vel quies. Verum ad hunc sensum perfecte habendum in permultis rebus etiam motus musculorum adhibendus est. Finiuntur igitur nervi in papillis tactus, quae papillae, quum sint plurimae, in cute stratum quoddam papillare efficiunt.

Sunt, qui in tactu distinguant sensum pressionis motionisque et sensum temperaturae. Certum tamen est, apparatum nerveum pro utroque sensus genere esse unum eundemque [1]. „Sensus tactus est unus genere, sed dividitur in multos sensus secundum speciem, qui tamen non separantur ab invicem secundum organum, sed per totum corpus se comitantur, et ideo eorum distinctio non apparet . . .; posset tamen dici, quod omnes illae contrarietates et singulae conveniunt in uno genere proximo, et omnes in uno genere communi, quod est obiectum tactus secundum rationem communem; sed illud genus commune est innominatum.“ [2]

Quod si quaeratur subtilius, quaenam inter res, quas diximus, pro organo tactus habenda sit, diversa est physiologorum opinatio. Sunt, qui hoc organum dicant esse ista varii generis corpuscula, quae sunt ipsorum nervorum terminationes. Sed contra: tactus est etiam in partibus, in quibus istae formationes desunt. Hae igitur potius ad augendum dumtaxat tactum destinatae esse videntur. Alii omnes nervos per cutem diffusos esse organum tactus dicunt.

Etiam veteres magna cum accuratione hanc quae est de organo tactus quaestionem tractandam esse duxerunt. Haec fere apud Aquinatem reperies: Sensorium et organum ultimum sive primum internum non est caro. Quod probatur primo, quia nullum sensibile positum supra sensorium facit sensationem; sed sensibile positum supra carnem facit sensationem: ergo caro non est sensorium tactus. Secundo, quia ita se habet caro ad organum tactus, sicut se

---

[1] Cfr. Funke ap. Hermann l. c. III, 2, p. 290. Sed contra docet Magnus Blix, Zeitschrift für Biologie p. 20. 21.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a 3 ad 3.

habent aër et aqua ad organa visus et auditus; sed aër et aqua respectu horum sensuum se habent tantum ut medium extrinsecum: ergo et caro erit medium extrinsecum. Tertio, praeter carnem multa sunt, quae sentiunt, ut nervi, qui sunt maxime sensitivi, similiter cartilagines et membranae; sed haec non sunt sensorium tactus: ergo neque caro. Quarto, ad eundem locum debet tendere sensus tactus, in quo est primum sensitivum et primum principium nutritivum, sed haec sunt in corde: ergo et in corde debet esse sensorium tactus [1].

Non ergo caro est sensorium tactus. Erit autem vel caro cordis, vel aliquid iuxta cor vel in corde.

Quod manifestum est, quia, quum sit cor oppositum cerebro secundum situm et qualitatem (nam cerebrum est frigidissimum omnium, quae sunt in corpore, cor autem est calidissimum inter omnes corporis partes; propter quod etiam inter se opponuntur secundum situm, ut per frigiditatem cerebri temperetur caliditas cordis; unde est, quod illi, qui habent parvum caput secundum proportionem ceterorum membrorum, impetuosi sunt tanquam calore cordis non satis reflexo per cerebrum; et e converso illi, qui excedunt immoderate in magnitudine capitis, sunt nimis humorosi et pingues ratione magnitudinis cerebri calorem cordis impedientis); propterea oportet, ut organum tactus, quod terreum est, sit principaliter in loco calidissimo corporis, ut per caliditatem cordis ad temperiem terrae frigiditas reducatur. Quod etiam potest manifestari hoc signo, quod laesio, si accidat in locis circa cor, est maxime dolorosa. Dicendum ergo est, sensorium tactus, sive organum ultimum, vel primum intrinsecum esse cor; secundum vero intrinsecum esse nervum interiorem et cerebrum, quod, licet sit ex se insensibile, est tamen principium sentiendi ipsi nervo; organum vero proximum et primum extrinsecum est caro et quaelibet pars secundum aequalitatem mixta. Dicendum ergo est sensorium tactus esse circa cor [2].

Quod si *obiecerit* quispiam, illud esse sensorium tactus, ad cuius tactum sentiamus tangibile; nos vero illico ad tactum carnis sentire tangibile: *respondet* Aristoteles: Ut iudicemus carnem esse organum tactus, non est sufficiens signum, quod simul quum caro tangitur, fit sensus tangibilis; quia et nunc, si aliquis supra carnem extenderet aliquam pelliculam aut telam subtilem, statim ad tactus ipsius, quod superextenderetur carni, sentiretur tangibile, et tamen constat, quod sensorium sensus tactus non esset in illa pelle superextensa; et iterum manifestum est, si illa pellis superextensa fieret connaturalis homini, citius per eam sentiri. Unde licet ad tactum carnis, quae est homini connaturalis, statim tangibile sentiatur, non tamen sequitur, carnem esse sensorium tactus, sed esse quoddam medium connaturale [3].

61. 3. **Organum auditus** proximum et externum sunt aures, primum vero et internum sunt nervi auditorii. Fit vero auditio, quum motus vibratorius alicuius sonori corporis per aliquod me-

[1] S. Thomas in l. 2 de an. lect. 22 et 23; in l. de iuvent. et senect. lect. 3.

[2] Id. in l. 2 de an. lect. 4. 20. 22. 23; in l. 1 de an. lect. 5; in l. de sensu et sensib. lect. 5.

[3] Id. in l. 2 de an. lect. 22.

dium, velut aëra, diffusus, percusso tympano accipit virtutem irritandi nervos auditorios, et his mediis ipsum cerebrum.

Ex auricula meatus auditorius cartilagineus et osseus ad aurem interiorem ducit. Media inter sphaeram exteriorem et interiorem est Membrana tympani, qua Cavum tympani clauditur. In interiore huius cavi parte sunt Fenestra vestibuli, Fenestra cochleae, Promontorium, Eminentia pyramidalis, Semicanalis tensoris tympani.

In ipso cavo tympani sunt Ossiculae auditus, quae instar catenae vibrationes tympani ad labyrinthum transferunt. Ossicularum maxima Malleus vocatur; minor est Incus, cui interveniente Ossiculo lenticulari adiungitur Stapia. Parte inferiore stapiae clauditur fenestra ovalis, quo in loco motus advenientes forinsecus in aquam labyrinthi transeunt.

In labyrintho reperies Vestibulum, Canales semicirculares, Cochleam. In hanc partem intrat nervus acusticus, qui in plurima filamenta divisus est. Distinguunt nervum vestibuli et nervum cochleae. Et in hac parte plurima etiam sunt crystalla calcea minutissima. Termini horum nervorum speciali ratione formati sunt; sed de constitutione interna huius formationis nihil scitur.

Pars illa, quae a Corti trahit nomen suum, multos resonatores habet, ita ut sit claviaturae instar, in qua apparatus alius ab alio motu excitari possit.

Ex opinatione veterum distinctio adhibetur inter sensorium sive organum proximum et externum, et sensorium sive organum ultimum vel primum internum. Si quaeratur, quodnam sit organum auditus externum, illud est auris; et pars praecipua illius est aër ille interior meninga contentus. Et patet a simili in organo visus: illud enim est oculus, et pars praecipua illius est humor ille perspicuus tela aranea contentus. Si vero loquamur de principio auditivo, seu de sensorio et organo ultimo, vel primo intrinseco auditus, illud est nervus auditivus, qui a cerebro protenditur secundum tres ramos: unum ad linguam, duos alios ad aures. Quem nervum Avicenna vocat opticum, quia descendit ab eadem parte, a qua optici; vult enim ipse, septem paria nervorum oriri a cerebro, et quintum par esse nervorum auditivorum, quia tendunt usque ad aures, suntque sensorium auditus. Quod idem docet Hippocrates.

Et probatur primo ex diversitate inter organa seu sensoria sensus tactus et gustus, et reliquorum trium sensuum, quod illa sunt circa cor, haec vero circa cerebrum, nihil autem potest assignari exsistens circa cerebrum, quod ad aures tendat praeter illum nervum auditivum. Secundo, ex unitate numerica auditionis. Quum enim ex hoc sensus in actu seu operatio sensitiva habeat unitatem secundum numerum, quia est unius sensibilis numero; ubi est unum numero obiectum, est una numero operatio circa illud, et una numero potentia,

quia virtus sensitiva et operatio inter se consequuntur: ita ut neque virtus sit sine propria et per se operatione, neque operatio sine propria virtute. Operatio autem sensitiva distinguitur secundum sensibilia, et ideo, ubi sunt eadem sensibilia, non sunt diversae virtutes causantes diversas operationes; necesse est, ut exsistente uno numero audibili, puta tali sono, non exsistat in homine audiente nisi una numero auditio, et una numero potentia auditiva. Una vero numero potentia et una numero operatio non possunt esse in pluribus subiectis, quia accidens numeratur ex subiecto; ergo debent habere unum subiectum, et hoc erit sensorium auditus. Et si ponatur pro sensorio auditus aër internus meninga contentus, sic duplex est, sicut et duplex meninga et duplex auris; nervus autem auditivus unus est, vel ubi dividitur in duos ad duas aures, vel ubi saltem originatur circa cerebrum; ergo ille erit sensorium auditus, non autem praedictus aër. Quod confirmatur a simili de visu [1]. . .

62. 4. **Organum gustus** in multis oris partibus locum habet, praecipue in extrema lingua, in qua potissimum sunt nervi gustatorii. Inter hos eminet nervus glosso-pharyngeus. Hi nervi terminantur in organis, quae speciali structura insignia sunt, sicut et organa sensuum aliorum. In his papillis (fungiformibus, circumvallatis, foliatis) efficitur gustus [2].

Gustus sive sapor eo efficitur, quod substantiae ad id idoneae in aliquo liquido, praecipue in saliva, dissolutae nervos illos irritant.

Gustum a tactu diversum esse, res est manifesta. Efficitur enim organis speciali ratione constructis. Atque haec organa reperiuntur in solo ore; organa vero tactus per totum corpus diffusa sunt. Accedit, ut gustus vario morborum genere debilitari vel etiam amitti possit, permanente tactu integro.

Ex opinatione veterum organum gustativae potentiae primum et extrinsecum est lingua ratione nervi diffusi super corpus linguae; sensorium autem et organum ultimum non est lingua, quia ita se habet lingua ad sensorium gustus, sicut aër et aqua ad organum et sensorium visus, auditus et olfactus; sed in nullo istorum sensuum potest fieri sensatio, si tangatur organum et sensorium, ut, si quis ponat aliquod corpus album in superficie oculi, non videtur: unde manifestum est, organum sensitivum in sensu gustus esse intus. Sic enim accidit in hoc sensu, sicut in aliis; non enim sentiunt animalia sensibilia posita super organum sensus; sentiunt autem sensibilia posita super linguam. Quare manifestum est, linguam non esse sensorium, sed medium gustus.

Est autem sensorium gustus iuxta cor. Quod probatur primo, quia cor est principium operationum vitae; et ideo iuxta illud debet esse sensorium

---

[1] S. Thomas in l. de sensu et sensib. lect. 19 et 17.

[2] „Von der Lippe bis zum Magen gibt es keine Stelle, welcher nicht von einem oder dem andern Physiologen Geschmacksfähigkeit zugeschrieben worden wäre“ (Vintschgau, Geschmackssinn, apud Hermann l. c. III, 155).

gustus, qui est sensus maxime necessarius animali; sicut quia cerebrum est principium operationum animalium, iuxta illud ponuntur sensoria visus, auditus et odoratus. — Secundo, quia sensus gustus est quidam tactus; tactus autem necessario debet tendere ad cor, et habere suum sensorium iuxta illud vel in illo: ut manifeste patet, quia sensus tactus est magis materialis quam aliquis aliorum sensuum, et magis materialiter alteratur: alteratur enim a qualitatibus sensibilibus, quae materialiter alterant; et ideo oportet, ut sit talis substantiae vel dispositionis, per quam possit magis sustinere talem alterationem; potest autem, si fuerit substantiae solidae; soliditas autem est terrae: quare oportet sensum tactus esse a terrae dominio; et ideo oportet ipsum esse in tali parte, quae sit magis terrestris. Inter partes autem sensitivas hoc est cor, et ideo sensus tactus tendit ad ipsum cor; et quia sensus tactus indiget maiore caliditate in actione sua, quam aliquis aliorum, in corde autem est maxima caliditas, ideo sensus tactus dicitur esse in corde; et consequenter et sensus gustus, qui tactus quidam est, debet immediate in cor tendere. Secus vero alii sensus, qui, quia indigent caliditate magis remissa, quia eorum actiones sunt magis proportionatae, immediate tendunt ad illam partem, qua caliditas refrigerari potest; hoc autem est cerebrum: et ideo immediate tendunt illi tres sensus ad cerebrum [1].

63. 5. **Organum odoratus** primum et externum est membrana pituitaria narium, quae humida esse debet; ultimum vero et internum sunt, qui in ea terminantur nervi olfactorii. Et eo efficitur odor, quod particulae volatiles ad id idoneae diffusae per aëra et nares penetrantes disponantur, ut nervos illos irritare possint. Et usque ad nostrum tempus plane ignorant physiologi, quas proprietates aliqua res habere debeat, ut obiectum huius sensus esse possit [2].

Ex opinatione veterum sensorium sive organum internum est circa cerebrum; in anteriore enim eius parte prope foramina narium, quae sunt iuxta concavitatem oculorum, sunt duae carunculae ad modum extremitatis mammillae, quae processus mammillares seu carunculae mammilares dicuntur, quae caro spongiosa est, contrahiturque et dilatatur. Et haec caro est sensorium olfactus. Quod probatur primo, quia necesse est sensorium odoratus esse circa cerebrum, ut manifeste patet primum ex secundario fine respirationis a natura intento; unus enim et primarius est ad adiutorium toracis seu pectoris, et ad refrigerandum calorem cordis; secundarius autem est ad percipiendum odorem. Dum enim homo respirat, commovet aërem per nares attrahendo; et sic facit pertransire odores ad cerebrum, ubi est organum olfactus. Propterea vero, in homine praesertim, respiratio habet hunc finem, quia inter cetera animantia habet secundum proportionem suae magnitudinis maius cerebrum et humidius aliis animalibus; et ideo in homine motus odorum ad cerebrum reducit ad debitam mensuram superexcessum humiditatis et frigiditatis illius. Non mo-

[1] S. Thomas in l. 2 de an. lect. 4 et 23; in l. de iuvent. et senect. lect. 3; in l. de sensu et sensibil. lect. 5; Quodlib. 4, a. 3 ad 1.

[2] Cfr. Funke l. c. p. 225. 261.

verentur autem, nec attraherentur odores ad cerebrum, nisi ibi esset sensorium odoratus, mediante quo cerebrum confortatur. — Deinde ex eo, quod homo habet peiorem olfactum multis aliis animalibus. Huius enim ratio est, quia, quum instrumentum sensus debeat esse proportionatum suo sensibili, sicut odor causatur ex calido et sicco, ita ad bonitatem instrumenti sensus seu organi exigitur victoria calidi et sicci. Homo autem habet cerebrum maius omnibus aliis animalibus, ut dictum est, tum ut liberius in eo perficiantur operationes interiores virium sensitivarum, quae sunt necessariae ad operationem intellectus; tum ut frigiditas cerebri temperet calorem cordis, quem necesse est abundare in homine ad hoc, quod homo sit rectae staturae. Et ideo quum cerebrum sit humidum et frigidum in se consideratum, impeditur in homine bonitas olfactus, qui requirit siccitatem; et propter hoc homo prave odorat, et nihil odorabilium odorat, nisi quod est secundum aliquam excellentiam inducens delectationem aut contrarium. — Item ex differentia in modo odorandi inter animantia respirantia et non respirantia, quae ex diversa dispositione organi, et non ex diversitate sensus procedit; ideo enim animalia non respirantia odorant non respirando, quia organum odoratus in illis est sine operculo, respirantia vero habent operculum, quod oportet aperiri ampliatis poris per respirationem; tale autem operculum non est in naso, ut patet, sed versus cerebrum. — Praeterea ex natura organi olfactus; quum enim odor fundetur in sicco, sicut sapor in humido, organum seu sensorium debet esse potentia ad odorem, et consequenter ad siccum; quod autem est potentia calidum et siccum, est frigidum et humidum: ergo sensorium olfactus debet esse frigidum et humidum, et quod consequens est debet esse in loco frigido et humido, qualis est locus circa cerebrum. — Postremo ex differentia inter primum organum seu sensorium tactus et gustus, et primum organum seu sensorium visus, auditus et odoratus. Illud enim est cor, hoc vero est cerebrum. Et ratio utriusque, ex parte olfactus et visus, haec est: quia cerebrum, in cuius vicino sunt prima organa sensus visus et olfactus, est inter omnes corporis partes humidius et frigidius, et ita habet naturam aquae, est naturaliter humida et frigida: et sic congruit organo odoratus, quod debet esse calidum in potentia, et organo visus, quod debet esse aquae. Ex parte auditus ratio est, quia, sicut cor est principium operationum vitae — et ideo iuxta illud est sensorium gustus et tactus, qui sunt sensus maxime necessarii animalibus —, ita et cerebrum est principium operationum animalium; et ideo iuxta illud ponuntur sensoria visus, auditus et odoratus. Licet enim sensitivum principium primo sit in corde, ubi et fons caloris (nihil enim est sensitivum sine calore), a corde tamen derivatur virtus sensitiva ad cerebrum, et exinde procedit ad tria prima organa sensuum visus, auditus et odoratus. Ideo vero sensorium gustus et tactus referuntur ad cor per medium coniunctum, et posita sunt iuxta illud, quia cor est oppositum cerebro secundum situm et qualitatem. Sicut enim cerebrum est frigidissimum omnium, quae in corpore sunt, ita cor est calidissimum inter omnes corporis partes; et proinde inter se opponuntur secundum situm, ut per frigiditatem cerebri temperetur caliditas cordis. Propterea oportuit sensorium et primum organum tactus, quod est terreum, esse principaliter in loco calidissimo corporis, atque adeo iuxta cor, ut per illius caliditatem cerebri frigiditas ad temperiem reduceretur. Quin etiam ideo cerebrum fuit in supremo corporis collocatum, ne operationes animales, quae ibi perficiuntur per principia sensitiva iuxta illud

exsistentia, per diversas corporis transmutationes impedirentur (Quodl. 4, a. 3 ad 1). Cor vero positum est in medio, ut ex eo facile per totum corpus operationes vitae, quae ibi perficiuntur, per sensoria iuxta illud exsistentia diffunderentur.

Unde manifestum est, sensorium odoratus esse iuxta cerebrum. Nihil autem assignari potest, quod exsistat iuxta cerebrum, quod possit esse aptum sensorium odoratus, praeter dictas carunculas mammillares. Nam quum sint spongiosae, possunt facile recipere evaporationes et exhalationes odoriferas, quibus confortatur cerebrum, eius nimia frigiditas contemperatur, et contra superfluam hanc frigiditatem, ex qua saepe oriuntur rheumaticae infirmitates, mediante perceptione odorum delectabilium per attractionem aëris ad locum cerebro proximum delatorum, et propter talem finem a natura institutorum, sanitas inducitur. Ergo dicendum est et sensorium odoratus esse iuxta cerebrum; nam quum ad ipsum ascendant, ut ex eorum perceptione utiles effectus in illo causentur, necesse est ascendant ad proprium sensorium, quod est principium elicitivum odorationis. Praeterea dicendum est sensorium olfactus iuxta cerebrum exsistens esse praedictas carunculas mammillares: — quum hae ibi exsistant, ut asserunt medicorum principes, et aptissimae sint ad recipiendas illas praesertim odorum species, quae propter cerebri utilitatem sunt factae, ut per se manifestum est, et nihil ibi exsistat, quod sit aptum ad munus sensorii odoratus exsequendum, dicendum est illas esse tale sensorium [1].

64. Partes reliquae, quae pro vita sensitiva aliquod momentum habent. 1. Ossa toti organismo formam, rectitudinem, firmitatem conciliant. Ex sese nullum sensum habent; constant ex elementis organicis atque anorganicis; eo modo constructa et variis ligamentis coniuncta sunt, ut convenit generi motus spontanei, qui ab unaquaque animalium specie est exsequendus.

2. Inter organa respirationis pulmones praecipui sunt. His imprimis assumitur oxygenium, quod ad vitam vegetativam animalium est necessarium, et per organismum quasi comburitur; emittitur vero acidum carbonicum. Aër, qui per respirationem trahitur, imprimis voci vel loquelae inservit.

3. Musculi partim solidi sunt, partim concavi. Solidi praecipue motui spontaneo inserviunt; hi distinguuntur in latiores, longiores, crassiores, anulosos. Qui sunt concavi, velut stomachus, cor, propriis et diversis finibus inserviunt. Musculi omnes certum tonum, i. e. certum tensionis statum, habent, et magna contractabilitate donati sunt. In omni quidem parte corporis, sed praecipue in musculis, illi processus chemici eveniunt, quibus comparatur calor, qui ad vitam animalem est necessarius.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 91, a. 3 ad 1; Quaest. disput. q. de an. a. 8; in l. 2 de an. lect. 19. 20; in l. de sensu et sensibil. lect. 4. 5. 13 19; Opusc. 43, c. 3.

A musculis vasa diversa sunt, quibus per organismum peraguntur varii liquores, qui vitae inserviunt. Inter hos liquores praecipuus est sanguis, qui plasmate quodam constituitur, in quo natare quasi sphaerulas duplicis generis scimus.

Et illa vasa, per quae circumagitur sanguis, constituunt quod vocatur „systema vasorum“. In hoc distinguunt arterias et venas, quae vasis capillaribus inter se coniunctae sunt.

In hoc arteriarum venarumque ordine centrum quoddam reperitur, quod est cor. Cor sulco longitudinali dividitur in partes duas, sinistram et dextram, quarum utraque iterum septo dividitur in ventriculum et atrium. Ventriculi musculosi sunt, atria membranacea.

In constructione cordis genus quoddam antliae cernis, cuius virtute sanguis per diastolem et systolem ad circuitum suum propellitur. Circulus duplex est, unus per pulmones, alter per totum corpus.

Qui vero verus sit sanguinis circuitus primus detexit Harvey (1628).

Ex veterum opinatione principium ultimum et radix prima omnium facultatum organicarum non solum vegetativarum, sed etiam sensitivarum, non cerebrum esse audivimus, sed cor, a quo tamen pars plurima harum facultatum proxime deducatur ad cerebrum.

Et sensus quidem interni in universali omnes in corde radicari putabantur, quia nihil sensitivum esset sine calore, fons autem caloris esset in corde [1].

Si quaeratur de sensu communi, qui est radix sensuum externorum, eius sensorium sive principale et ultimum organum ex opinatione ista est cor, quia principio sensitivo exsistente in corde melius ab illo fiunt alterationes ad sensus particulares et melius derivatur virtus ab eodem in illos; et praeterea virtuti principali debetur locus magis principalis, qui est medius, ubi est cor; et deinde cor est principium motus et etiam principium spiritus, cuius vigore fit motus respirationis; ergo est etiam principium sensus. Ex corde sensus communis in omnes partes animalis, et primo quidem in cerebrum, deductus est.

Iam diximus, cerebrum frigidissimum habitum esse omnium, quae sint in corpore, cor autem calidissimum inter omnes corporis partes.

---

[1] Haec sententia Aristotelis, Hippocratis, Galeni, ex qua cor fons caloris esse putabatur, per plurima saecula in scholis viguit. Schola, quae dicitur iatromechanica (Boerhave, van Swieten), calorem ex frictione sanguinis in arteriarum parietibus oriri docuit. Qui sequebantur scholam iatrochemicam (van Helmont, Sylvius, Ettmüller), causam caloris quaerebant in variis concoctionibus et transmutationibus chemicis. Primus Lavoisier (1777) combustionem oxygenii in pulmonibus causam caloris esse proposuit.

Cerebrum est positum a natura in capite, ne operationes animales, quae ibi perficiuntur, impediantur diversis corporis transmutationibus. Cor autem est in medio, quo facilius vita communicetur cum omnibus corporis partibus [1].

Has doctrinas veterum etiam S. Thomas maxima cum diligentia didicerat, easque per omnia opera sua data occasione adhibuit. Manifestum quidem est, eas omnes, praecepta peculiaria quod attinet, omnino obsoletas, permultis recentioris temporis observationibus superatas, obscuratas, obrutas esse. Nihilo tamen setius eas hic et aliis locis adducimus, ut inde appareant Aquinatis principia, quae ut per hoc opus sequamur nobis sanctum et propositum est. Quae praecipue duo sunt. Primo enim ex his rebus elucet, quam aperte S. Thomas agnoverit incredibilem illam phaenomenorum psychicorum atque spiritualium a conditionibus materialibus dependentiam, quae ex doctrina de anima ut forma corporis necessario consequitur. Secundo videmus, quanta sciendi cupiditate res vel minutissimas Aquinas didicerit ab iis, quos in disciplinis naturalibus peritos esse putavit.

65. Organa sensuum, quae sunt in animalibus imperfectioribus [2]. Organa, qualia descripsimus, apud animalia imperfectiora frustra quaeres. Sunt tamen alia. Inter haec praecipue organa visus, etsi alio modo constructa sunt quam in vertebratis, propter constructionem suam manifestant se visui inservire. In multis haec res obscura est. Imprimis organa illa sensoria, quae cuticularia (Hautsinnesorgane) vocant, magnam prae se ferunt varietatem, quae ab animalibus superioribus omnino aliena est.

1. Visum quod spectat, in aliquibus protozoorum (quae sunt animalium omnium imperfectissima) speciebus repertae sunt maculae quaedam pigmentariae (Pigmentflecken), quibus lux percipi possit. In coelenteratis sunt corpora marginalia, quae visui inservire videntur. In asteroideis (quae ad echinodermata pertinent) sunt maculae oculares (Augenflecken), quae corpore quodam crystallino (Krystallkörper) instructae sunt. In vermibus (praecipue in anelidarum classe) sunt maculae visoriae (Sehflecken), quae, exteriorem formam quod attinet, aliquid ad oculos vertebratorum accedunt. In insectis et crustaceis sunt oculi compositi (Netzaugen, compound eyes), quae, non quidem quoad externam formam, sed tamen quoad virtutem videndi, oculos anelidarum superare videntur. Oculis enim aliquorum insectorum, velut libellulinarum, non solum claritas et colores, sed etiam rerum formae satis bene percipiuntur [3]. Praeter oculos compositos reperiuntur in multis insectis, in aliis articulatis, praesertim in araneis, immo etiam apud alias molluscas, ocelli simplices, qui tum in forma externa, tum in interna structura ocellis articulatorum haud dissimiles sunt.

---

[1] Plura hac de re ex Aquinate collegit Alam., Phys. III, q. 84, a. 1.

[2] Cfr. hac de re Lubbock, On the Senses, Instincts and Intelligence of Animals. 3rd ed. 1889. Jourdan, Les sens chez les animaux inférieurs. 1889.

[3] De oculis compositis insectorum scripserunt Ioh. Müller, Exner, Grenacher, Plateau. Cfr. Aug. Forel, Expériences et remarques critiques sur les sensations des insectes. 1886—1888.

Cum visu, ut est sensus proprius, confundere non licet illam sensibilitatem cuticularem erga vim lucis, quam dermatopsim vocant, quae in protozois, in hydris, in aliquibus insectis oculorum lumine privatis et in aliis animalibus inferioribus visu carentibus est observata.

2. Auditum quod spectat, is sensus a protozois abest, in coelenteratis et echinodermatis dubius est. In aliquibus vermibus, velut in capite anelidarum, otocystae sive capsulae auditoriae detectae sunt. In articulatis plurimis auditus certe inest, quamquam de huius sensus organo non satis constat. Crustacea plurima aures habent, partim in basi antennarum, partim in cauda; in his insunt, qui pili auditorii (Hörhaare) vocari solent, et otolithis sive lapillis auditoriis instructae sunt. In tibiis aliquorum insectorum organa tympaniformia invenies, quae auditui inserviunt. Apud alia antennae pilis auditoriis exornatae sunt. In aliis organa auditus in pectore, in abdomine, in alis detecta sunt. In molluscis ipse quidem auditus minus aperte manifestus est; attamen huius sensus organa satis clare apparent, velut sunt capsulae auditoriae (otocystae) apud lamellibranchia.

3. Tactus quum sit sensus maxime universalis, apud animalia omnia reperitur, quamquam apud imperfectissima, velut amoebas, organa specialia non habet; hae ipso protoplasmate varietatem temperaturae atque pressionum percipiunt. In coelenteratis praeter cutem sive epithelium sensitivum reperies palpocilias sive pilos tactorios, apud echinodermata papillas quasdem sensorias, quae tactui et fortasse etiam gustui inserviunt. In vermibus plurimis cuticula nervis abunde instructa est et admodum sensitiva; sensoria autem propria raro inveniuntur. Id ipsum de molluscis putandum est: verum apud haec in iis partibus, quae communicationi cum rebus externis inserviunt (ut sunt antennae cochlearum, vel margo tunicae [Mantelrand] concharum), sensitivitas multo maior est. Apud articulata (praecipue insecta et crustacea) specialia organa sensoria sunt eaque multa et varia, ita ut non raro in antennis vel palpis sex vel octo diversae formae reperiantur. Quae omnia ad speciem cuiusdam pili cum filo nerveo ganglioque coniuncti accedunt; quapropter pili sensorii (Sinneshaare) vocata sunt. Ex his tamen ii dumtaxat pili tactui inserviunt, qui longiores sunt et duriores, quapropter chetae tactoriae (Tastborsten) nominantur; et non solum in antennis, palpis, lingua, sed etiam in pedibus reperiuntur. Alii vero pili aliis sensibus inserviunt [1].

4. Odoratus protozois deest. In coelenteratis et echinodermatis facultas est odoratui similis, quae tamen in quibusdam, praecipue aquatilibus, potius ad gustum trahenda videtur. Idem de molluscis est pu-

[1] Cfr. hac de re praecipue: F. G. Erichson, De fabrica et usu antennarum in insectis. Berolini 1847. G. Hauser, Physiologische und histologische Untersuchungen über die Geruchsorgane der Insecten. Leipzig 1880. C. Kraepelin, Geruchsorgane der Gliederthiere. Hamburg 1883. Fr. Ruland, Beiträge zur Kenntniss der antennalen Sinnesorgane der Insecten. Marburg 1888. Otto vom Rath, Ueber die Hautsinnesorgane der Insecten. Leipzig 1888; idem, Ueber die Nervenendigungen der Hautsinnesorgane der Arthropoden nach Behandlung mit der Methylenblau- und Chromsilbermethode (Ber. der Naturforsch. Gesellschaft Freiburg, IX. Bd., 2. Heft). E. Wasmann, Die Fühler der Insecten (Stimmen aus Maria-Laach 1891 1.—4. Heft).

tandum. Sed in molluscis terrestribus, i. e. in conchleis pulmoniferis (Lungenschnecken), certum est antennas olfactui deservire. Admodum utilis olfactus est in multis articulatis terrestribus, praecipue in insectis plurimis, quippe quae in vitae suae operibus imprimis olfactu ducantur. Quoad aquatica, velut crustacea, nonnulli dicunt de „gustu ex distantia". Forma istorum organorum admodum varia est inter pilum et porum; pori in solis antennis resident, pili etiam in palpis, lingua. Pili quoad formam similes sunt molli cono, vel gemmulae, vel bacillo (Riechkugel, Riechkolben, Riechstäbchen). Praeterea simplices vel complexas formas distinguunt (einfache Riechgruben, flaschenförmige Organe, champagnerpfropfenförmige Organe).

5. Gustus in piscibus quibusdam (cirris, Barteln) etiam in externis oris appendicibus, immo in ipso corporis tegumento, etiam procul ab ore, residere videtur; in his enim partibus omnibus gemmulae gustatoriae (Geschmacksknospen) deprehenduntur, quales in lingua mammalium inesse solent. Difficillimum est, hunc sensum eiusque organa definire in animalibus inferioribus, praecipue in aquaticis, in quibus gustus fere idem est atque odoratus, ita ut propter contiguitatem vel distantiam distinguantur. Gustum iam in actiniis, quae ad coelenterata pertinent, inesse nuper probavit Nagel [1]. Certe gustus inest in quibusdam articulatis, praesertim in insectis, quae gustatione tentare solent, utrum cibus conveniens sit necne. In insectis organum generale gustus est lingua, sed organa secundaria basis maxillarum, palpi praecipue labiales [2]. Si quis vero accuratius scire velit, in quibus particulis gustus insideat, is vix sibi satisfacere poterit. Ubique enim diversa organa nervosa conspiciuntur. Inter haec sunt calices qui vocantur gustatorii (Geschmacksbecher) [3] et coni nervosi, qui usui sunt vel gustui vel odoratui vel cuidam tactui subtiliori nescio cui.

66. **Systema nerveum** [4] in protozois non reperies; sed una cellula irritatur et movetur. Coelenterata quod attinet, vestigium nervorum in actiniis apparet; in medusis et ctenophoris sunt quaedam organa centralia tot, quot sunt sensoria externa, quae tamen inter se non pendere videntur; in hydroidis sunt anuli duo nervei, ex quibus nervuli emittuntur, ita tamen ut distinctio inter systema centrale et periphericum admodum obscura sit.

In classe echinodermatum [5] clarius iam apparent nervi qui dicuntur radicales, qui ab anulo quodam nerveo, ori vicino, tanquam a parte centrali

---

[1] Der Geschmackssinn der Aktinien (Zoolog. Anzeiger 1892, Nr. 400). Cfr. etiam W. H. Pollock and G. J. Romanes, On Indications of the Sense of Smell in Actiniae (Journ. of Linn. Soc. XVI, 474). R. Dubois, Comptes-rendus 1890 No. 9.

[2] Contra Plateau, qui pulpos insectarum rudimenta sensationi prorsus inutilia declaravit (!). Vide inter alios: Nagel, Ergebnisse vergleichend-physiologischer und anatomischer Untersuchungen über den Geruchs- und Geschmackssinn und ihre Organe (Biolog. Centralblatt 1894 p. 549); praeterea Wasmann, Zur Bedeutung der Palpen bei den Insecten (ibid. 1889 p. 303); Zur Bedeutung der Fühler (und Taster) bei Myrmidonia (ibid. 1891 p. 23).

[3] Cfr. Will, Das Geschmacksorgan der Insecten. 1885.

[4] Cfr. Leunis-Ludwig, Synopsis der Zoologie. 3. Aufl.

[5] Cfr. Guil. Preyer, Ueber die Bewegungen der Seesterne (Mittheilungen

in singulas corporis partes proficiscuntur; quod systema ambulacrale vocant. In crinoidis nervuli exeunt ab uno ganglio in dorsali parte corporis tanquam ex centro, quod systema antiambulacrale dicitur. In vermibus perfectioribus, velut in anelidis, est ganglion principale, cerebri instar, in superiore parte capitis situm; deinde circum gulam est anulus quidam gangliorum, praeterea multitudo gangliorum duplicium, quorum numerus numero segmentorum corporis respondet. Idem fere systema invenitur in arthropodis. Et quo magis ganglia inter se propinquant coalescuntque, eo maior est vitae sensitivae unitas. Huius vero vitae perfectio et animalium sagacitas a magnitudine et complicatione cerebri pendet, id quod praecipue apparet in formicarum operariis et insectis similibus, in quibus vita psychica longe perfectior est et cerebrum longe maiores partes habet (corpora pedunculata vocant), quam id locum habet in maribus eiusdem speciei; quamquam hi visum multo perfectiorem et nervum opticum crassiorem habent. Mollusca etsi a multis in systemate zoologico arthropodis praeponuntur, tamen his posthabendae sunt, systema nerveum centrale quod spectat. Triplex in his par gangliorum: cerebrale, pedale, abdominale inest, in quibus tamen cerebrale non ita praevalet, sicut in insectis contingit. In cephalopodis, quae est molluscarum classis suprema, tria ista paria gangliorum inter se approximantur et in capsula communi cartilaginea (Kopfknorpel) includuntur, quae capsula cum cranio est comparanda. Tunicata, quae qui darwinismo indulgent molluscis praeponunt et vertebratis maxime accedere dicunt, reapse tum quoad universam structuram organicam, tum quoad systema nerveum infra mollusca habenda sunt, et coelenteratis propinquiora sunt quam vertebratis. Id in controversiam est tractum, utrum ascidiarum larvae quandam cum amphioxo (qui est in specie infima vertebratorum) similitudinem habeat (id quod placet nonnullis darwinistis) necne.

§ 2. De vitae exsistentia in corporibus organicis.

67. Proponitur doctrina. Speciale illud agendi genus, cuius signa in organismis manifesta sunt, vocari solet vitae activitas. Quapropter corpus organicum etiam vivum vocatur; vel vivens corporeum, qua voce distinguatur a vivente spirituali. Ordiendum nobis est, ut statuamus, quaenam phaenomena vitalia generatim in diversis viventium ordinibus reperiantur. Qua in re, monente Aristotele[1], incipiendum est a consideratione illius motus, qui viventium proprius est, atque etiam cognitionis. His enim duabus rebus maxime animata ab inanimis differre videntur. Quum vero de motu quaeritur, caute philosophandum est; nam historia

---

der Zoologischen Station Neapel VII, 1. 2). Romanes et Ewarts, Observations on the Locomotor System of Echinodermate (Philosoph. Transact. 1881. Nature vol. XXIII).

[1] Ἀρχὴ δὲ τῆς ζητήσεως προθέσθαι τὰ μάλιστα δοκοῦνθ' ὑπάρχειν αὐτῇ κατὰ φύσιν· τὸ ἔμψυχον δὴ τοῦ ἀψύχου δυοῖν μάλιστα διαφέρειν δοκεῖ, κινήσει τε καὶ τῷ αἰσθάνεσθαι (L. 1 de an. c. 2, 403 b, 25).

teste ex inepta motus consideratione multi in turpes errores lapsi sunt, id quod Aristoteles hoc loco narrat de Democrito et Leucippo, de Pythagoreis, de Anaxagora. At vix non eadem cautio in consideranda cognitione est adhibenda; nam ex male intellecta natura cognitionis Empedoclem, Platonem haud leviter errasse refert Stagirita [1].

Notissima autem et unicuique obvia est vita in animalibus sive rationalibus, hominibus, sive irrationalibus, bestiis. Maxime tamen in nobis hominibus. „Est enim homo, ut dicit Aristoteles [2], omnium animalium notissimum." Et fabricam ipsam humani corporis, si quis considerare velit, nihil poterit in terra pretiosius indicare. „Est enim homo statu celsus . . . ipso naturae iure sublimis tamquam propriae conscius libertatis, et locuples sui testis auctoris." [3] Quam ob rem quaerentibus nobis, quae sit vita in animantibus, imprimis ad contemplandam naturam humanam convertendus est animus. Et consideranti cuique illico apertum erit, hominibus et bestiis eandem naturam esse in eo, quod se ipsos nutriunt, augent, propagare appetunt; quod praeterea motu gaudent, qui tanta varietate et diversitate distinctus est, quanta ex nulla unice naturali vel complicatissima elementorum dispositione nasci potest, qui praeterea talem modum, talem mensuram, talem directionem habet, qualis a viribus brutis moderantibus et dirigentibus omnino abhorret. Ex quo confirmatum est hos in animalibus motus regi cognitione et appetitione ad hanc cognitionem consequente. Quare hos motus spontaneos vocant. Itaque animal ipsum externarum rerum impressionem non tantum excipit, sed impressione intercedente res ipsas extremas sibi manifestat et percipit cum aliqua sui conscientia. Quapropter recte Aristoteles: „Cognitionis alicuius", inquit, „particeps unumquodque animal est, aliud maioris, aliud minoris, aliud plane exiguae: sensum enim habent, sensus autem cognitio quaedam est. [4] „Quod si autem sensitivum inest, appetitivum etiam inest; nam appetitus cupiditas est et ira et voluntas. Animalia vero cuncta unum saltem ex sensibus habent, tactum inquam. Atqui cui sensus inest, ei voluptas etiam et dolor inest; itidemque iucundum atque molestum.

---

[1] De variis opinationibus cfr. Volkmann l. c. p. 92, n. 3.

[2] L. 1 de hist. animal. c. 6.

[3] S. Ambrosius in Psalm. 118 serm. 10.

[4] L. 1 de generat. animal. c. 33.

Quibus autem haec insunt, ea cupiditatem etiam habent; haec est enim iucundi appetitio.“ [1]

Quibus igitur ex rebus omnibus efficitur, ut et homines et bestias habere vitam tum vegetativam tum cognoscitivam arbitrandum sit.

68. Quin immo videri possit animalibus etiam brutis inesse intelligentia. „In universum,“ ut est apud Stagiritam, „si quis animantium ceterorum victum contempletur, ea multis in rebus humanam vitam imitari observabit, atque in minoribus potius quam in maioribus videbit intellectus acumen. . . .“ [2] „Nonnullae bestiae etiam cuiusdam facultatis discendi atque docendi sunt participes, aliae quidem inter se, aliae vero quoque ab homine: eae nimirum, quae audiendi sensu sunt praeditae non solum ad sonorum, sed signorum differentias percipiendas.“ [3]

Qui vero vitam hominum moresque aliqua cum circumspectione ponderaverit, contuleritque cum beluarum exsistentia et consuetudine, is homines a bestiis incredibili discrimine distare putabit.

Homines per progressum longum, multiplicem, indeterminatum omnes artes suas et industrias variare atque perficere possunt. Ad exprimendas cogitationes internas signa arbitraria usurpant: atque id etiam ad praedicanda universalia de rebus subiectis secundum regulas logicas et grammaticales; et id quidem efficiunt, non coacti affectione aliqua sensibili, sed ex ipsius manifestationis intentione. Deinde homo in appetitionibus suis ducitur primo rebus immaterialibus, ut sunt honestas, sapientia et scientia, beatitudo; et in his rebus versatur cum libero appetitionis arbitrio. Ratio igitur bonitatis pro homine non in bono aliquo concreto et sensibili eiusque fruitione posita est, sed in bono honesto et in bono in communi.

Qua de re praeclare est apud Tullium: „Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se vitam corpusque tueatur declinetque ea, quae nocitura videantur, omniaque, quae sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensus movetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paullum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque pro-

[1] Aristoteles l. 2 de an. c. 3.

[2] L. 9 de hist. animal. c. 7, 612b, 18.

[3] L. c. l. 9, c. 1, 608a, 10. Cfr. l. 8, c. 2, 588a, 18, et aliis locis multis.

gressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque praesentibus adiungit atque annectit futuras) facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem. . . . In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque quum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere; cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura velit, nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo magnitudo animi exsistit humanarumque rerum contemptio. Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisque qui modus. . . . Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum; quod, etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum est, quodque vere dicimus etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile [1].

Et bonum honestum ita appetit homo, ut bona cuncta vitae organicae ad servandam honestatem aut dirigere aut etiam spernere possit. Et in bonum in communi acceptum ita fertur homo, ut cum arbitrii libertate inter multa et opposita id eligere possit, quod ipsi sub aliqua boni specie offertur. Atque ex hoc appetitionis genere confirmatius est esse in homine illud cognitionis genus, quo cognitas habet rationes immateriales, res abstractas et universales, relationes causalitatis, finalitatis, ipsum Ego tamquam subiectum phaenomenorum internorum, ipsum Deum ut causam primam et finem ultimum rerum omnium. Et ipsae quotidianae operationes hominum et appetitiones tantam habent inconstantiam et diversitatem, quanta nasci non potest ex rationibus solo sensu perceptis. Ex his omnibus concludendum est hominem intellectu et hinc voluntate praeditum esse.

Haec vero omnia in vita bestiarum desunt. Contra bestiae in plurimis rebus reapse ita se gerunt, sicut certe sese non gererent, si intellectum haberent. „Sensus in omnibus animalibus invenitur. Alia autem animalia ab homine intellectum non habent, quod ex hoc apparet, quia non operantur diversa et opposita, qualia intellectum habentia; sed sicut a natura mota ad determinatas aliquas operationes et uniformes in eadem specie, sicut omnis *hirundo* similiter nidificat.“ [2] Itaque vita intellectiva, quae inest in hominibus, in bestiis non reperitur [3].

---

[1] L. 1 de offic. c. 4. [2] S. Thomas, S. c. gent. l. 2, c. 66.

[3] Permagna librorum volumina impleri possunt testimoniis eorum, qui

Quibus omnibus ex rebus apertum est homini intellectum esse, qui animalibus ceteris desit[1].

69. Hoc de animalibus. Sed vitam illam vegetativam, quam in animalibus deprehendimus, etiam plantis inesse videmus. Nam etiam plantae nutritionem, augmentationem, propagationem aperte quaerunt. Quam ob rem „et vivere vitem et mori dicimus arboremque, et novellam et vetulam, et vigere et senescere“[2]. Homo, inquit Stagirita, est arbor inversa, et arbor est homo inversus.

Plantis vitam cognoscitivam inesse fere ab omnibus negatum est. Putabant enim nullam facultatem rebus inesse posse, quae ex naturae necessitate ut sese manifestaret cogeretur, cuius tamen nullum signum manifestum esset. Vitae sensitivae organis peculiaribus opus esse, quae plantis desint; hanc vitam toti agendi modo etiam exteriori imprimere singularem illam indolem, quae apud animalia sit apertissima; in plantis nullum esse motum spontaneum, nullam internae affectionis significationem.

70. **Recensentur sententiae adversariae.** Haec, quae diximus, non sine reprehensione sunt. Praeter scepticos, qui ne conscientiae quidem veracitatem admittunt, adversantur nobis materialistae illi, qui negant reperiri in ullis rebus naturalibus cognitionem et vitam proprie dictam, asseverantes phaenomena omnia, quae ab hominibus putantur esse vitalia, nihil esse nisi motus physicos admirabili complicatione compositos[3].

---

hodie id ipsum fatentur, quod modo ex doctrina veterum proposuimus. Inter alios Otto Schneider (Transcendentalpsychologie [Leipzig 1891] p. 78: „Das Thier bleibt auf der Stufe des durch Begierden und Bedürfnisse eingeengten Gefühlslebens stehen. Aus einer quälenden Ueberfülle von Säften des Organismus zieht die Spinne immer auf dieselbe Weise ihr kunstreiches Netz, in welchem sich ohne ihre bewusste Absicht das Insect fängt, das ihren Hunger stillt und wieder die stachelnde Ueberfülle von Säften hergibt. Gefühle, Unlust und Lust treiben den Vogel immer wieder auf dieselbe Weise zum Nestbau und Brüten. Kein Thier erschafft und erfindet sich ein Werkzeug zur Befriedigung seiner Bedürfnisse; keine künstliche Vorrichtung wird von dem Thiere getroffen. Es gelangt nicht einmal dazu, seine Organe im Sinne der Werkzeugsthätigkeit umzubilden. Der Affe gebraucht nicht nur keinen Stock als Werkzeug, er macht nicht einmal eine Faust (Plura de hac re L. Noiré, Das Werkzeug)... Die Aufmerksamkeit des Thieres ist nur auf diejenige Seite des wahrgenommenen Gegenstandes gerichtet, welche augenblicklich seine Begierde befriedigt.“

[1] *Ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις οὐ νόησις οὐδὲ λογισμός, ἀλλὰ φαντασία* (L. 3 de anima c. 10, 433 a, 12, et multis locis aliis. [2] Cic. l. 5 de fin. bon. et mal. c. 4.

[3] „Es wirkt (ut dicit I. M. Schiff) z. B. ein bestimmter Reiz auf unsere

Id confirmari dicunt lege illa conservationis virium in natura, quae hodie ex communi doctorum hominum sententia reapse insit in rebus. Omnem musculorum vim, quae in motibus vitalibus appareat, ex combustione oriri, quae sit coniunctio oxygenii cum quibusdam ciborum elementis; et generatim omnem vim motricem animalibus advehi in hausto per pulmones aëre et in cibis stomacho digestis [1].

Contra materialistas primo ostendendum erit reapse in multis corporibus naturalibus reperiri vitam vegetativam atque etiam cognoscitivam. Postquam vero ostenderimus haec phaenomena non reperiri in corporibus anorganicis, magna accuratione videndum erit, quodnam discrimen inter corpora viventia et non-viventia intercedat.

71. Alio modo adversantur nobis ex idealistis illi, qui subiectivismum sive solipsismum profitentur; inter quos Fichte, Hegel, Schopenhauer, quorum unusquisque arbitratur se ipsum solum esse ens realissimum summa intelligentia exornatum, reliquos vero homines omnes, sicut etiam res ceteras, nihil esse nisi vana phaenomena vel somniorum imagines. Multi de realitate aliorum hominum dubitant, eam tamen admittunt tamquam

---

Retina und erregt auf seine Weise das Gehirn, durch verschiedene Combinationen wird auf dem Gesichtscentrum ein secundärer Reflex erzeugt; der Vorgang kann sich so einigemal wiederholen und endlich in uns das Bild einer Bewegung unseres Körpers erzeugen und dies Bild wieder ein anderes von unserem Zustand nach dieser Bewegung. Im Falle nun alle diese Vorgänge sich gegenseitig unterstützen zur Erzeugung einer Gesamtempfindung, die sich auf die Bewegungsorgane reflectirt, sagen wir, wir hätten die Bewegung gewollt" (Lehrb. d. Physiologie I, 216). — Dicit Moleschott: „Der Gedanke ist nur eine Bewegung oder Umsetzung des Hirnstoffes; die Empfindung nichts als ein Verhältniss der Sinnesnerven zu den Dingen ... und der Wille nur der nothwendige Ausdruck eines durch äussere Einwirkungen bedingten Zustandes des Gehirnes" (Der Kreislauf des Lebens S. 419. 423. 439). Huius tamen affirmationis rationem affert nullam; quum ea nitatur, ut ipse dicit, „auf dem unangreifbaren Satz C. Vogts: ‚jeder Naturforscher werde bei einigermassen richtigem Denken auf die Ansicht kommen, dass alle jene Fähigkeiten, die wir unter dem Namen der Seelenthätigkeit begreifen, nur Functionen der Gehirnsubstanz sind, oder grob ausgedrückt, dass die Gedanken in demselben Verhältnisse zum Gehirn stehen, wie die Galle zur Leber oder der Urin zu den Nieren'."

[1] Dicit inter alios Chr. Wiener: „Die von einem Thiere geleistete Arbeit ist nichts anderes als eine Arbeit von Licht und Wärme oder hauptsächlich von Sonnenstrahlen, welche in den durch sie gebildeten Pflanzentheilen aufgespeichert und im thierischen Körper nur wieder nach aussen frei wird" (Grundzüge der Weltordnung p. 224).

hypothesim prudentiorem; inter quos Helmholtz[1]. Hunc errorem iam in Logica (n. 642 sqq.) tetigimus[2].

72. Ex iis philosophis, qui in explicandis naturae rebus supra modum causis spiritualibus partes attribuunt (qui eapropter communi nomine spiritualistarum insigniri solent), reperiuntur, qui nullam vitam esse velint, quin sit pure spiritualis. Hanc vitam pure spiritualem animae humanae adiudicant, reliquis rebus negant. Negant igitur ullibi reperiri vitam organicam; unde horum opinatio apud nonnullos nomen organicismi sibi meruit.

Celeberrimus hac in re est Cartesius, quem docuisse scimus res omnes a Deo creatas aut extensione actuali geometrica, aut actuali cogitatione constitui, ita ut illa extensio sit essentia corporum, et cogitatio sit essentia rerum spiritualium (Log. n. 57; Phil. nat. n. 54. n. 237). Ex qua doctrina id etiam consequens erat, ut beluis negaret ullam inesse vitam, atque de bestiis id ipsum fere diceret, quod materialistae asseverant etiam de homine.

Cartesianis si credis, bestiae sunt automata, sive machinae mirabili arte constructae. Si ars humana iam admirabilia artificia procreat, incredibilis erit industria naturae, cuius ars ista imitatrix est[3]. Quemadmodum, inquiunt, interdum per artem humanam machinae confectae sunt, quae speciem alicuius beluae pro se ferunt, in quibus aliquae operationes efficiebantur iis similes, quas in bestiis videmus, velut aperire os, sonum edere, obliquare oculos, moveri, volare, serpere, ita a Deo auctore naturae machinae multo perfectiores tam affabre factae sunt, ut in illis perfectiore etiam modo efficiatur, quidquid in beluis observamus; quae operationes propter similitudinem cum sensitivis hominum operationibus sensitivas nominare liceat.

Neque tamen Cartesium auctorem vel primum inventorem huius de beluis opinationis esse putes. Hanc ante proposuerat Gomez de Pereira, hispanus medicus, in libro, cui titulus: Antoniana Margarita (Medina del Campo 1554). Atque etiam apud veteres aliquos (Diogenem Cynicum, Stoicos, Senecam) huius sententiae vestigia reperies.

---

[1] In opusculo: Die Thatsache der Sinnesempfindung (Berlin 1879), et alias saepe.

[2] De solipsismo cfr. Al. Schmid, Erkenntnisslehre (Freiburg 1890) p. 139. 330—335.

[3] Cartes., Epist. pars I, ep. 67.

Ab opinatione Cartesiana vix differt sententia Petri Gassendi aliorumque, qui in multis rebus in doctrinam Epicuri relapsi sunt. Qui omnem vitae sensitivae causam a structura corporis vel speciali humorum mixtione repetentes, animam beluarum in parte quadam subtiliore, ignea, spiritosa, quam nonnulli flammulam appellaverant, vel in spiritu, vel in sale tenuissimo, vel in flore sanguinis, vel in materia phosphorea posuerunt.

73. Ex adversa parte vix omni tempore exstiterunt, qui bestiis non solum cognitionem sensitivam addixerint, sed etiam vitam intellectivam. Inter quos ex Graecis sunt Pythagorei atque etiam Plato, qui opinabantur multis animabus hominum hanc ignominiam statutam esse, ut post mortem hominis in corpora beluina transmigrare deberent.

Plurimi sunt praeterea, qui omne discrimen essentiale inter cognitionem intellectivam et sensitivam negent. Qua sententia posita iam specialis illa inter homines et beluas differentia essentialis, quae ab universo genere humano ab omni tempore firmiter est credita, plane evanescit.

Inter hos dignitatis humanae osores imprimis invenies materialistas omnium temporum, quibus omnes cognitiones tum sensitivae tum intellectivae sunt functiones cerebri.

In hac sententia non solum erant Democritus, Epicurus, sed etiam Empedocles, Anaxagoras.

Id ipsum opinantur haud pauci ex nostrae aetatis physiologis, qui, putantes facultates omnes in animalibus esse organicas et cerebro proprias, distinguunt operationes instinctivas et intellectivas. Instinctivas vocant, quas animalia caeca naturae necessitate peragunt, quae igitur peraguntur ab omnibus individuis eiusdem speciei eodem modo; intellectivas vero eas dicunt, quae ab unoquoque individuo secundum cognitionem propriam et sagacitatem peculiarem peraguntur.

Ab hac vix differt opinatio sensistarum (Log. n. 677. 862), qui negant cognitionem intellectivam a sensitiva essentialiter differre.

Darwinistae, quum credant hominem ex belua paullatim esse evolutum, intelligentiam etiam beluis propriam esse dicunt, sed multo imperfectiorem quam hominibus. Et permittunt etiam inter intelligentiam beluae astutissimae et intelligentiam stupidissimi hominis interesse plus discriminis quam inter intelligentiam hominis rudis et intelligentiam hominis sapientis. Sicut autem inter intelligentiam hominis rudis vel vagientis parvuli et

intelligentiam viri sapientissimi non sit discrimen essentiale, ita neque inter intelligentiam beluarum et hominum discrimen esse nisi accidentale et secundum gradus.

74. Sed etiam de plantis mota est quaestio. Sicut bestiis alii non satis vitae tribuerunt, alii nimium, ita etiam reperies, qui plantis nullam vitam inesse affirmaverint, alios, qui illis non solum vitam vegetativam, sed etiam cognoscitivam adiudicaverint.

Tandem quod reliquum est, etiam de crystallis dubitatum est propter nutrimentum et augmentum, quod in illis observetur, num vitam manifeste habeant necne (Log. n. 1529. Phil. nat. n. 116).

Ut igitur quae posuimus ab omni cavillatione adversaria defendamus, nunc post statutam doctrinam, exemplum in schola peripatetica pervulgatum sequentes, ponemus quaestiones atque solvemus. Hoc loco quaeremus tria: 1° sitne vita in omnibus animalibus; 2° num vita intellectiva, quae est in hominibus, reperiatur etiam in bestiis; 3° quae vita reperiatur in plantis et crystallis.

Quaeritur primo:

quae vita sit in animalibus.

75. **Rationes dubitandi.** (1.) Dubium est, sitne in animalibus rationalibus sive hominibus aliqua vita. Nam id nobis non per aliam viam innotescere potest, quam per reflexionem sive conscientiam. Sed conscientia mendax est. Clarissime enim nobis testatur nos in quibusdam actionibus agere ex libero voluntatis arbitrio. At principium causalitatis quum habeat vim universalem, nullum libertati locum relinquit.

(2.) Quod si nemo certo scire potest se ipsum vivere, multo minus constare potest, vitam inesse in aliis hominibus. Quis enim scire potest, num homines reliqui vere vivant, an sint automata mirabili arte mechanica constructa?

(3.) Itaque probanda videtur modestia materialistarum, qui etiam se ipsos asseverant esse machinas, omniaque phaenomena, quae vulgo dicuntur vitalia, absolvi motu mechanico. Et reapse tantum motus adhibetur in operationibus vitalibus, quantum organismo advehitur per cibum, potum, aëra.

(4.) Si quis autem negare velit in organismo cuncta absolvi viribus materialibus, is praeter materiam ponet nescio quod principium vitale. Sed id idem est atque illustrare rem, quae est clarior, adhibita obscuriore. Ergone in bestia spiritus erit? Et spiritus iste imperabit corpori ut dominus famulo? vel movebit corpus velocipedistarum more?

(5.) Vegetationem quod attinet, multis optimi nominis res aperta est, plantas nihil esse nisi machinas summa arte a natura constructas. Quod si, quae dicitur vita vegetativa in plantis, solis machinamentis mechanicis explicari potest, eccur non etiam in bestiis atque hominibus?

(6.) Hominibus vitam cognoscitivam concedamus. Sed bestiae ea omnino carent. Quid enim discriminis est inter clamorem felis, cuius caudam pede

tuo triveris, et sonum instrumenti musici, quod pulses digitis? Bestiae sunt automata. Sensus externi ab obiectis externis per processus physicos mechanice irritantur; mechanice deinde excitantur nervi, quibus impressiones istae deferuntur ad cerebrum; aperiuntur subtiliter meatus nervorum in cerebro; ex his proveniunt motus ad musculos, quibus contractis vel laxatis machina tota ad motus certos determinatur; ac si ista machina esset viva bestia.

(7.) Bestiae, sicut cognitionis, ita etiam intellectionis exhibent indicia. Sed ex his indiciis non solet concludi bestias habere intellectum. Ergo neque ex indiciis cognitionis concludere licet bestias quidpiam cognoscere.

76. **Thesis: Per experientiam et observationem constat, animalia pollere vita sensitiva atque etiam vegetativa; et ita quidem, ut animal ipsum, quod vivit per vitam sensitivam, vivat etiam per vitam vegetativam sive organicam.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Experientiam et observationem eam intelligimus, quae ab hominibus haberi solet sive per conscientiam sive per sensus externos (Log. n. 599).

Praenota 2°. Animalia hoc loco sunt ea omnia, quae homines in vitae consuetudine pro animalibus habent: homines et bestiae.

Praenota 3°. Voce vitae sensitivae et vegetativae eam vitam intelligimus, quam omnes homines homini inesse agnoscunt ut specialem se movendi et se perficiendi facultatem[1].

Utraque haec vita organica est, quia ad eius usum efformantur partes inter se dissimilares certis actionibus et variis ministeriis adaptatae, quas organa vocare solemus. Sed haud raro hoc nomen vitae organicae adhibetur ad indicandam tantum speciem inferiorem: vitam vegetativam.

Praenota 4°. Dicimus igitur et homines et bestias per sensus externos percipere res vel eventus exteriores (Log. n. 600), et praeterea in iis inesse sensus internos (Log. n. 112. n. 659). Ex his operationibus, quas sensationes vocant, apparet, concludendum esse ad sentiendi facultatem, qua videlicet animal capax sit, ut res sensiles percipiat.

Hac in re controversia est, si quaeratur de animalibus generatim, praecipue cum materialistis; si agatur de hominibus praeter ipsum „Ego", cum solipsistis; si quaeratur de solis bestiis, praecipue cum Cartesianis[2]: de quibus adversariis supra (n. 70 sqq.) diximus.

---

[1] Definitio haec vaga pro initiali satis est. Definitio perfecta et terminalis (Log. n. 143) ab initio statuenda non est. In hac enim psychologiae parte non a priori, sed a posteriori, i. e. ex observata rerum realitate, est procedendum. Non res ex praeconcepta definitione hoc loco iudicandae sunt, sed post res accurate observatas definitio statuenda erit.

[2] Contra Cartesium praeclare scripsit Daniel: Peregrinatio ad mundum Cartesii (I, 5, et tom. II).

Praenota 5°. Vita vegetativa ea est, qua organismus ipse tendit ad se evolvendum, restaurandum, propagandum. Haec vegetatio tota tribus operationibus, quae praecipuae sunt, continetur.

„Prima operatio est nutritio, per quam salvatur aliquid ut est. Secunda autem perfectior est augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem et secundum quantitatem et secundum virtutem. Tertia autem perfectissima et finalis est generatio, per quam aliquid iam quasi in se ipso perfectum existens alteri Esse et perfectionem tradit. Tunc enim unumquodque maxime perfectum est, quum potest facere alterum tale, quale ipsum est.“ [1]

Praenota 6°. Haec thesis tribus partibus absolvitur.

In prima parte et in hominibus et in bestiis inesse vitam sensitivam definimus. In altera parte iisdem vitam vegetativam vindicamus, in qua quidem ratio vitae obscurior est. In tertia parte statuitur esse in unoquoque animali ens unum, quod simul vivat et per sensationes et per vegetationem, ne videlicet putet quispiam, propter duplicem supra statutam vitam, in unoquoque animali esse etiam duo viventia.

77. **Argumenta.** *Argumentum pro parte prima*, in qua edicitur animalia habere vitam sensitivam.

Priusquam concludamus argumentum, res sive facta praesto esse debent, quae sint huius argumenti quasi fundamenta.

1. Phaenomena facultatis sensitivae in hominibus. Teste experientia homo quaerit se ipsum perficere, operando secundum species sensibiles rerum, quae species sunt formae ab homine per organa sensitiva acquisitae; plurima enim percipit visu, tactu, auditu, gustu, olfactu; has perceptiones sensu uno communi colligit, distinguit, inter se comparat; reproducit imagines per phantasiam, memoriam; aestimat res sibi convenientes vel alienas.

Rebus deinde vel eventibus vario modo afficitur in appetitu suo, ita ut alias quaerat ob delectationem vel de habitis gaudeat, alias fugiat propter discrepantiam sensibilem vel de habitis doleat. Et interdum homines se instinctu quodam duci sentiunt, vel discretione aliqua sensitiva utilis et nocivi; id quod utile est, sub ratione delectabilis prosequuntur, et id quod nocivum est, sub ratione iniucundi fugiunt.

Secundum has vero varias virtutis sensitivae affectiones ipse homo sibi determinat motus varios spontaneos.

Atque haec omnia quoad se ipsum unusquisque homo quotidie sexcenties experitur per conscientiam. Sed nemo sanae mentis dubitat, quin phaenomena eadem reperiantur apud homines alios.

[1] S. Thomas l. 2 de an. lect. 9.

Apparent imprimis iidem motus spontanei, qui ex nulla vel implicatissima dispositione mechanica explicari possunt. Videmus enim motus hominum incredibili varietate distingui pro variarum rerum praesentia, nec ulla in hac motionum successione diversissima apparet periodica reditio. Videmus deinde illos motus manente eadem natura et manentibus iisdem externis impressionibus modo effici modo omitti; modo sic, modo aliter produci. Qui motus inconstantes et irregulares in aliis hominibus habere non possunt causam aliam atque habent in nobis. Sunt ergo in omnibus hominibus spontanei.

Deinde eadem signa variarum affectionum, velut gaudii, irae, tristitiae, appetitionis, fugae, quibus nos natura duce nostros sensus internos (Log. n. 112 sqq.) manifestamus, apparent eodem modo etiam in aliis hominibus. Quam ob rem sicut illis vere manifestatur facultas sensitiva, quae est in nobis, ita etiam in hominibus aliis.

Sunt praeterea indicia plurima, quibus apertum est, in aliis hominibus esse phantasiam, memoriam et reminiscentiam, discretionem utilis et nocivi eodem plane modo, quo conscientia teste scimus eas res vigere in nobis.

Eandem denique conformationem organorum sensitivorum, oculorum, aurium, manuum, reliquorum, quam nos habemus, etiam apud alios homines observamus. Ex quo concludendum est organa ista, sicut in nobis ipsis inserviunt ad producenda phaenomena sensitiva, ita etiam in aliis hominibus ad producendas has easdem operationes destinata esse. Haec de hominibus. Veniamus nunc ad bestias.

2. Phaenomena facultatis sensitivae in bestiis[1].

a) Primo videmus actiones bestiarum permultas actionibus sensitivis hominum omnino similes esse.

α) Bestiae motu illo inconstanti, qui extra omnem regulam est, quem apud homines „spontaneum“ diximus, insignes sunt.

Elevant capita sursum dextrorsum, rotant oculos versus hoc vel illud, alternatim uno pede progrediuntur; sedent, cubant, stant. Motus suos varia ratione mutant pro varietate nutuum, minarum; blanditiis vel fustibus ad motus rite peragendos impelluntur. Si cani lapidem ostendis formam panis habentem, accurrit, si invenerit lapidem, frustra eum revocabis; fugit locum, quo ante vapulavit; si e fenestra videt venientem dominum, non se praecipitem dat, ut recta ad eum feratur, sed scalas petit; ad dominum e longinquo citius pergit quam ex propinquo; exsaturatus, quae restant, in loco remoto recondit. Aliae bestiae mille artibus se tuentur; vitant, quae periculosa sunt; praedam capiunt; pullos suos cum proprio periculo defendunt. Haec et sexcenta alia congruenti ut plurimum modo pro varia conditionum circumstantia variant.

β) Et his motibus spontaneis apertum est, bestias habere cognitiones proprie dictas et elicere appetitiones secundum obiecta ab ipsis cognita.

Moventur enim ad id, quod vident, atque id etiam tum, quum prima vice vident. Ex quo apparet, eas non sentire, quum vident, affectiones subiectivas,

[1] Cfr. Arist. l. 8 et 9 de hist. animal.

sed res extra se exsistentes. Atque etiam bestiae, quum tangunt aliquid, vel motu recedunt, vel motu nisum efficiunt versus illud, quod sentiunt, eodem prorsus modo, quo id in hominibus accidere solet. Revera igitur percipiunt res extra se exsistentes.

Inest praeterea in motibus atque in beluarum appetitionibus tanta varietas, quae in cognitionis dumtaxat varietate causam habere possit [1]. Quae res confirmatior est, si docilitatem bestiarum attendas. Haec enim sine cognitione esse non potest. Doctrina non organa mutat, ut haec moveantur aliter, sed per cognitionem bestiam movet, ut ipsa aliter organa adhibeat.

γ) Sicut in homine, ita etiam in bestia subiectum unum est, quod videt oculo, audit auribus, a quo efficiuntur cognitiones, ex quo exeunt appetitiones, ita ut unum sit, cuius phaenomena sensitiva propria sint, non multa, ut in examine apum uno accidere videmus.

δ) Habent bestiae affectus sensitivos. Edunt enim signa naturalia doloris, desiderii, timoris, aversionis, voluptatis, velut olim canis Tobiae: „Tunc praecucurrit canis, qui simul fuerat in via, et quasi nuntius adveniens, blandimento suae caudae gaudebat“ (Tob. 11, 9).

ε) Habent phantasiam sive potentiam sibi repraesentandi res absentes. Unde recte poëta: „Et canis in somnis leporis vestigia latrat.“ Phantasiae accedit memoria sive praeteritorum recordatio sive rerum praeteritarum recognitio.

Qua de re: „Puto“, inquit S. Augustinus, „te negare non posse bestias habere memoriam; nam et nidos post annum revisunt hirundines, et de capellis verissime dictum est: Atque ipsae memores redeunt ad tecta capellae. Et canis herum dominum, iam suis hominibus oblitum, recognovisse praedicatur.“ [2] Haec memoria sensitiva est, non intellectiva. „Memoriam non rerum intelligibilium, sed harum corporearum bestiae habent; nam et per loca nota sine errore iumenta pergunt, et cubilia sua bestiae repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt; quod nullo modo possent, nisi in earum memoria visarum rerum versarentur imagines.“ [3]

ζ) Est denique in bestiis amplior quam in hominibus apprehensio illa nocivi vel utilis (sub ratione sedandorum stimulorum naturalium), quam aestimativam vocant, quacum instinctus (Log. n. 118) coniunctus est.

Sic avis ad nidificandum colligit paleas; multae bestiae ante omnem experientiam cognoscunt cibos sibi idoneos, herbas medicinales ad medendum variis morbis aptissimas; agnus horret lupum; formica grana, quibus hiemali tempore vescatur, per aestatem colligit servatque detractis apicibus vel oscillis, ne interim germinent.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 11, a 2. [2] L. 1 de musica c. 4, n. 8.
[3] S. August. l. 1 epist. fund. c. 17.

Obicies: Falso inter haec phaenomena posita esse videtur memoria. Sicut enim *chartae* impressas implicationes retinere possunt, quae certe non cognoscuntur, ita etiam cerebrum sine ulla cognitione impressas imagines servare potest. — *Resp.:* Disparitas est. Nam chartae proprietas in eius rigiditate et duritie causam habet, qui rigor a cerebro abest. Charta deinde varias implicationes simul imperturbate retinere non potest; cerebrum potest. Tertio, quae res praecipua est, omissa est ab obiciente illa renovata cognitio vel recognitio, quae ope memoriae ab animalibus habetur, minime vero a charta.

Ex hac similitudine, quae inter actiones hominum et bestiarum eo quo diximus modo intervenit, concludendum est, sicut homines vere sentiant, ita etiam sensum esse in bestiis.

b) Ad similitudinem actionum accedit organorum similitudo, qua id, quod diximus, confirmatur. Ex similitudine enim mediorum ad similem finem concludere licet. Sed bestiis organa sunt, quae eadem aptitudine ad eliciendas sensationes a natura disposita sunt, qua id observatur in hominibus.

Nam natura bestiis dedit oculos, aures, organum centrale, reliqua. Sed natura ingentis stultitiae arguenda esset, si non dedisset oculos ad videndum, aures ad audiendum: sicut illum artificem ineptum iudicamus, qui caeco tubum opticum applicat, vel asino lyram offert.

78. Itaque per experientiam et observationem ostensum est reperiri et in hominibus et in bestiis phaenomena vere sensitiva; quae vulgo iudicantur esse vitalia. Atque his positis fundamentis componenda iam est ipsa argumenti conclusio. Argumentum sic est.

Phaenomena sensitiva ea sunt, quibus animal speciali modo se ipsum perficere quaerit operando secundum species sensibiles obiectorum, quae species formae sunt ab animali acquisitae; secundum has formas ipsum sibi determinat varios motus, prout obiecta sensibilia aut quaerit ob delectationem sensibilem, aut illa horret ob sensibilem aliquam discrepantiam.

Atqui id ipsum est, quod voce vitae sensitivae exprimere solent. Si enim accurata voce significare velimus id, quod mente cogitamus, quum ens vivere sensitive enuntiamus, illud ens ideo vivere dicemus, quod nitatur sibi acquirere perfectionem novam operando secundum formas materiales acquisitas, ita ut propter terminum ex operatione resultantem et in ipso ente receptum actionibus suis versetur in obiectis sensibilibus per appetitum sensitivum et motum spontaneum.

Vel ordine argumenti inverso paucis dicemus sic: Ibi est vita sensitiva, ubi est impressio organica recepta in ente, quod hanc externarum rerum im-

pressionem non solum excipit, sed ea interveniente res ipsas obiectas percipit, i. e. obiective sibi praesentes sistit; ubi in has res excitatur appetitus secundum rerum cum percipiente convenientiam vel disconvenientiam; ubi ens secundum hunc appetitum excitatum sponte se ipsum movet. Atqui ostensum est haec fieri in animalibus.

Vel si placet, ita concludatur argumentum: Motus animalium, quos spontaneos dicunt, a rebus obiectis et potentiis animalium efficiuntur aut propter determinationem unice naturalem, aut propter directionem, quae ex cognitione oritur. Atqui prius ne putaveris. Ergo alterum admittendum est. — *Prob. min.* Si motus illi efficerentur secundum leges naturales (mechanicas, physicas, chemicas), determinarentur a rebus exterioribus eo modo, quo hae res actuali animalis experientiae subsunt. Sed id non fieri videbit vel caecutienti oculo, quicunque observare vult, quae illis motibus inest, inconstantiam, defectum proportionis secundum tempus et spatium, impressionem adiunctorum actu non praesentium, admirabilem conspirationem omnium actionum ad unum eundemque finem; etiam errores.

Est igitur extra omnem dubitationem positum, quin in illis motibus interveniat causa, quae toto genere differt ab omni actione naturali, quae sola esse potest cognitio.

Dices: Cognitio nihil aliud esse videtur quam specialis quaedam multorum motuum mechanicorum complicatio. Haud raro enim accidit, ut ex multis actionibus inferioris ordinis exoriatur novum actionis genus, velut „indicare horas", quod a solis metallis speciali ratione in horologio dispositis per solos motus mechanicos efficitur. — *Resp.:* Horarum indicatio minime est novum actionis genus, sed est motus mechanicus ex aliis motibus mechanicis, qui nomen novum consequitur ex fine huius artificii externo. Sed cognitio leges sequitur, quae ab omni rerum mechanicarum complicatione alienae sunt.

79. *Argumentum pro parte secunda,* in qua proponitur, animalia habere etiam vitam vegetativam. Animalia arripiunt alimenta, eaque per intussusceptionem in substantiam propriam convertunt et in unitatem suam assumunt; atque hoc modo cum continua materiae mutatione se nutriunt, augent, vulnera morbosve sanant, seseque propagare student. Atque haec omnia fiunt secundum typos naturales sive formas, quae iam in natura iacent uniuscuiusque animalis.

Hoc igitur cognito sit argumentum: Illud ens dicimus vivere per vitam vegetativam, quod ad id nititur, ut novam sibi perfectionem acquirat operando secundum formas naturae insitas, ita ut terminus resultans ex eiusmodi operatione assumatur ut pars

nova in substantiam ipsius. Talis quippe nisus ab omnibus, quae in rebus aperte inertibus reperiuntur, differt essentialiter.

Atqui ostensum est ea fieri in animalibus. Ergo animalia vivunt per vitam vegetativam.

Obicies: Organismus animalis praeclaro aedificio comparari potest; quod tamen non est unum per se, sed unum per accidens. Quod si abest unitas per se, abest quoque immanentia actionis proprie dicta. — *Resp.:* Est certe organismus aedificii instar vel generatim artificii. Sed 1. est ab artifice uno. Nam in evolutione organismi certus finis essentialiter unus appetitur, qui finis est totius organismi debita et ordinata conformatio, conservatio, propagatio. 2. Et iste „artifex" non est extra organismum, sed est organismus ipse. Nam se nutriens, augens, sanans, propagans, usque mediis aptis illum finem retinet. superatis impedimentis, quae occurrunt, admodum diversis, licet ponatur in conditionibus quantumvis diversis; deinde vim habet sese propagandi iteratis in indefinitum generationibus. Atque haec omnia, tendentiam actionis primariam quod spectat, ipse solus organismus ex se operatur. Est ergo actio vere immanens.

80. *Argumentum pro parte tertia,* in qua statuitur in animali quolibet esse unum vivens, quod simul vivat per vitam sensitivam et vegetativam. Si in animali principium sensitivum non esset idem atque principium vegetativum, animal bibens comparandum esset equiti adaquanti equum suum, vel hortulano irriganti flores. Atqui id a veritate est remotissimum. Quod his rationibus ostenditur:

1. Declaratur ex connexione mutua actionum vegetalium et sensitivarum. Nam functionibus vegetativis producuntur organa non solum vitae vegetativae, sed etiam sensitivae; et appetitu sensitivo impellitur animal ad curandum id, quod essentialiter spectat ad vitam vegetativam. Sed principium vegetativum producit organa sui corporis, non alteri, tamquam domino suo, sed organa cuncta eodem modo parat sibi ipsi. Et iterum principium sensitivum impellitur ad curandam vegetationem non alteri tamquam servo suo, sed bonum vitae vegetativae quaerit ut bonum sui ipsius. Ergo in animali unum est, quod vivit et per vitam sensitivam et per vitam vegetativam.

2. Declaratur ex natura vitae vegetativae in animalibus imperfecta et partiali. Vita vegetativa in animali per vitam sensitivam perficitur non extrinsecus, sed intrinsecus. Id enim, quod in animali vivit per vitam vegetativam, iis a natura est instructum facultatibus, quibus indiget, ut in consueta conditionum circumstantia vitam vegetativam secundum modum naturae congruentem peragere possit. Atqui has facultates non

habet per solam vitam vegetativam, sed ad finem illum est necessarium, ut ipsum illud ens habeat facultates sensitivas. Quid enim fieret de illo ente vegetante, nisi ipsum sentire possit indigentiam ciborum, potuum? nisi ipsum sibi in membris imprimere possit motus spontaneos ad procurandum multis vitae necessitatibus?

Accedit, ut etiam vita sensitiva in animali vitae vegetativae ut sibi propriae indigeat. Ad id enim tendit vita sensitiva ex natura sua, ut vivens cum aliqua quamvis imperfecta sui conscientia sua vita fruatur. Fruitur autem animal ut animal est, potissimum eo, ut satisfiat indigentiis vitae vegetativae.

3. Confirmatur tandem id, quod diximus, ex unitate ortus, evolutionis, interitus. Cuius unitatis causa in eo tantum esse potest, quod unum est principium vitae sensitivae atque vegetativae.

Atque his de re omni, quae in thesi posita est, confirmatis, nunc diluere ea, quae contra a dubitantibus adducta erant, oportebit.

81. Respondenda ad rationes dubitandi (n. 75).

(Ad 1.) Ostensum est alibi, iudicia conscientiae ex se errori obnoxia esse non posse (Log. n. 663). Unde constat perspicue, hominem in multis rebus agere cum libertate voluntatis. Inscienter dicit, qui inter hanc libertatem et principium causalitatis contradictionem esse affirmat. Ad explicandum factum in voluntate humana ea ponenda sunt, quae sint satis. Qua de re post dicturi sumus.

(*Ad 2* in argumento responsum est.)

(Ad 3.) Recte dicunt, qui arbitrantur organismos omnes esse etiam machinas. Sed stulte dicunt, qui inde concludunt, organismos nihil esse nisi machinas. Sunt machinae, quatenus in ipsis omnia absolvuntur ministerio virium mechanicarum et physicarum. Sed illud ens, quo dirigente machina oritur, conservatur, restauratur, multiplicatur, non est a machina alienum, sed inest in ipsa machina; quae igitur plus est quam machina. Non igitur est dubium, quin in omnibus eventibus organicis, sive vegetativi sint sive cognoscitivi, adhibeantur vires chemicae et physicae, vel, ut dicebant Peripatetici, qualitates corporeae [1]. Quidquid in operationibus vitalibus est mechanicum vel aequivalet effectui mechanico, id totum et integrum est haustum vel transformatum ex causis mechanicis sive viribus corporeis materiae. Si autem quaeratur, per quam viam id fiat, in varias sententias doctores abeunt. Alii vim istam potissimum ex resolutione aliqua musculorum repetunt (inter quos Liebig), alii ex consumptione materiae combustibilis (carbonici), vel ex copia sanguinis [2].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 1.

[2] „Vivere est per calidum et humidum, quae in animali per sanguinem conservantur“ (S. Thomas, Quaest. disputat. q. 3 de pecc., a. 9 ad 8; Summa c. gent. l. 2, c. 82).

Dices.: Qui incredibilem illam cerebri et aliarum organismi partium complicationem accurate consideraverit, is dilucide perspiciet, esse comparationem perfectam inter phaenomena vitalia tanquam effectus et materiam tantopere implicatam tanquam illorum effectuum causas adaequatas. — *Resp.:* Id ab omni veritate alienum est. Quis enim unquam istam comparationem vel obscure declarare conatus est, quin sese exposuerit sapientium virorum derisui? Neque sine ratione isti implexus in organis insunt. Nam universa lex naturae est, ut altiores causae producant effectus suos altiores ministerio quantum fieri potest causarum inferiorum, ne videlicet fiat rerum dispendium in natura. Est igitur organizatio sive organorum tanta implicatio, ut vires materiales in ministerium vitae congruenti modo adsciscantur.

De essentiali differentia, quae inter res viventes et non-viventes intercedit, alio loco accuratius inquirendum erit.

(Ad 4.) In multis rebus nobis hominibus effectus clariores sunt causis. Nihilo setius etiam his in rebus sapientes censent, effectus magis etiam clarescere cognitis causis, quam causis non cognitis; et ipsas etiam causas minus obscuras nobis esse quum aliqua ratione cognoscuntur, quam quum nulla cognoscuntur ratione. De natura principii vitalis post accurate erit philosophandum. Animam beluinam dicemus esse mediam inter materiam et spiritum, si voces istae sensu stricto accipiantur. Est enim forma materialis (Phil. nat. n. 136 sqq.), quae per metaphoram etiam forma spiritualis vocari potest. Non imperat forma materiae ut domina, si intelligas hanc vocem sensu proprio. Sed simul cum materia constituit rem unam vivam, quae se ipsam movet.

Obicies: In omni sciendi genere ea eventus naturalis explicatio est desideratior, in qua causae adhibentur, quas in nostra experientia contentas maxime perspicimus. Sed materia extensa et motus localis a nobis tam clare perspicitur, ut praeterea nihil. — *Resp. 1°: Nego mai.* Nam id est desideratissimum, ut effectus revera causis proportionatis explicentur. *Resp. 2°: Nego min.* Etsi enim istas res facile nobis per phantasiam repraesentamus, difficulter tamen earum naturam intellectu comprehendimus.

Porro obicies: Ponere possumus materiae inhaerere accidens quoddam, quo ipsa materia ad edendos effectus vitales fiat idonea; eo fere modo, quo metallum configuratione externa idoneum fit in horologio ad indicandas horas. — *Resp.:* Hanc dubitationem nunc omittimus. Post enim ex industria quaerendum erit, utrum principium vitale possit esse accidens an debeat esse substantiale. Hoc loco monuisse satis est, quum accidentis Esse sit Inesse, accidens semper naturam eius sequi, in quo insit. Ex quo fit, ut accidens vitale materiae anorganicae brutaeque inesse non possit.

82. *(Ad 5.)* Quid sit vivere, praecipue in iis rebus investigandum est, in quibus vita est apertior et perfectior. Manifestior autem vita in animalibus reperitur quam in plantis. Unde ex cognita vita in animalibus concludendum erit ad vitam in plantis, non vero ex plantis ad animalia. Verum est, exstitisse aliquos philosophos, qui vitam vegetativam esse in plantis negaverint, in animalibus admiserint. At etiam nostro tempore verum est illud: Quandoque et bonus dormitat Homerus.

(Ad. 6.) Eveniant in cognitione sensitiva omnes illi processus mechanici, quos adversarii subtiliter enumerant. Nulla tamen re, quae est in hoc

genere, aliquid ipsius cognitionis dilucidatum est, quam tamen inesse in bestiis plurima phaenomena manifestant. Cur, quaeso, *ovis* fugit lupum, *lupus* quaerit ovem? Cur vis illa attrahendi *aves*, quae inest in *uva vera*, potuit inesse etiam in uva depicta? Cur res eadem *canem* modo ad se trahit, modo non trahit?

Itaque bestiae essent automata, si totae moverentur ut machinae propter occultum quoddam artificium, aut viribus physicis chemicisve naturae insitis, aut viribus rerum obiectarum in bestias agentium. Concedendum est, etiam in natura bestiarum illum appetitum naturalem esse insitum, quo unaquaeque res naturalis in bonum sibi conveniens inclinatur [1]. Concedimus quoque, appetitum bestiae et hinc etiam eius motum pendere ab impressionibus physicis illis, quibus sensus naturaliter immutantur, „ab exteriori sensibili." [2] At tenendum est, praeterea esse in bestiis impressiones apprehensas vel cognitas; esse quoque in ipsis appetitum elicitum secundum habitas cognitiones, et hinc motum spontaneum.

(Ad 7.) Ingens est inter indicia intellectus, quae sunt in bestiis, et indicia vitae sensitivae diversitas. Nam „indicia intellectus" in bestiis omisso intellectu explicari possunt; id quod mox ostendendum erit. Non igitur sunt „indicia", sed similitudines tantum. Contra indicia cognitionis sensitivae sunt indicia proprie dicta, quia in vera cognitione sensitiva causam habere debent. Haec quae prolata est dubitatio est fere similis, ac si quis diceret: Stannum non solum habet signum metalli, sed etiam argenti; atqui non est argentum: ergo neque est metallum.

83. Solvuntur quae restant dubia. *Dicunt 1°:* Si in aliqua re creata esset vita proprie dicta, supremo Dei dominio graviter derogatum esset. Deus enim est, qui operatur omnia in omnibus. Ergo praeter Deum nihil est, quod vivat. — *Resp.:* Simili argumento pantheistae suum errorem stabiliunt. Si, inquiunt, in aliqua re creata esset Esse proprie dictum, derogaretur multum perfectioni divinae, quae est omnis Esse abyssus. Simili argumento occasionalistae non solum omne Vivere, sed etiam omne Agere a creaturis remotum esse volunt (Phil. nat. 50 sqq.). Sed procul absit vanus iste derogationis timor. Est enim ipse Deus, qui, sicut omni rei creatae Esse tribuit, quod ab Esse divino diversum est, ita etiam omni rei principia propriorum actuum imprimit. Quam ob rem Deus recte dicitur praecipere toti naturae. Et Deus naturam, quam dedit, non violat, sed agnoscit, iuvat, ad finem perducit. Ita etiam res vivae sui iuris sunt atque habent id quod a Deo acceperunt, etsi omnes earum actiones et motus legi aeternae subdita manent [3].

Dicunt 2°: Anthropomorphismi vitio infecti sunt, qui bestiis vitam sensitivam attribuunt, qualem habent homines. Quaenam est differentia inter hominem et bestiam, si bestiis concedatur vita sensitiva? — *Resp.:* Anthropomorphismus vitiosus est, quum similitudo inter homines et res alias extenditur latius, quam id res et facta permittunt (Log. n. 868. n. 1121). Quoniam vero similitudo vel analogia, qua res variae inter se coniunguntur, magnum scientiae adiumentum est, in anthropomorphismo fons latet opulentissimus cognitionis atque

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 26, a. 1. [2] Ibid. 1, q. 78, a. 3.
[3] Ibid. 1, 2, q. 93, a. 5.

veritatis. Nihil enim nobis homine propinquius. Discrimen vero ingens, quod inter bestias et homines intercedit, eo non tangitur, quod bestiis adiudicatur sensus, quem in iis inesse innumerabilia facta testantur, quibus cum causis mechanicis nulla est proportio. Quod si haec ut sic dixerim disproportio sive discrepantia, quae est inter bestias et machinas, non impedit, quominus iudicemus bestias esse machinas, sternitur via, ut id ipsum etiam putemus de hominibus.

Dices.: Nulla res corporea sibi eam obiecti imaginem acquirere potest, quae ad omnem cognitionem requiritur. Atqui bestia est res corporea. — *Resp.:* Quum constet bestias habere cognitionem sensitivam, ponendum est, in bestia praeter materiam inesse causam, cuius virtute istae imagines efficiantur.

Dicunt 3°: Humana arte automata effici possunt. Quum autem ars sit naturae imitatrix, consentaneum est, ut etiam naturam automata sua produxisse multo perfectiora putemus. — *Resp.:* Produxit revera natura „automata", quae et in agendo et in essendo sunt essentialiter perfectiora artefactis humanis. „Omnes res naturales productae sunt ab arte divina; unde sunt quodammodo artificiata ipsius Dei." [1] Fieri autem non potest, ut natura unquam efficiat automata, quae quum in agendo sint essentialiter perfectiora, in essendo sunt perfectiora accidentaliter tantum.

Instat.: Deus quum sit omnipotens, potuit bestias ita constituere, ut per solum mechanismum peragerent motus omnes, quos in ipsis cernimus. — *Resp.:* Permittamus id de motibus bestiarum multis, at de omnibus id nullo modo concedi potest. Reapse enim fiunt a bestiis saepenumero motus, quales tantum ab ipsis per vitam sensitivam cognoscentibus peragi possunt.

Accedit, ut non solum Dei omnipotentia sit agnoscenda, sed etiam divina sapientia. Sed qui, quaeso, finis Deo sapienti constitutus esse potest ad ita instruendam naturam bestiarum, ut homines omnes, coacti quasi a natura, per errorem iudicent, beluas habere vitam sensitivam?

84. Corollarium. Ergo in beluis praeter sensus externos sunt etiam sensus interni (Log. n. 112); id quod multo clarius apparet in beluis perfectioribus, in quibus videlicet reperitur organum quoddam centrale simile cerebro.

Haec quae ad sensus internos spectant phaenomena ad quattuor capita revocari possunt.

Primo animal percipit affectiones et perceptiones sensuum externorum, easque colligit; qui sensus internus vel communis vocari solet. Necesse est enim, ut animalia appetant nutrimentum non ut gratum visui, sed ut sapidum. Quocirca observamus beluas in alimenta tendere, quae vident olfaciuntve, non propter pulchritudinem vel odorem, sed quia gustui conveniunt; alias baculum fugere, non quod sit tetricum quid, sed quia dolorem infert. Et canis eodem tempore olfacit et gustat cibum, audit sibilum do-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 91, a. 3.

mini, videt felem aemulam, manifestat invidiam mussitando, experitur dolorem a percutiente inflictum.

Secundo animal perceptas atque collectas perceptiones conservat; quae imaginatio appellatur[1]. Necesse est enim, ut animalia propter quaerendum cibum vel aliam utilitatem sibi imagine aliquid repraesentent, quod per sensum externum actu non percipiunt. Quocirca observamus bestias praedam quaerere, quam ante numero eandem numquam viderunt.

Tertio distinguit animal inter res sibi convenientes et nocivas, sine ulla utilitatis vel nocumenti experientia; idque fit per vim aestimativam. Necesse est enim, ut id discernere possint; secus vitam agere non possent. Quocirca beluas observamus eligere herbas has vel illas, ut aegrotae convalescant; sescenta alia.

Quarto animal ea, quae cognovit ante, retinet atque recognoscit, quod fit propter memoriam. Necesse est enim, ut belua cubile suum, nidum, pullos suos iterum inveniat, et ut pericula experta vitare possit. Quocirca observamus beluas recognoscere vias, benefactores; fugere ea, quae male perpessa sunt, habere generatim exspectationem rerum similium.

Et haec, quae de sensibus internis diximus, erunt confirmatiora, si consideremus insignem illum consensum et harmoniam et per totum vitae tempus coniunctionem, qua omnes operationes vitae sensitivae inter se cohaerent. Quae res explicari non potest, nisi positis sensibus internis.

Distinctio inter animalia perfectiora et imperfectiora petebatur a veteribus non tam a perfectionibus psychicis, quam a perfectione organica. „Inter animalia perfectiora sunt, communiter loquendo, terrestria avibus et piscibus, non quod pisces memoria careant, sed propter distinctionem membrorum et perfectionem generationis. Quantum autem ad aliquas sagacitates etiam aliqua animalia imperfecta magis vigent, ut apes et formicae!“ [2] Generatim animalibus imperfectis attribuerunt „confusam imaginationem et concupiscentiam“. „Quum laeduntur, imaginantur illud ut nocivum et retrahunt se; et quum delectantur, extendunt se super illud et applicant se illi; sic in eis est phantasia vel concupiscentia indeterminata, in quantum imaginantur et concupiscunt aliquid ut conveniens.“ [3]

Quaeritur secundo:

quaenam animalia habeant vitam intellectivam?

85. **Introducitur quaestio.** Ab antiquissimis temporibus communis erat omnium sententia, inter animalia solos homines intel-

[1] Arist. l. 3 de an. c. 10. 11. Cfr. ibid. c. 3. [2] S. Thom., S. theol. 1, q. 72, a. un.
[3] Id. in l. 3 de an. lect. 16. Cfr. lect. 5. Arist. l. c. l. 3, c. 11.

lectu praeditos esse, beluas intellectu carere. Quae res primo ex rebus et eventibus accurate observatis iudicanda est, non ex theoriis positis ab hominibus. Et postquam ex expertis et observatis rebus clare constitutum est, quinam cognoscendi modus reperiatur in hominibus, qui vero in bestiis, etiam de istis theoriis iudicium ferri potest. Theoriae enim adaptandae sunt rebus, non res theoriis.

Hominibus vitam intellectivam tribuendam esse arbitrati sunt philosophi, quod viderent, hominem duci non solum finibus in natura sensitiva insitis vel sensu perceptis, sed etiam finibus illis praeclarioribus, qui omnem rerum sensibilium ambitum superarent; eumque in omnibus quidem finibus sibi praestitutis appetendis adhibere posse media, quae inter varia ex libero voluntatis arbitrio elegisset. Deinde contemplati sunt specialem illam varietatem et mirabilem progressum in vitae humanae negotiis et artibus. Praeterea ad peculiares dotes linguae humanae, ad sciendi desiderium diligenter animadverterunt. Quibus omnibus rebus et similibus consideratis nemini esse posse dubium dixerunt, quin homines haberent intellectum.

Beluas autem quod attinet, hae certe eam vitam agunt extrinsecus, qualem habent intrinsecus. Sed vita, quae in iis est manifesta, non est intellectiva. Multa quidem agunt rationaliter et artificiose. Haec vero non proprio intellectu disponunt, sed agunt secundum principia a natura iam disposita. Haud raro bestiae his actionibus fines appetunt, quos ne acutissima quidem intelligentia perspicere possent. Et omnes eas operationes, in quibus apparet quaedam sagacitas, semper eodem modo peragunt et in iis etiam rebus peragunt, in quibus aperte sunt ineptissimae. Hinc nullus apud bestias progressus. Loqui nesciunt neque ullo modo discunt. Quae sit facultas cognoscitiva in animali, cognoscitur ex appetitu, qui in operationibus sese aperit. Sed bestiae in nullam unquam rem tendunt per appetitum, nisi propter rationes unice materiales. Non est ergo in iis cognitio nisi sensitiva.

Verum haec veritas haud paucos habet adversarios (n. 73). De hominibus est sententia materialistarum, non altiorem illis cognitionem inesse quam beluis. Solipsistarum opinatio est, praeter ipsum Ego nullum esse hominem, qui intellectu polleat.

De beluis vero iam inter veteres erant, qui his inesse intellectum dicerent et animam rationalem. Praeter Pythagoreos, Brachmanes, Indiae sapientes, etiam Epicurei docuerunt eundem

intellectum, qui esset in hominibus, esse etiam in beluis. Etiam Plutarchus in opusculo: „Quod bruta animalia ratione utantur", scripsit: „Bestiarum natura non est mentis atque intelligentiae expers."

Praeterlapso saeculo Bougeant suspicatus est, daemones corporibus beluinis assistere motusque omnes et operationes in illis efficere [1].

Inter recentiores autem plurimos reperies, qui beluis intelligentiam attribuant, licet imperfectiorem gradu, quam sit intellegentia humana, et tantum in rebus sensibilibus et particularibus occupatum. Inter quos sunt Brehm [2], Espinas, George John Romanes [3], L. Büchner [4].

86. Rationes dubitandi. (1.) Videntur rei falsae assentiri, qui vel homini tantum intellectum tribuunt. Nam homo totus in sensitivis rebus haeret. Et bestiis et hominibus una est natura, una nativitas, unus interitus, neque ulla est in homine operatio, quin pendeat ab organo corporeo.

(2.) Vel ille philosophus, qui solipsismum profitens sibi soli humanam intelligentiam ascribit, reliquis hominibus negat, recte atque modeste sentire videtur. Nam quis certo scire potest, agantne homines alii secundum rationes intellectivas?

(3.) Si quis vero hominibus intellectum concedit, is caveat, ne bestiis hanc indolem neget. Nam etiam bestiae res distinguunt, appetunt finem, disponunt media, iudicant, discurrunt. Neque desunt, quae aliquas sectentur virtutes.

(4.) Eum, qui opera bestiarum admirabili arte constructa accuratius consideraverit, praeterire non potest, haec artificia esse opera intelligentiae.

(5.) Is deinde certe habet intelligentiam, qui loquelam habet. Sed loquuntur beluae [5].

87. Thesis: Homo praeter vitam vegetativam et sensitivam etiam intellectivam habet; hac vero animantia reliqua omnino carent.

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Cognitio omnis in sensitivam et intellectivam dividitur (Log. n. 89 sqq.). Quae diversitas in diversitate obiectorum manifestatur, et ex diversitate principii cognitionem elicientis nascitur. Cognitio sensitiva in obiectis versatur singularibus, ut ea concreta sunt et subiecta ra-

[1] In libro: „Amusement philosophique sur le langage des bêtes". 1739.

[2] Thierleben, Vorträge.

[3] Inter alia scripsit: Mental Evolution in man, Origin of human faculty. London 1888.

[4] Geistesleben der Thiere.

[5] „Die Sprache ist nur eine Form der Gebärde" (W. Wundt). „Quot membra, tot linguae." „Die Thiere sprechen, indem sie sind" (O. Glogau).

tionibus materialibus. Cognitio autem intellectiva super limites rerum singularium et materialium supergreditur, relationes inter causam et effectum, inter finem et media, inter signa arbitraria et obiecta significata ipsas percipere potest; ad cognoscenda ea, quae in se sunt necessaria, universalia, immutabilia, essentialia, sponte progreditur; considerat immaterialia et materialia secundum rationes immateriales.

Haec est obiectorum diversitas. Principii autem diversitas ea est, ut cognitio sensitiva pendeat intrinsecus ab organo corporeo, quod eius principium est; cognitio vero intellectiva a nullo organo corporeo pendeat nisi extrinsecus propter dependentiam naturalem, quae est in homine inter vitam sensitivam et intellectivam. Quae principiorum diversitas obscurior est et ab experentia immediata remota; diversitas autem obiectorum clarior et ad iudicandum facilior. Ad hanc igitur solam in hac quae nobis proposita est solvenda quaestione animum acriter attendemus.

Praenota 2°. Thesis duabus partibus constat. In priore ex rebus per experientiam et observationem notis colligendum est, in unoquoque homine esse vitam intellectivam. In altera parte ostendendum erit, beluas hac vita carere.

Praenota 3°. Bestias vidimus cognoscere sensibilia, distinguere utilia et appetere, fugere nociva, delectari idoneis, usurpare media, quae ad finem aptissima sunt, certos effectus ascribere certis causis. Quaeritur, utrum id faciant per iudicia formalia atque ratiocinia, eo quod subiecta praedicatis apud se subiciant, hinc attingant rationes a materia abstractas, velut *causae, entis, finis, legis, ordinis,* an per iudicia tantum virtualia (Log. n. 264) et duce aliqua determinatione naturae animali insita, quam instinctum vocant (Log. n. 118), ita ut ad sic vel aliter agendum adducantur aut a re sensu externo percepta, aut sensu indigentiae (velut *famis*) aut aestimativa (Log. n. 117) aut exspectatione casuum similium.

Praenota 4°. Omissis materialistis, qui sicut sensum, ita etiam intellectum inter vana somniantium simulacra habent, se ipsos et reliquos homines arbitrantes esse nihil praeter speciales atomorum congeries, huic thesi adversantur: 1. Solipsistae, quorum unusquisque sibi soli intellectum tribuit, reliquis omnibus negat. 2. Illi ex materialistis modestiores, qui hominibus atque etiam bestiis vitam concedunt, affirmant autem vitam intellectivam eodem modo propriam esse bestiis atque hominibus; intellectum nihil esse nisi sensum magis evolutum. Ad quam sententiam accedunt Empedocles, Anaxagoras. Neque multum absunt Pythagorei, qui

metempsychosim sive animarum ex corporibus humanis in beluina voluerunt transmigrationem.

Similem doctrinam proponunt ex sensistis plurimi.

88. **Argumenta.** *Argumentum pro parte priore,* in qua edicitur, in hominibus esse vitam intellectivam. Profecturis nobis ab experientia et observatione primo facta stabilienda sunt, quibus tamquam iactis fundamentis argumentum ipsum superstruatur.

1. Appetitum humanum quod attinet.

a) Ex experientia uniuscuiusque propria constat, bonitatem et malitiam actionum referri ab homine praecipue ad ordinem quendam absolutum moralem, ad quem servandum obligetur, quem tamen cum vero libertatis arbitrio tenere, quem contemnere possit; si hunc ordinem libere contempserit homo, sequi remorsus conscientiae. Constat deinde generatim posse hominem de re sibi proposita deliberare vel non deliberare, prout sibi placuerit; posse se ipsum libere applicare ad considerandas rationes potius has quam illas, posse pro libitu sequi opinationem hanc aut illam; posse agere prudenter aut imprudenter. Constat praeterea hominem appetere ipsam honestatem morum, ipsam beatitudinem et immortalitatem gloriae, ipsam scientiam; atque etiam haec omnia appetere nullo respectu habito ad commoditatem sensitivam, velut quum quis ex sola sciendi cupiditate futuras stellarum coniunctiones scire conatur, vel quum quis ad servandam honestatem omnibus bonis huius vitae sensitivae abdicat. Hominem bonis vitae sensitivae contentum et satiatum esse non posse.

b) Ex observatione et consuetudine aliorum hominum unicuique homini constare debet, alios homines earundem appetitionum genere regi atque se ipsum. Videt enim omnes homines probe distinguere inter hominem „felicem“, i. e. omnis vitae sensitivae bonis exornatum, et hominem, qui iure mereatur censeri „bonus“; homines posse quam diversissima et maxime opposita libere appetere, modo ea sibi sub aliqua bonitatis specie proponant; posse hominem tanta desperatione duci vel morsibus conscientiae torqueri, ut libere per suicidium finem vitae suae faciat. Videt deinde male vel praeclare facta imputari ipsis hominibus ut auctoribus, qui ideo vera poena vel vero praemio digni sint; videt inter homines ut homine indignum haberi, ut quis inhaereat primo appetendis rebus sensibilibus; sexcenta alia, ex quibus omnibus apparet, hominem, ut homo est, erigi ad appetenda immaterialia modo immateriali, i. e. ex libero voluntatis arbitrio.

Dices 1°: Per scientiam statisticam constat homines non esse liberos. — *Resp.: Dist. assertum:* Constat homines non esse liberos absolute, sed eos multiplici ratione impulsionibus rerum externarum et passionum subiectos esse, eosque in rebus plurimis impressioni vel impulsioni cedere, *concedo;* constat homines carere arbitrio libero, *nego.*

Dices 2°: Adhuc sub iudice lis est, utrum habeat liberam voluntatem necne. Sed in confirmanda re momenti gravissimi ex argumentis dubiis proficisci non licet. Ergo ex libertate ista hoc loco nihil concludendum est[1]. — *Resp.:* Non mirum, quod homines magni ingenii, quum non amore veritatis, sed rebus aliis ducuntur, in insanias magnas labuntur. Nulla res tam certa est, quae ab istis in perversum sollertibus non in dubium vocata sit. Assensus igitur veritati praestandus nullo modo pendet a cavillationibus stultorum hominum. Supra modum evidens est, homines in multis suis actibus gaudere libertate arbitrii. Huius libertatis causa, ratio, limites suo loco perquirenda erunt.

2. Cognitionem humanam quod attinet.

a) Ex experientia uniuscuiusque propria constat, hominem non tantum res singulares et concretas percipere vel res inter se relatas in peculiari et in concreto, sed praeterea etiam res ut abstractas ab omni compositione, figura, quantitate, materialitate, et ut subiectas universalibus; quin immo eum abstrahere posse eos essendi gradus, in quibus res pure spirituales comprehendantur; hominem deinde iudicare posse, quidnam aut ut genus, aut ut differentia specifica, aut ut species ad rerum essentiam pertineat, quid ex essentia emanet ut proprium, quid ipsi contingenter accidat. Posse etiam hominem non solum sui conscium esse in suis affectionibus, sed etiam per conscientiam reflexam ex his affectionibus enucleare quasi ipsum suum Ego; posse etiam ductum prin-

[1] Dicit Kuno Fischer: „Wir sind unmittelbar gewiss, dass wir die Ursache sind, aus der unsere Handlungen hervorgehen, und empfinden daher die letztern als einen Ausdruck unserer Selbstthätigkeit und Freiheit. Die Ueberzeugung von unserer Freiheit fällt mit unserem Selbstgefühl zusammen, und so gilt uns die Freiheit als die sicherste Thatsache. Gegen alle Beweisgründe, womit man dieselbe bestreitet, beruft sich die Ueberzeugung davon auf die Thatsache unseres Selbstbewusstseins, woraus die unserer Freiheit unmittelbar einleuchtet. . . . Diesem Zeugniss steht ein anderes entgegen. Es hat eine Reihe der bedeutendsten und scharfsinnigsten Denker gegeben, die ohne Zweifel jenes Selbstgefühl auch gehabt und dennoch die Freiheit verneint, vollkommen verneint haben. Unter den neuern Philosophen hat einer der grössten die Freiheit für die leerste aller Einbildungen, für den absurdesten aller Irrthümer erklärt und den Menschen, der in seinen Handlungen frei zu sein wähne, mit dem Steine verglichen, der geworfen wird und sich einbilde, zu fliegen. Aus diesem Gegensatze der Meinungen geht so viel hervor, dass die Frage der Freiheit bei weitem so einfach nicht liegt, als das menschliche Selbstgefühl sie zu nehmen geneigt ist“ (Ueber die menschl. Freiheit [Heidelb. 1888] p. 11).

cipio causalitatis eas rerum causas cognoscere, quae sensum omnino superant; quin immo posse ad cognoscendam causam omnium rerum primam ascendere. Atque de his rebus omnibus sibi per certitudinem philosophicam rationem reddere potest.

b) Ex observatione unicuique homini certo constat apud omnes homines idem cognoscendi genus reperiri, quod ipse apud se ipsum experitur. Id praecipue apparet:

α) Ex tota vitae humanae institutione, quae regatur primo non respectu ad animalem generis humani exsistentiam duce instinctu conservandam, sed respectu ad honestatem, religionem, moralitatem, iustitiam libere propter motiva cognita ab hominibus observandas.

β) Ex admirabili agendi varietate, quae tanta est, quanta cognitam ipsam causalitatem et finalitatem tamquam sui causam petit; cum qua diversitate cohaeret ille perpetuus in perficiendis artibus et industriis progressus.

γ) Ex loquela, qua homines cogitationes suas internas signis arbitrariis induunt, atque relationibus grammaticis praedicando universalia de singularibus sententias incredibili condunt complicatione.

δ) Ex nisu investigandi causas rerum et fines et intimas rerum essentias penetrandas; ex ipsius scientiae et cognitionis aestimatione, qua fit, ut ipsam quaerant cognitionem ut bonum aliquod; atque ipsas sensiles cognitiones non solum propter utilitatem quaerant, sed etiam quia in ipsa cognitione delectantur, ut cognitio est.

Atque ex his rebus omnibus patet homines habere cognitas rationes immateriales sive operari secundum formas acquisitas immateriales. Nunc argumentum breve est:

Homo ex natura sua nititur comparare sibi perfectionem novam, operando secundum formas immateriales acquisitas, ita, ut ex terminis ex operatione resultantibus et in ipso ente receptis paret sibi facultatem ad versandum in obiectis etiam immaterialibus modo immateriali. Atqui id ipsum est, quod vocare solent vitam intellectivam.

89. *Argumentum pro parte altera,* in qua negatur bestiis intellectum esse. Quod argumentum et ex appetitu petitur, et ex cognitione.

1. Appetitum bestiarum quod attinet.

a) Haerent totae in rebus sensibilibus et in sedandis illis naturae stimulis, qui ipsis pro conservatione individui et

speciei dati sunt. Nullum est in iis honestatis vel conscientiae studium; nulla obligationis perceptio; nulla causarum investigandarum, ut causae sunt, cupiditas; nullum indagandae veritatis desiderium; neque ulla ipsarum cognitionum fruitio. „Non odoribus leporum canes gaudent, sed cibatione; neque leo voce bovis, sed comestione.“ [1]

Ex quibus hoc modo argumentum peti potest: In omni re invenitur appetitus naturalis illius perfectionis, ad quam consequendam res a natura destinata est. Unde in viventibus intellectu praeditis invenitur appetitus cognoscendi rerum causas et tandem causam omnium rerum primam et quiescendi in fine omnium rerum ultimo et perveniendi ad hanc quietem observatione ordinis et normae illius moralis, quae praelucet in conscientia morali. Atqui id, quod in appetitu beluarum summum est, ad illud tantum dirigitur, ut (imperfecte saltem) fruantur sua vita sensuali secundum praefixas regulas concupiscentiae et per quietandos illos stimulos, qui naturae (i. e. omnibus alicuius specie individuis) insiti sunt, ut exsistentiae tum individuali tum specificae est congruens.

b) Deest liberum arbitrium; semper enim bonum sensibile praesens, quod maiorem vim habet, cum necessitate appetunt.

Quae res hoc modo explanari potest: Animal, quod intellectum habet, habet etiam facultatem appetendi, quae intellectui par sit; hinc eo modo in bonum tendere potest, quo sibi ab intellectu proponitur. Sed intellectus, quum non haereat in percipiendis rebus materialibus et singularibus, potest etiam percipere relationes ipsas convenientiae et disconvenientiae. Unde saepenumero proponit bona multa, quae non sunt ad finem obtinendum necessaria, vel bona, quibus malum admixtum est, vel multa bona, quae ad obtinendum finem aeque sunt utilia. Huic amplitudini cognitionis intellectualis respondere debet perfectio ipsius naturae intellectualis, quae igitur ea abundantia indifferentiae exornata esse debet, ut inter multa bona cum libertate arbitrii eligere possit.

Atqui a natura beluina omnis huius generis libertas abest. Nam bestiae cunctae eiusdem speciei semper in eadem conditionum circumstantia eodem modo agunt; ex quo apparet eas agere actas ex certa naturae necessitate. Deinde bestiis necessitas est, ut id appetant, quod vi fortiore eas per affectiones sensitivas impellit [2].

90. 2. Cognitionem bestiarum quod attinet.

Accurate videndum est, qui sint eventus per experientiam et observationem comprobati, quibus declaretur bestias ipsas intellectum habere non posse.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 32, a. 6. Cfr. q. 91, a. 3.

[2] Cfr. S. Thomas, Quaest. disp. q. 24 de verit., a. 2; S. theol. 1, 2, q. 13, a. 2; q. 15, a. 2; q. 16, a. 2.

a) Nunquam possunt loqui bestiae. Etsi versantur inter homines, et facultatem organicam, quae satis sit, habent, usum tamen signorum arbitrariorum ad manifestanda sensa interna discere non possunt. Si fortassis aliquid manifestant, „non tamen manifestationem intendunt, sed naturali instinctu aliquid agunt, ad quod manifestatio sequitur“ [1]. Unde ne mentiri quidem possunt beluae. Multo minus unquam addiscunt, qua ratione sententiae secundum regulas grammaticas vel ex subiecto et praedicato componendae sint. Ex his rebus concludendum est fieri non posse, ut beluae relationem inter signa et res significandas, respectum inter subiectum et praedicatum, relationes logicas, quibus res inter se connectantur, discrimen inter praedicabilia et praedicamenta cognoscant.

Quae res etiam hoc modo proponi potest: Si beluae vitam intellectivam haberent, certe ad id adigi possent, ut non haerentes in impressionibus individualibus progrederentur ad formandos conceptus universales, ad formanda iudicia et ad ea per signa arbitraria manifestanda. Habent enim bestiae facultatem edendi aliqua signa, quibus illud patefit, quod in vita interna latet. Atqui nulla unquam ab ulla belua loquela conceptualis est edita. Dum infantes, qui vix aliquo usu rationis potiti sunt, quaerunt linguam addiscere, beluis satis est, ut signis naturalibus sensationes gratas vel ingratas manifestent, vel etiam ut voces articulatas, quos saepius audierint, sine ullo consilio vel sensu imitentur.

b) Modi rationabiles, secundum quos bestias agere videmus, certis limitibus continentur, ultra quos ratio agendi nunquam ab ipsis mutari vel corrigi potest [2]. Agunt igitur quasi a natura motae ad determinatas operationes et uniformes in eadem specie, „sicut omnis hirundo similiter nidificat“, et *bombyx* vel *aranea* telas semper eodem modo texunt; neque unquam bombyx araneae telam construere potest neque aranea bombycis; neque ulla bestia texendi peritissima texta conficere potest, qualia efficiuntur ab hominibus, licet id multo facilius esse videatur. Atque hi quibus beluina sagacitas

---

[1] S. Thomas, S. theol. 2, 2, q. 110, a. 1. Ex mente Cartesii (Epist. pars 1, ep. 54) essentia loquelae non in manifestatione, sed in repraesentatione externa sita est. Cui opinationi consentiunt Th. Waitz, L. Geiger, L. Noiré (Das Werkzeug I, 38. Nicht Mittheilung, sondern Darstellung). Quae lis in re, de qua agitur, nullum momentum habet.

[2] Hac de re praeclare scripsit J. H. Fabre, Souvenirs entologiques. Paris 1891. De intelligentia quae dicitur formicarum cfr. E. Wasmann S. J., Die zusammengesetzten Nester und gemischten Kolonien der Ameisen (Münster 1891) p. 184.

circumscribitur limites clare ostendunt, hanc non intellectualem, sed naturalem esse.

c) Nullus unquam progressus in aliqua arte vel industria apud bestias contingit. Qualis progressus in toto agendi genere oriatur, quum animalia intellectum habeant, id ex historia hominum apertum est. Quum enim quis intellectum habet, non haeret in rebus concretis et materialibus earumque in sensus impressionibus; neque solo naturae instinctu ducitur. Sed percipere potest eas rerum habitudines, quae sensum superant. Unde observatis multis rebus et inter se comparatis, manuducente principio causalitatis et finalitatis, potest in cognoscenda rerum natura magis usque proficere, potest detegere nova, potest reflectendo in actiones proprias, eas in dies magis emendare atque perficere; potest instrumentis usque novis defectum virium supplere, potest varias rerum conditiones ad commoditatem et delectationem adhibere, conficere varii generis horologia, sclopeta, citharas, saltem vestimenta, pileos, calceamenta, vela, quibus pluvia vel sol arceatur. Potest scientiae disciplinas non solum addiscere, sed admirabiliter proficere, potest provehi in studiis omnibus usque ad omnem excellentiam. At nihil huius generis in beluis deprehendimus. Quas artes vel astutias primo vitae tempore sine ulla experientia vel disciplina effecerint, eas progrediente tempore per usum et consuetudinem aliquid perficere possunt — felis enim est felicula astutior —, semper tamen et per saecula in eodem operandi genere permanent.

Dices: Progressus in beluarum artibus facti sunt ante omne tempus praeteritum, quod nobis notum sit per historiam. Nunc vero omnes pro sua specie tantam in suis operibus perfectionem adeptae sunt, quanta maior esse non possit. Quid igitur mirum, hanc non amplius provehi perfectionem? Ea est inter homines et bestias differentia, quod hae iam sunt in summo perfectionis termino; homines adhuc usque in via sunt. — *Resp.:* Imprimis verum non est, bestiarum opera tanta perfectione exornata esse. In multis rebus, praecipue periculis accidentibus, non eligunt media, quae sunt optima et ne ea quidem eligunt, quae facile invenire possent, si haberent intellectum. Etiamsi autem in rebus omnibus tenerent modum optimum, tamen ab iis abest ea perfectio, quae in varietate sita est pro varia conditionum circumstantia. Si intellectum haberent, sese variis his conditionibus non tantum intra certos instinctus limites accommodare possent et inter varios agendi modos eligere. Et cur illa, quae in vita beluarum observamus, non possent magnam partem per industriam intellectualem adduci ad maiorem perfectionem?

d) In plurimis rebus ea agunt amentia et temeritate, qua is tantum agere potest, qui intellectus et

rationis omnino expers est. Quae imprudentia sane interdum etiam inter homines occurrit. Sed in genere humano peccatum huius vel illius individui est, quod intellectus, qui latet, vel non satis excultus est vel non satis adhibetur. Sed apud bestias defectus rationis intellectusque inopia ex essentia speciei et ex naturae instituto apud individua omnia usque ad unum reperitur.

In determinatis rebus et intra certos limites mira quidem industria effectus suis causis ascribunt; in rebus vero quam plurimis eo modo agunt, quo certe non agerent, si ipsam relationem inter effectum et causam perceptam haberent. Interdum est effectus admodum molestus beluae et simul admodum obvia est relatio inter hunc effectum et eius causam, neque tamen unquam a bestia vel astutissima haec causa sublata est.

Interdum etiam occurrit alicuius effectus causa apparens, cuius falsitas facillime detegi potest, neque unquam ulla bestia conata est causam veram detegere[1].

In multis deinde rebus bestiae versutia incredibili ad fines certos media adhibent. Sed eae etiam, quae propter prudentiam suam maxime insignes sunt, in iis etiam conditionibus haec media adhibent, in quibus eorum ineptitudo sole clarior est; neque semel id faciunt, sed in eadem specie semper.

e) A beluis abest omne sciendi desiderium. Quod inde apparet, quod ne tum quidem scire quidpiam desiderant, quum omni occupatione vel affectione impediente vacant.

[1] Multa hac de re leguntur apud Fabre l. c. Inter alia haec (p. 168. 169): „Voici une abeille qui construit une cellule; elle en est aux premières assises de la maçonnerie; la cellule n'est encore qu'un godet de peu de profondeur sans provision aucune. Je perce le fond de la tasse et l'insecte s'empresse de boucher le trou. L'accident intéresse la partie du travail dont l'hyménoptère est occupé à l'instant même: c'est un vice de construction, le maçon le corrige sans devoir sortir de son travail actuel. Mais que l'accident ait trait à une oeuvre finie dont l'insecte n'a plus normalement à s'occuper, l'insecte sera incapable d'y remédier. Voici des cellules pareilles à celles de l'expérience précédente, c'est-à-dire ébauchées sous forme de godet de peu de profondeur, mais contenant déjà du miel. Je les perce au fond d'un trou par lequel les provisions suintent et se perdent. Leurs propriétaires récoltent. D'après ce qui précède le lecteur s'attend peut-être à une réparation immédiate, réparation très urgente, car il y va du salut de la larve future. Qu'on se détrompe: celui qui récoltait continue de récolter, comme si rien d'extraordinaire ne se passait. Pendant trois heures consécutives j'assiste à cet étrange spectacle: l'hyménoptère, très actif pour son actuel travail, néglige de mettre un tampon à ce tonneau des Danaïdes. Il s'obstine à vouloir remplir son récipient percé, d'où les provisions disparaissent aussitôt déposées. Il alterne à diverses reprises le travail de maçon et le travail de récolteur; il exhausse par de nouvelles assises les bords de la cellule; il apporte des provisions que je continue à soustraire pour laisser la brèche toujours en évidence. Il fait sous mes yeux trente-deux voyages, tantôt pour le mortier et tantôt pour le miel, et pas une fois il ne s'avise de remédier à la fuite du fond de son pot."

Est quidem in beluis curiositas quaedam facultatis sensitivae, qua fit, ut, ab aliqua re percepta excitatae, inquirant, quae res ipsis utilis vel nociva ibi sit. Nulla autem apud eas reperitur ipsarum causarum curiositas, ut causae sunt. Desiderium sciendi est desiderium cognoscendi causas rerum. Hoc desiderium intellectus proprium est. Nam intellectus est facultas cognoscendi rerum causas; et quia omnis facultas ex natura sua ad actum inclinatur, desiderium sciendi ab ente intellectuali alienum esse non potest.

f) Neque unquam ab ulla belua cognita est ulla relatio, quae est inter effectum et causam, inter substantiam et accidens, inter essentiam et rationes individuales.

Possunt quidem in multis rebus, manuducente aestimativa phantasia, memoria, consuetudine et exspectatione casuum similium, cognoscere ipsa relata et causas in re singulari et concreta; nunquam vero ipsas relationes. Quae res constat, quia a) in multis rebus, in quibus nexus inter causam et effectum est apertissimus, is nexus a nulla bestia cognoscitur; b) quod rerum molestarum, quae ipsis extra instinctus limites accidunt, causas nunquam tollunt, quamvis nexus causalis ab intelligente certissime cognosci et causa tolli possit; c) quod nunquam bestia voce aliqua proprium suum „Ego“ expresserit; d) neque unquam essentiam alicuius rei conceptu universali significaverit.

Animal vero, quod nullo unquam modo relationem cognoscere potest, non habet facultatem cognoscitivam nisi organicam.

Sed *dicet fortasse quispiam:* Bestiae multae conceptus universales habent, i. e. percipiunt unum, quod multis applicari possit, velut *canis*, qui dubitando cursum sistit, videns aliquid, quod et domino et alii homini applicari possit. — *Resp.:* In beluis sunt quidem imagines communes, quae rem sensibilem repraesentant ut sensibilem, et propter defectum determinatae impressionis multis applicari possunt. Nunquam vero habent conceptus universales (Log. n. 930). Ad conceptum universalem requiritur, ut absint omnes notae individuantes et ut simul cognoscatur haec absentia, i. e. ut unitas conceptus et eius habitudo ad multa attingatur. In imagine communi fieri quidem potest abstractio a rei praesentia quoad locum determinatum et tempus determinatum, non vero ab omni singularitate; unde in omni imagine communi res exhibetur singularis, corporea, loco et tempori affixa idque modo indeterminato.

Quibus rebus positis hoc modo concluditur argumentum: Si beluae haberent intellectum, a) saltem aliquoties agerent ita, ut indubium sit, ipsas non ex naturae instinctu, sed propter rationes ab ipsis intellectas agere; neque possent b) in plurimis rebus ita agere, uti agunt tantum intellectu carentia. Atqui a) nunquam ulla bestia deprehensa est ita agere, ut omnino indubium sit, actionem cum intellectione ipsius bestiae coniunctam esse:

b) in plurimis rebus reapse ita agunt bestiae, uti non agerent, si intellectum haberent. Ergo in bestiis nulla est vita intellectiva.

91. *Confirmatur 1°* (ex comparatione beluarum et rerum aliarum instituta). In plantis atque etiam in hominibus plurimi accidunt processus, qui non minus opera sunt intelligentiae, velut constructio organorum, motus musculorum et nervorum ad usum accommodatissimus, respiratio, conservatio aequilibrii ambulantium, sescenta alia, quas tamen res nemo intelligentiae ipsorum hominum vel plantarum ascribit[1].

Si deinde bestiae omnia quae ab ipsis efficiuntur opera secundum regulas artis et prudentiae agerent ex sua ipsarum intelligentia, certe plurimum intellectu praestarent hominibus. In multis enim opera beluarum multo mirabiliora sunt operibus hominum; neque unquam apud bestias errata prudentiae vel peccata artis contingere videmus.

Praeterea plurima in beluarum vita accidunt, quae aptissime conveniunt cum conditionibus praesentibus et eventibus futuris, quae ipsis cognita esse non possunt. Ex quo apparet, eiusmodi sagacitates non ex usu intelligentiae, sed ex impulsu naturae sensitivae procedere.

Confirmatur 2° (ex consensu hominum). Omnes homines, qui non sint distorto ingenio, conveniunt, inter homines et bestias discrimen essentiale esse eo natum, quod homines intellectum et rationem habeant, beluae vero non[2].

Confirmatur 3° (ex diversitate, quae est inter organismum humanum et beluinum). Ex his differentiis aliquas indicat Aquinas: „Tactus est perfectior in homine quam in aliquo alio animali. Et propter hoc oportuit, quod homo haberet temperatissimam complexionem inter omnia animalia. Praecedit etiam homo inter alia animalia, quantum ad vires sensitivas interiores. . . . Necessarium fuit, quod homo inter omnia animalia respectu sui corporis haberet maximum cerebrum, ut liberius in eo perficerentur operationes virium sensitivarum, quae sunt necessariae ad intellectus operationem. . . . Alia animalia habent tegumenta et arma naturalia ad sui protectionem. Loco horum homo habet rationem et manus, quibus potest sibi parare arma et tegumenta, et alia vitae

[1] Cfr. Schütz, Der Verstand der Thiere p. 46. 111.

[2] Recte dixit Kant: „Si equus meus aliquando dicet: ‚Ego‘, descendam, pileum de capite dempturus salutandi causa.“

necessaria infinitis modis; unde et manus dicitur organum organorum. . . . Praeterea homo habet staturam rectam, quia sensus sunt dati homini non solum ad vitae necessaria procuranda, sicut aliis animalibus, sed etiam ad cognoscendum. Unde quum cetera animalia non delectentur in sensibilibus nisi per ordinem ad cibos et venerea, solus homo delectatur in ipsa pulchritudine sensibilium secundum se ipsam. Et ideo quia sensus praecipue vigent in facie, alia animalia habent faciem pronam ad terram, quasi ad cibum quaerendum et providendum sibi de victu; homo vero habet faciem erectam, ut per sensus, et praecipue per visum, qui est subtilior et plures differentias rerum ostendit, libere possit ex omni parte sensibilia cognoscere, et coelestia et terrena, ut ex omnibus intellegibilem colligat veritatem." Quibus ex rebus omnibus et aliis, quas indicat Aquinas, colligitur finem proximum humani corporis esse vitam rationalem et operationes ipsius [1].

92. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Homo quum sit corpus naturale et animal, secundum hanc suam naturam haeret in sensibilibus tanquam in materia, circa quam eius operationes versantur. Atque hanc ob rem permagna est hominibus cum beluis similitudo. Sed homo, ut homo est, cognitione intellectus et intentione voluntatis ordinem sensitivum supergreditur. Id qui sponte negligit, neque homo erit neque bestia, sed ens omnium infelicissimum atque nequissimum. Certum est omnes in homine operationes pendere ab organo corporeo, aut intrinsecus, sicut operationes sensitivae, aut tantum extrinsecus, id quod de vita intellectiva est arbitrandum; qua de re alio loco disputandum erit.

Dices: Beluae, sicut organa habent iis similia, quae homini ad operationes sensitivas sunt necessaria, ita organa habent, quae homini ad ratiocinandum sunt necessaria. — *Resp.:* Id verum est, quia homo ad ratiocinandum indiget vita sensitiva, quae et in hominibus et in bestiis inest. Sunt sane differentiae inter organa hominis et organa bestiae, quae tamen differentiam psychicam, quae est inter homines et beluas, potius confirmant, quam primo et perspicue manifestant.

(Ad 2.) Videant idealistae, qui negant veracitatem sensuum externorum, quomodo argumenta solipsismi solvere possint. Nos sensibus nostris certo cognoscimus ea signa, quibus nos intelligentiam nostram aperimus aliis, reperiri etiam in aliis hominibus; ex iisdem vero effectibus ad easdem causas concludendum esse nobis certum est.

(Ad 3.) Concedi potest esse in bestiis aliquam intellectus et voluntatis similitudinem per obscuram resonantiam atque etiam boni moralis adumbrationem. Iudicant, quatenus etiam obiectum sensus est compositum quoddam, quod per apprehensionem complexam percipitur. Discursus est, quatenus est apprehensionum series et imaginum associatio et longior connexio [2]. Ex-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 91, a. 3.

[2] Hac de re recte praecipit Wundt, Menschen- und Thierseele. Vorl. 24 (2. Aufl. Hamburg 1892).

ternam volitionis speciem prae se ferunt, quatenus appetunt id, quod sensum delectat vel excitatos stimulos partis appetitivae quietat. Habent virtutes, quatenus id quod agunt est secundum naturae ordinem.

Etsi igitur cum aliqua finis cognitione et boni delectabilis appetitione varia media ad fines consequendos secundum naturae ordinem adhibent, id tamen non faciunt nisi in certis et determinatis conditionibus et eodem usque modo et inter certos limites. Praeterea vero in rebus plurimis ita agunt, sicut profecto non agerent, si ipsae intellectum haberent.

Sed dices 1°: Bestiae non solum appetunt quod delectat, sed etiam id quod est honestum, i. e. ex naturae praeclaro ordine; hoc modo *apes* amantes sunt munditiei, *gallina* pullos magna cum caritate curat, *formicae* omni virium contentione labori se dedunt, *canes* propter fidelitatem suam merito laudantur. Sed hae res plurimae non laudarentur, nisi ad vitam spectarent intellectivam. — *Resp.:* Duplex bonum honestum distinguere oportet: morale et naturale (Log. n. 1400). Id, quod bestiae appetunt, non est bonum morale, sed naturale, atque hoc appetunt ut est delectabile. „Delectatio", ut est apud Suaresium, „est de bono convenienti obtento. Bonum autem conveniens naturae non est nisi bonum honestum (naturale)." [1] Itaque „bonum delectabile a bono per se conveniente naturae non distinguitur nisi prout delectationem includit, quae in tali bono consideratur ut propria ratio movens ad appetitionem eius" [2]. Et „quia delectatio consequitur operationem naturalem, tanto aliquae delectationes sunt vehementiores, quanto consequuntur operationes magis naturales, quibus conservatur natura individui per cibum et potum, et natura speciei per coniunctionem maris et feminae" [3]. Homo, si vult, ipsam actionis honestatem apprehendere atque efficere potest, ut haec sit obiectum formale actionis humanae. Ex quo oritur huius actionis moralitas. Id vero bestia apprehendere atque efficere non potest. Attamen haud raro evenit, ut cum naturali boni honesti appetitione, quam sequitur bestia ut alicuius stimuli interni quietationem, aliqua difficultas superanda et contemptio alius delectationis sensualis coniuncta sit. Et quatenus in his actionibus resplendet ordo rationis, iis aliqua similitudo moralitatis aspergitur. Ita Aquinas: „In brutis animalibus appetitus sensitivus non oboedit rationi, et tamen, in quantum ducitur quadam aestimativa naturali, quae subicitur rationi superiori, scilicet divinae, est in eis quaedam similitudo moralis boni, quantum ad animae passiones." [4]

Dices 2°: Non est dubium, quin bestiae saepenumero appetant bonum non tantum ut est delectabile, sed etiam ut est utile. Sed qui appetit rem formaliter ut utilem, intellectum habet. — *Resp.:* Generatim is, qui delectatur in fine, delectatur etiam in adhibendis mediis. Praeterea pro bestiis ipsa adhibitio mediorum saepe cum aliqua stimulorum (ut est stimulus aedificandi) quietatione interna et hinc cum aliqua delectatione coniuncta est: hac re a natura provisum est, ut media ad vivendum necessaria a bestiis ne negligantur. Praeterea „bruta non appetunt operationem et delectationem tanquam duo appetibilia, quorum unum, scilicet operationem, referant ut medium ad delecta-

[1] Disput. metaph. disp. 10, sect. 2, n. 18. [2] Ibid. n. 19.
[3] S. Thomas, S. theol. 2, 2, q. 141, a. 4.
[4] Ibid. q. 24, a. 4 ad 3.

tionem ut ad operationis finem, sed utrumque appetunt tanquam unum appetibile adaequatum, ita tamen ut operatio habeat se tanquam obiectum materiale, delectatio vero tanquam formale, sub cuius nimirum ratione appetitus bruti feratur in operationem“ [1]. Atque hoc modo bestiae „apprehendunt convenientiam et bonitatem utilis materialiter et entitative, non formaliter et respective“ [2].

Instat 3°: Ex concessis bestiae cognoscunt finem. Atqui cognitio finis esse non potest nisi interveniente intellectu. Ergo bestiae intellectum habent. — *Resp.: dist. mai.:* cognoscunt finem perfecte, *nego mai.;* cognoscunt finem imperfecte, *conc. mai.* Namque „est duplex cognitio finis, perfecta scilicet et imperfecta. Perfecta quidem cognitio finis est, quando non solum apprehenditur res, quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis et proportio eius, quod ordinatur ad finem ipsum; et talis cognitio finis competit soli rationali naturae. Imperfecta autem cognitio finis est, quae in sola finis apprehensione consistit, sine hoc, quod cognoscatur ratio finis et proportio actus ad finem; et talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per sensum et aestimationem naturalem.“ [3]

„Hunc modum operandi propter finem pure materialiter“, ut est apud Sylv. Maurum, „experimur aliquando etiam in nobis, quum agimus absque deliberatione et discursu. Exempli gratia saepe aliquis *fricat barbam,* quia sentit aliquem pruritum in barba et apprehendit bonum esse illam fricare et manu movere; et ideo movet absque eo, quod quidquam cogitet de proportione talium actionum cum fine. Hunc igitur modum operandi, quem nos saepe etiam post usum rationis exercemus, et quem semper infantes exercent, debemus brutis tribuere.“ [4]

Dices 4°: Multae beluae ipsae artes suas perficiunt; ita avis pullum volare docet; vulpes iterando tentamina artem saliendi perficit. — *Resp.:* Id faciunt bestiae aliquae intra certum activitatis ambitum et modo a natura determinato in individuis omnibus alicuius speciei. Inde igitur non est concludendum ipsis his animalibus rationem artis notam esse. Sed retinendum est, quod dicit Aquinas: „In operibus brutorum animalium apparent quaedam sagacitates, in quantum habent inclinationem ad quosdam ordinatissimos processus utpote a summa arte ordinatos. Et propter hoc etiam quaedam animalia dicuntur prudentia vel sagacia, non quod in eis sit aliqua ratio vel electio, quod ex hoc apparet, quod omnia, quae sunt unius naturae, similiter operantur.“ [5]

Dices 5°: Beluae doceri possunt; ergo habent intellectum. — *Resp.:* Doctrina vi huius vocis propria a beluis omnino est aliena. Quae vero in beluis aliqua disciplinae specie effici possunt, causis sensitivis efficiuntur [6].

---

[1] Gregor. de Valentia, Comment. theol. t. II, disp. 1, q. 5, a. 3.

[2] Ioh. a S. Thoma, Curs. theol., in 2, 2, disp. 8, a. 2, n. 36.

[3] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 6, a. 2. Cfr. ibid. q. 11, a. 2; 3, dist. 25, q. 1, a. 2.

[4] Opus theol. t. II, l. 5, q. 8, n. 14.

[5] S. Thomas l. c. q. 13, a. 2 ad 3.

[6] Dicit Mercier (in praeclaro opere: Cours de philosophie II [Louvain 1892], 203): „Dresser un animal c'est associer artificiellement, par un certain nombre d'exercices, certains mouvements de l'animal à certains gestes ou à

Dices 6°: Videmus tamen beluas allici beneficiis, moveri praeceptis, terreri minis. Inest igitur ipsis liberum voluntatis arbitrium. — *Resp.:* „Tam homines quam bruta beneficiis inducuntur et flagellis prohibentur vel praeceptis et prohibitionibus, sed diversimode: quia in potestate hominum est, ut eisdem rebus similiter repraesentatis, sive sint praecepta et prohibitiones, sive sint beneficia et flagella, eligant vel fugiant iudicio rationis; — sed in brutis est iudicium naturale determinatum ad hoc, quod id, quod uno modo proponitur vel occurrit, eodem modo accipiatur vel fugiatur. Contingit autem ex memoria praeteritorum beneficiorum vel flagellorum, ut bruta aliquid apprehendant quasi amicum et prosequendum vel sperandum, et aliquid quasi inimicum et fugiendum vel timendum: et ideo post flagella ex passione timoris, quae inde eis insurgit, inducuntur ad oboediendum nutui instructoris. Nec est necessarium huiusmodi a brutis fieri propter libertatem arbitrii, sed propter indifferentiam actionum." [1]

93. *(Ad 4.)* Certum est plurima beluarum opera fieri secundum conceptum alicuius intellectus [2]. Sunt vero opera alia aeque multa, vel etiam plura, quae obstant, ne hunc intellectum ipsis bestiis proprium esse putemus. Est igitur intellectus in illo, qui naturas rerum condidit. Qua de re Aquinas: „Appetitus sensitivus brutorum animalium et etiam appetitus naturalis rerum insensibilium sequuntur

---

certains cris du maître, de façon que la perception du geste ou du cri réveille l'image des mouvements à exécuter. Pour établir ces sortes d'associations, on prend l'animal par ses instincts, ce qui veut dire tout simplement que l'on tire habilement parti de son désir de bien-être et de sa peur naturelle de la souffrance physique. Je connais un chien qui se dresse sur ses deux pattes de derrière, lorsque son maître lève l'index en prononçant le mot: Présentez! L'animal s'avance, les pattes de devant en l'air; on dirait qu'il présente fièrement les armes et qu'il a conscience du rôle qu'on lui fait jouer. Qu'a-t-il fallu pour cela? Associer un certain nombre de fois une victuaille ou une caresse au mouvement commandé, au geste et à la voix du commandement, une correction au refus de se plier au dressage: c'est tout le mécanisme de ce jeu piquant. Inutile de dire que l'allure martiale, la fierté patriotique de l'animal sont des produits de notre imagination. Ainsi le charretier a-t-il associé certain mouvement de son cheval de trait à la sensation d'un coup de fouet et à la sensation de sa rude exclamation; aujourd'hui que l'association est ancrée dans le cerveau de l'animal, le coup de fouet n'est plus nécessaire, l'exclamation suffit, mais c'est parce qu'elle réveille l'image du coup de fouet et du mal sensible, qui en est la conséquence."

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 24 de verit., a. 2 ad 7.

[2] Sed cautione opus est. Haud raro enim ad intelligentiam beluarum declarandam narrantur eventus, qui, quia naturae beluinae ex aliis rebus notae contrarii sunt, credi non possunt. De aliqua huius generis re recte Wundt: „Dieser Fall nähert sich jener Grenze, wo die Berichte durch den Widerspruch, in den sie zu dem sonstigen Verhalten der betreffenden Thiere treten, unwahrscheinlich werden, möglicherweise weil irgend eine Selbsttäuschung des Beobachters, ein falsch gedeuteter nebenher gehender Zufall dabei im Spiele ist" (Menschen- und Thierseele p. 386).

apprehensionem alicuius intellectus, sicut et appetitus naturae intellectivae, qui dicitur voluntas. Et in hoc est differentia, quod voluntas movetur ex apprehensione intellectus coniuncti; sed motus appetitus naturalis sequitur apprehensionem intellectus separati, qui naturam instituit; et similiter appetitus sensitivus brutorum animalium, quae etiam quodam instinctu naturali agunt. Unde in operibus brutorum animaliun et aliarum rerum naturalium apparet similis processus, sicut et in artis operibus." [1] Unde rectissime a Platone (in „Sophista") dictum erat: *τὰ φύσει λεγόμενα ποιεῖσθαι θείᾳ τέχνῃ.* Quam rem gravissimam syllabatim quasi exponit S. Ambrosius: „Omnia", inquit, „penetrat divina sapientia, implet omnia. Idque locupletius ex irrationabilium sensibus quam ex rationabilium disputatione colligitur; validius est enim naturae testimonium quam doctrinae argumentum. Cuique animanti cognitum est, quemadmodum suam tueatur salutem, si virtus suppetit, resistendo, si velocitas, fugiendo, si astutia, praecavendo. Quis eas usum medendi herbarumque docuit habere notitiam? ... Ferae solo norunt odore noxia et profutura discernere; nullo praevio, nullo praegustatore carpitur herba nec laedit. Melior enim veritatis magistra natura est. Haec sine ullius magisterio suavitatem sanitatis infundit sensibus; eadem doloris acerbitatem docet esse fugiendam. Hinc vita dulcior, hinc mors amarior. Haec commendat leaenae catulos suos, et immitem feram materno mollit affectu. Haec tigridis interpellat severitatem et imminentem eam praedae reflectit." [2]

Quod si quis propter opera admirabilia ipsis bestiis inesse intellectum affirmare velit, is per consequentiae necessitatem adducetur, ut dicat beluas imperfectissimas intellectu superare perfectissimas atque ipsos homines, qui ista opera nulla arte efficere possunt; araneis, apibus, formicis, insectis omnibus esse cognitionem perfectissimam legum naturalium mechanicarum atque mathematicarum ea accuratione, quam nullum ingenium humanum unquam attigerit. Et istas cognitiones haberent beluae sine magistro, sine ullo labore! Et tanta quum esset animalium sagacitas intellectualis, ea in rebus plurimis ne semel quidem ab ullo individuo adhiberetur!

(Ad 5.) Loquelam bestiarum quod spectat, potest sane apud beluas esse lingua quaedam ut sic dixerim phonetica. Lingua vero rationalis sive conceptualis ita est solius hominis propria, ut ne vestigium quidem eius apud ullam beluam repereris. Lingua conceptualis ea est, qua exprimuntur conceptus universales horumque convenientia vel discrepantia. Et quoniam obiectum universale nullo signo naturali externo sive materiali exprimi potest, in lingua conceptuali adhibentur signa arbitraria sive vocabula ad exprimenda obiecta per conceptus universales. A lingua conceptuali ea omnino diversa est, quae phonetica est vocata, quae ad solos affectus particulares exprimendos adhibetur. Ut haec lingua mere phonetica effici possit, satis est, ut sentiens sensu interno sentiat affectionem suam individualem. Haec affectio illo signo externo exprimitur, quod cum ea ex naturae instituto cohaeret. Et omnis apud bestias internarum rerum manifestatio continetur hac lingua phonetica. Si autem beluae haberent intellectum, saltem aliqua haberent linguae conceptualis initia. Qui-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2ae q. 40, a. 4. Cfr. in 2 dist. 38, a. 3.
[2] L. 6 hexaëm. c. 4. 21.

cunque enim conceptus universales habet, potest etiam vim significandi universalem, quae inest signis, cognoscere, et signa adhibere externa ad conceptus universales manifestandos. Atque id facerent bestiae, si possent; proferrent igitur veritates generales, cogitationes, iudicia.

94. Solvuntur quae restant dubia. *Dicunt 1°.* Certum esse videtur a) in beluis esse rationes abstractas, velut *veri falsique;* b) deliberationem, dubitationem, cognitionis certitudinem; c) reflexionem psychologicam, verum usum membrorum; d) esse veram cum libertate electionem (id quod praecipue apparuit in asino illo esurienti, qui, medius inter duos pares manipulos, uno contempto libere elegit alterum); e) esse notionem indecentiae et poenae metum; inde merito ab hominibus puniri beluas, si male egerint. Ex his vero et rebus similibus manifesto sequitur etiam bruta animalia habere intelligentiam. — *Resp.:* a) Facile conceditur a bestiis abstractionem effici posse, quae sit intra sensibilitatis limites (eo fere modo, quo *oculum* abstrahere a dulci scimus, *aurem* a viridi). Atque hoc modo etiam rem veram a re falsa distinguere possunt.

b) Ea deliberationis, dubitationis, certitudinis species, quae in vita beluarum observatur, facile ex varia sensationum atque imaginum communium coniunctione oriri potest.

c) Neque habent bestiae reflexionem perfectam. Sensationes quidem suas et se ipsas in his implicitas percipiunt interveniente sensu interno, et in actu exercito. Non vero se ipsas percipiunt explicite et in actu signato. Notitia, quam habent, est unice experimentalis, neque excedit obiecti materialitatem conditionibus individuantibus circumscriptam. Unde neque dici possunt bestiae uti membris suis. Usus enim ad eum spectat, qui scit referre aliquid ad alterum. „Animalia per sua membra aliquid agunt instinctu naturae, non per hoc, quod cognoscant ordinem membrorum ad illas operationes; unde non dicuntur proprie applicare membra ad agendum.“ [1]

d) Bestiae non quidem ab obiectis moventur secundum leges mechanicas. Sed postquam ab iis cognitiones sensitivae sunt habitae, ipsae se movent secundum determinationes instinctus naturalis. Verum ipsae non ordinant motus suos quasi ipsae considerent se per motum suum finem consequi posse, sed quia concupiscentes finem naturali instinctu moventur ad finem motae quasi ab alio [2]. Quam ob rem nemo dixerit beluas intendere quidpiam. Intentio enim, si accipiatur proprie, est actus voluntatis praesupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem. „Bruta animalia non habent in sua potestate appetitivum motum, sed talis motus in eis est ex instinctu naturae; unde brutum animal appetit quidem, sed non applicat appetitivum motum ad aliquid.“ [3] Ex arbitrio quidem agunt bestiae, at non libero; „ovis enim fugit lupum ex quodam iudicio, quo existimat eum sibi noxium, sed hoc iudicium non est ipsi liberum, sed a natura inditum“ [4]. Quod si igitur nobilis ille Polydamae asinus unum prae alio elegit, id ei laudi tribuendum est, quod hac sua

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 16, a. 2 ad 2.

[2] Ibid. q. 12, a 5. [3] Ibid. q. 15, a. 2.

[4] Ibid. 1, q. 59, a. 3. „Non ex collatione, sed ex naturali instinctu ho iudicat“ (l. c. q. 83, a. 1).

agendi ratione evidenter confirmavit, beluas non esse machinas (machinae enim accidere potuisset, ut tracta eadem vi in utramque partem, haerens in medio, fame misere periisset). Elegit vere unum prae alio, quia naturali instinctu ductus iudicavit se utrumque manipulum simul devorare non posse [1]. Et illum quidem manipulum petiit prius, ad quem oculi actu magis conversi erant.

e) Diximus beluis aliquam speciem boni moralis inesse. Et hoc modo habent etiam aliquam speciem timoris, pudoris. Nunquam vero ex apprehensione vel amore ipsius virtutis agunt. Quod si interdum puniuntur bestiae, haec non est poena, quae infligatur vindictae gratia propter laesum ordinem; sed est ad repellendum bestias ab his vel illis actionibus, habent enim bestiae exspectationem casuum similium.

Dicunt 2°: Si bruta animalia in rebus omnibus ducerentur instinctu infallibili, ea gaudio vehementiore frui possent vita sua quam homines. At quis id dicet? Habent ergo etiam bruta intellectum et miserias omnes, quae cum intellectu coniunctae sunt. — *Resp.: Nego suppos.* Ponitur enim, bestias frui posse vita sicut homines; quod falsum est. Istae enim non fruuntur actibus suis nisi imperfecte. Fruitio significat delectationem, quam quis habet de ultimo exspectato (de fructu laboris), quod est finis. Frui vero non est actus potentiae pervenientis ad finem sicut exsequentis, sed potentiae imperantis exsecutionem. In rebus cognitione carentibus invenitur potentia pertingens ad finem per modum exsequentis; sed potentia, ad quam pertinet finis per modum imperantis, non invenitur in eis, sed in aliqua superiore natura, quae sic movet totam naturam per imperium, sicut in habentibus cognitionem appetitus movet alias potentias ad suos actus. In his ergo rebus, quae cognitione carent, nulla esse potest finis fruitio. Fruitio sequitur cognitionem finis. Haec vero duplex est, perfecta et imperfecta. Cognitione perfecta cognoscitur non solum id, quod est finis et bonum, sed etiam ipsa universalis ratio finis et boni, et hanc cognitionem beluae non habent. Habent autem illam imperfectam, qua bonum et finis tantum in individuo et concreto cognoscitur [2].

95. Corollaria. *Coroll. 1.* Ergo recte iudicant, qui inter sensum et intellectum discrimen essentiale statuunt. Nam „sensus in omnibus animalibus invenitur; alia autem ab homine animalia intellectum non habent". Deinde „sensus non est cognoscitivus nisi singularium; cognoscit enim omnis sensitiva potentia per species individuales, quum recipiat species rerum in organis corporalibus. Intellectus autem est cognoscitivus universalium." [3]

---

[1] „Brutum animal accipit unum prae alio, quia appetitus eius est naturaliter determinatus ad ipsum" (S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 13, a. 2).

[2] Ita fere S. Thomas l. c. q. 11, a. 2.

[3] *Αἰσθάνεσθαί γε ἀναγκαῖον τόδε τι καὶ ποῦ καὶ νῦν* (singularia, concreta et praesentia). *Τὸ δὲ καθόλου καὶ ἐπὶ πᾶσιν* (universalia) *ἀδύνατον αἰσθάνεσθαι· οὐ γὰρ τόδε οὐδὲ νῦν* (Arist. l. 1 anal. post. c. 31) *αἰσθάνεσθαι μὲν γὰρ ἀνάγκη καθ' ἕκαστον, ἡ δ' ἐπιστήμη τῷ τὸ καθόλου γνωρίζειν ἐστίν* (ibid.). *Τῶν καθ' ἕκαστον ἡ κατ' ἐνέργειαν αἴσθησις, ἡ δ' ἐπιστήμη τῶν καθόλου* (id. l. 2 de an. c. 5).

Praeterea „cognitio sensus non se extendit nisi ad corporalia; quod ex hoc patet, quod qualitates sensibiles, quae sunt propria obiecta sensuum, non sunt nisi in corporalibus; sine iis autem sensus nihil cognoscit. Intellectus autem cognoscit incorporalia, sicut *sapientiam, veritatem* et *relationes* rerum." „Nullus denique sensus se ipsum cognoscit, nec suam operationem; visus enim videt se ipsum, nec videt se videre, sed hoc superioris potentiae (sensus interioris) est. Intellectus autem cognoscit se ipsum et cognoscit se intelligere." [1]

Errant igitur etiam illi, qui discrimen essentiale inter homines et beluas a solo sensu quodam moralitatis et religiositatis petunt [2].

Coroll. 2. Ergo proprium et essentiale discrimen, quo homines distinguuntur a beluis, in rerum ordine est intellectivitas. Inter alios docuit Averrhoes hominem differre specie a brutis animalibus propter vim cogitativam (Log. n. 119), „de qua medici dicunt, quod habet sedem in media cellula capitis; et secundum huius dispositionem virtutis differt homo unus ab alio in ingenio et in aliis, quae pertinent ad intelligendum". „Quod autem hoc sit falsum, evidenter apparet. Nam quod est passio partis

[1] Ita S. Thomas, S. contra gent. l. 2, c. 66. Addit Aquinas: „Sensus corrumpitur ab excellenti sensibili: intellectus autem non corrumpitur ab intelligibilis excellentia; quinimmo qui intelligit maiora, potest melius postmodum minora intelligere."

[2] Dicit Quatrefages (Histoire générale des races humaines, Introduction p. 5): „Ce n'est pas dans les phénomènes d'ordre intellectuel qu'il faut chercher ce qui nous sépare essentiellement des animaux. Pour qui s'en tient à l'observation et a l'expérience, il est parfaitement évident que les animaux raisonnent et ont jusqu'à un certain point conscience de leurs actes; il sont donc intelligents. Leur intelligence est, sans contredit, infiniment inférieure à la nôtre; mais cette infériorité ne touche en rien à la nature des choses. Pour être moins développée que chez nous, la faculté n'en reste pas moins la même au fond. Par conséquent, nous ne saurions trouver, même dans la plus élevée de ses manifestations, un véritable caractère de Règne. En revanche, rien ne dit que l'animal possède la notion du bien et du mal moral indépendante de toute idée d'utilité; qu'il ait le pressentiment d'une autre vie; qu'il croie à des êtres invisibles supérieurs pouvant influer sur sa destinée. Ces trois phénomènes fondamentaux se retrouvent chez tous les hommes; ils ont exercé et exercent chaque jour une influence universellement connue; presque toute l'histoire de l'humanité se rattache directement ou indirectement à eux. Ils sont l'expression de deux facultés nouvelles, la moralité et la religiosité, dont on n'aperçoit pas de traces chez les animaux et qui ont trop de rapports entre elles pour qu'on ne les rattache pas à une même cause, à l'âme humaine."

sensitivae, non potest ponere in altiore genere vitae, quam sit vita sensitiva." „Constat autem, quod phantasia et huiusmodi potentiae, quae ad ipsam consequuntur, ut memorativa et consimiles, sunt passiones partis sensitivae. Non igitur per praedictas virtutes vel aliquam earum animal aliquod potest poni in altiore genere vitae, quam sit anima sensitiva. Homo autem est in altiore genere vitae. Deinde homo, sicut et alia animalia, est movens se ipsum. Primum autem movens in homine est intellectus; nam intellectus suo intelligibili movet voluntatem. Ergo intellectus est id in homine, quod est dignissimum et formalissimum." [1]

Coroll. 3. Quum animalia praeter vitam vegetativam habeant sensitivam, et homines praeterea vitam intellectivam, est in hominibus appetitus rationalis, in omnibus animalibus appetitus sensitivus. Est vero in omni corpore vivente appetitus naturalis pro diversitate naturae diversus.

1. Homines quod spectat, ex nostra ipsorum experientia apertum est, esse in nobis appetitum cognoscitivum duplicem. Saepe enim ex libero nostro arbitrio in bonum honestum morale tendimus (Log. n. 1400) atque eas res appetimus, quae hominis ut entis rationalis sunt propriae, et quibus indiget, ut secundum sublimem suam naturam rationalem se gerat; quas quum cognitione intellectiva cognoscamus, appetitus ille recte intellectivus vocatur, vel rationalis, vel proprio nomine voluntatis. Praeterea homo animalem suam sequens naturam aliquid appetit, quod cognitione sensitiva tanquam bonum delectabile apprehendit sine iudicio quidem libero, sed tamen secundum veram apprehensionem propriam. Et hic est ille appetitus cognoscitivus, quem sensitivum vocant.

Huic vero appetitui cognoscitivo duplici, qui ab homine ipso elicitur, subest appetitus naturalis. Perscrutantes enim accurate appetitiones humanas detegemus appetitum, quo ante omnem cognitionem elicitam quasi insito nobis pondere ferimur in bonum, quod ipsa nostra cum hoc bono coaptatione nobis exhibetur; cuius generis est ipsa honestas et beatitudo in genere et bonum naturae animalis et conservatio propria. Quod bonum vocant „honestum naturale". Et pro triplici hominis natura triplex appetitus naturalis — consideratione saltem — distingui potest [2].

[1] Ita fere S. Thomas, Summ. c. gent. l. 2, c. 60.

[2] Cfr. Gregor. de Valentia l. c. disp. 7, punct. 2. Trendelenburg, Logische Untersuchungen II, 82.

„Primo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem sui Esse secundum suam naturam. . . . Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum ceteris animalibus. . . . Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria, sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de Deo (Log. n. 754), et ad hoc, quod in societate vivat.“ [1] Et hic appetitus naturalis in quadam necessitate fundatur nobis insita, qua ad bonum prosequendum vel faciendum et ad malum fugiendum propellimur [2].

2. Beluas quod attinet, multa sunt, quibus videmus esse in iis appetitum illum cognoscitivum, quem sensitivum vocant. Eadem enim phaenomena, ex quibus videmus homines in multis rebus sine ulla rationis usu secundum apprehensionem sensitivam delectabilia appetere, fugere iniucunda, declinare pericula, observantur etiam in brutis animantibus [3].

Atque etiam huic appetitui, qui ab ipso animali elicitur, subest appetitus naturalis. Ex naturae enim pondere iam fertur animal in id, quod naturae huic sensitivae respondet. Et praeter appetitum naturalem delectationis, quae inest in actibus vitae sensitivae, apparet in animalibus appetitus eorum motuum vitalium, quibus organismus nutritur, augetur, propagatur, qui cum vita vegetativa coniunctus est; atque etiam appetitus ille, quo unamquamque rem suum Esse et Conservari appetere videmus. Ex quo fit, ut omne animal, simul atque sit ortum, in se conservando occupatum sit.

Quaeritur tertio:

quae vita reperiatur in plantis et crystallis.

96. **Plantae nomine quid significetur** (n. 40). Plantas hoc loco eas intelligimus, quas vulgo homines hoc nomine insignire solent, arbores, flores, frumenta, herbas atque etiam cryptogamas.

Per truncum, qui in arboribus caudex, in herbis caulis, in tritico calamus appellatur, humor nutritius a radicibus in alias partes adiuvante endosmosi ascendit ad folia et corticem usque, ac deinde per contextum corticalem iterum descendit. Succum

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 94, a. 2.

[2] Cfr. Brentano, Philosophie des Aristoteles p. 62—66.

[3] Hac de re praeclare est apud Trendelenburg l. c. p. 87.

ascendentem scimus ad aëris contactum elementa quaedam ex hoc sibi attrahere, alia in eum refundere. Quum luci solis exponuntur plantae, ex acido carbonico elementa carbonica arripere solent, oxygenium emittere; quum luce carent, acidum carbonicum emittunt. Respirationem quaedam exhalatio aquei vaporis comitatur. Truncus exterius cortice velut cute obducitur. Ipse truncus constat fibris sive fistulis lignosis, quae in fasciculos collectae recta in longum producuntur. Inter has autem ductu fere horizontali inseruntur series utriculorum vel bullarum. Reperiuntur quoque vasa patula, quae lamellis aut squammatim dispositis aut in spiram contortis, sed tam tenuibus constituuntur, ut comprimi atque dilatari possint. Praeterea in stirpe quolibet alia vasa reperiuntur, quae succo vel alimento vehendo speciali rationi deserviunt.

Praeter nutritionem etiam augmentationem in plantis fieri novimus, quae efficitur secundum certum typum intra certam spatii et temporis extensionem.

Ad augmentationem accedit generatio sive novorum intra speciem individuorum reproductio. Ad hunc finem in plantis perfectioribus producuntur flores, in quibus efficiuntur organa, quae ad germen praeparandum sunt destinata. Simile quid reperitur in plantis etiam imperfectioribus. In plantis perfectioribus fecundatio ovulorum efficitur polline ex antheris in ovarium demisso. Excrescit ovarium in pericarpium et ovulum in semen; et in semine formatur embryo. Quum fructus maturitatem attigit, pericarpio soluto semina ex planta decidunt et terrae inserta vitam sibi propriam vivere incipiunt.

Quibus ex dictis apparet nutritionem et augmentationem esse in bonum individui, generationem in bonum speciei. Et generatio inter tres functiones est nobilissima; quia in ea producitur, quod non est pars tantum in toto vivente, sed id, quod ex se tanquam totum vivere potest. Sunt vero tres illae functiones ad vitam vegetativam necessariae. Nutritione ipsa vita efficitur; augmentatione germen in arborem evolvitur, in qua producantur germina; generatio requiritur, ne individuis, quae caduca sunt, desinentibus desinat etiam species.

Propter has operationes tres ab Aristotele plantis vita tributa est eaque vegetativa[1], quae sit fundamentum omnis vitae, quae in corporibus viventibus reperiatur.

---

[1] L. 8 physic. c. 4, 255 a, 6—12. *Ζωὴν δὲ λέγομεν τὴν δι' αὐτοῦ τροφήν*

97. **Variae de vita plantarum sententiae.** Vix non omni tempore erant, qui, quum viderent in plantis omnia effici adhibitis viribus physicis sive mechanicis, omnem his vitam denegarent, permittentes nomen vitae ad significandum specialem illum complexum virium mechanicarum, qui in plantis reperiretur. Inter quos Schleiden, Du Bois-Reymond, Virchow, Landois, Sachs, Loew, Bokorny.

Neque unquam deerant, qui plantis tribuerent vitam non solum vegetativam, verum etiam cognoscitivam. Et vitam quidem intellectivam tribuerunt Anaxagoras et Empedocles et posteriore tempore Manichaei, qui homicidium esse dixerunt, si quis arborem caederet [1].

Alii plantas non quidem intellectum, sed tamen sensum perceptionemque habere dixerunt. In quorum sententiam aliquid concessit Plato, qui interdum plantas animalia dixit.

Posteriore tempore praecipue Io. Robinet (1735—1820) in libro, quem de natura scripsit, hanc opinationem propugnare conatus est. A quo sensatio dicta est esse „impressio quaedam recepta in ente organico, qua fit, ut quaedam obiecta prosequatur, quaedam aversetur". Quae definitio quam sit ambigua, non necesse est ut explicetur. In eadem sententia inter alios Th. Fechner est, qui plantis confusam quandam et obscuram tribuit sensationem [2]. Neque non Cl. Bernard [3] hanc sententiam secutus est.

Hos sequuntur hodie multae ad misericordiam propensae animae, quae omnem curam suam ab hominibus transferunt in flores suos, ut his gaudium parent, ab his dolorem arceant.

Vitam organicam sive vegetationem quod attinet, multi ex physiologis et botanicis plantas vere vivere docent, in quorum

---

τε καὶ αὔξησιν καὶ φθίσιν (Arist. l. 2 de anim. c. 1, 412a, 15. Cfr. c. 2. 4. 6; l. 3, c. 11). Plantas Aristoteles τὰ ζῶντα vel ἔμψυχα, animalia dicit τὰ ζῶα.

[1] S. August. l. 2 de mor. Manich. c. 17.

[2] „Eine wenn auch schwache, dumpfe, unterschiedslose Empfindung" (Ueber die Seelenfrage p. 25. 46). Similiter E. de Hartmann: „Wir müssen bei der Pflanze so weit Bewusstsein — so dürftig sein Inhalt auch sein mag — annehmen, als wir Zeichen einer durch materielle Reize erregten Empfindung verfolgen können" (Philosophie des Unbewussten II [9. Aufl.], c. 4, n. 2).

[3] Leçons sur les phénomènes de la vie commune aux animaux et aux végétaux. Paris 1878. Id demonstrare conatur, „que les plantes possèdent comme les animaux la sensibilité, la possession de cette faculté comme démontrant l'unité fonctionelle des êtres vivants, depuis la plante la plus dégradée jusqu'à l'animal le plus élevé en organisation".

numero sunt Ioannes Müller, Liebig, R. Wagner, Unger, Burmeister, Flourens, Agassiz, Milne-Edwards.

98. **Rationes dubitandi.** Videntur plantae non solam vitam vegetativam habere, sed insuper etiam sensu gaudere et perceptione. Nam (1.) ut est apud Robinet [1]: „Videmus plantas exquirere aspectum solis, unum prae alio situm amare, eligere inter duos agros diversos, ad congruentem accedere, recedere a minus congruenti. ... Sunt igitur plantae entia sensitiva; sunt capaces voluptatis, doloris, desiderii, aversionis.“ His accedunt phaenomena, in quibus haec res videtur esse apertissima. Sunt enim plantae, inter quas „algae oscillatoriae“, quae discurrant huc illuc in aqua; et magnam manifestent irritabilitatem nervosam, velut quae vocatur „sensitiva“, quae irata quasi cum fremitu quodam contactum fugit. In nonnullis plantis species somni aperta est, qui tamen organismorum sentientium proprius esse videtur. Plantas quoque reperies, velut „dionaeam muscipulam“, quae carnibus bestiolarum vescentes has venatorum instar capiunt, hinc etiam cognoscunt. Quae enim venatio sine cognitione est?

(2.) Et in omnibus fere plantarum generibus insunt motus, qui ab alia causa determinationes suas habere non possunt quam a cognitione et sensu. In quo genere praeter heliotropismum, apheliotropismum, geotropismum, nyctitropismum admiratione digna est quae vocatur „circumnutatio“ [2].

(3.) Sensatio ad ducendam vitam vegetativam est omnino necessaria. Quis enim omni cognitione carens sibi in eis omnibus providere potest, quae ad vegetandum requiruntur?

(4.) Deinde vita omnis ex conceptu suo cum aliqua vitae fruitione vel imperfecta coniuncta esse debet. Sed nulla vitae fruitio quantumvis imperfecta coniuncta esse potest sine aliquo sensu vel perceptione. Et quis credere velit rosam ipsam non sentire suam pulchritudinem?

(5.) Sed contra videtur plantis nulla prorsus vita esse. Nam si planta vivit, habet animam. At quis credet quercui inesse animam? Potius recte opinatus est Bouchant, qui dicit unicuique plantae insidere malum daemonem, qui pro poena diu noctuque succos circumageret.

(6.) Quidquid in planta efficitur, fit qualitatibus corporeis, i. e. viribus physicis et chemicis, in materia certo et singulari modo disposita [3]. Ergo nulla est vita in plantis.

(7.) Totus ille modus nutrimenti et augmenti, qui est in plantis, reperitur quoque in quibusdam metallis et lapidibus, quamvis in his rebus sit obscurior. At hae res non vivunt. Ergo neque in plantis ulla vita inesse videtur.

(8.) Etsi plantae vegetationem habent, tamen propter naturam suam magis accedunt ad res non viventes quam ad animalia. Ergo naturae consonum est, ut plantas annumeremus rebus non viventibus.

---

[1] De la nature P. 7, c. 6.

[2] Circumnutationem summa cum diligentia observavit C. Darwin, descripsitque in libro: The power of movement in plants. London 1880.

[3] Cfr. Jul. Sachs, Grundzüge der Pflanzenphysiologie.

99. **Thesis I.** **Plantae non habent vitam cognoscitivam, habent tamen vitam vegetativam.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Quum a plantis sensum omnem vel cognitionem abesse affirmamus, utrum haec vel illa organismorum classis sensu praedita sit necne, i. e. utrum ea animalibus an plantis annumeranda sit, iudicare nolumus. Sed quaestio est, utrum illis organismis, quos homines vulgo nomine plantarum insigniunt, vita cognoscitiva sit necne.

Praenota 2°. Non est dubium, quin in plantis observetur specialis quaedam irritabilitas et in quibusdam etiam excitabilitas fibrillarum. Irritatio non est actio vitalis, sed est ad actionem vitalem necessaria praeparatio, quae requiritur, ut planta ad actum vitalem disponatur [1]. Ab irritatione vitali distingui potest illa excitatio, qua aliquae plantae ad speciales motus cieri possunt [2]. Cuius generis motus observati sunt in „mimosa pudica", in „biophyto sensitivo", „desinodio gyranti", aliis. Haec irritatio vel excitatio ab omni sensationis specie magnopere differt. In sensatione enim omni praeter impressionum receptionem est expressio quaedam speciei sive imaginis, qua interveniente organismus rem obiectam percipit sive sibi repraesentat (Log. n. 877 sqq.).

Praenota 3°. Concedimus in plantis vitam vegetativam esse obscuriorem, praecipue in plantis imperfectioribus. Sed quum de indole vel natura alicuius rei quaeritur, animus non est ad species istius rei vertendus, quae imperfectiores sunt, sed prius perfectiora individua contemplanda sunt, in quibus quippe totius generis natura manifestior sit.

100. Argumenta. *Argumentum partis prioris,* in qua negatur, plantis vitam sensitivam inesse (ex defectu omnis manifestationis huius vitae in plantis). Ea est in rebus necessitas naturae, ut virtutes omnes, quibus ad exsistendum exornatae sunt, etiam aliquando manifestent, quum praesertim eae virtutes eius indolis sint, ut effectus manifestos producant. Atqui nullibi neque usquam in plantis indicium ullum facultatis sensitivae observatum est. Ergo plantae sensu carent.

Prob. min. Significatur forinsecus vita sensitiva a) motu spontaneo, i. e. motu, cuius causa dirigens aliunde peti non potest

[1] De „irritationibus vitalibus" (Lebensreize) multa physiologi.
[2] „Zufällige Reize".

nisi ex aliqua cognitione [1]; b) expressione alicuius affectionis sensitivae, velut *gaudii, tristitiae;* c) aliqua organizatione, quae ad sentiendum destinata sit. At nihil in hoc genere triplici unquam in plantis observatum est.

a) Non est motus spontaneus. Omnes enim plantarum motus eam constantiam et mensuram prae se ferunt, quae ex directione naturali et non ex cognitione aliqua petenda est. Et quamvis hactenus non sit ostensum, qua via et ratione hi vel illi motus processibus chemicis vel physicis efficiantur, nullibi tamen inter eos motus et has vires discrepantia est. Operationes plantarum, si ex praevia perceptione sensili et hanc comitante appetitione procederent, certe irregularitatem et inconstantiam prae se ferrent similem, qualis apparet in animalibus. Quid vero in hoc genere apud plantas reperies?

b) Neque ullum unquam signum produnt affectionis sensitivae; vulneratae non dolent, non irascuntur, neque mulsae gaudent, nullam fatigationem ostendunt, nec fatigata membra somno restaurant.

c) Habent quidem organa, quorum tamen unumquodque alicui muneri vegetationis destinatum est: velut radix ad trahendum alimentum, folia ad respirationem aëris, flores ad formanda semina.

Confirmantur ea quae diximus ex consensu hominum, qui in hac re experientiae per dies obvia conveniunt, plantis nullum sensum esse, bestiis esse.

Confirmantur quoque ex ordine universi, qui in nulla alia re saltus in natura esse permittit, sed semper extrema per media coniungenda curat. Ex quo ordine conveniens est, ut inter res omni vita carentes et animalia, in quibus inest vita cognoscitiva et vegetativa, medii exsistant organismi, in quibus sola vita vegetativa sit.

101. *Argumentum pro parte altera,* in qua ostenditur in plantis reperiri vitam vegetativam. Id affirmamus propter facta, quae in plantis observata sunt. Facta enim, quibus declaratur esse in unoquoque animali vitam vegetativam, manifestant etiam eam vitam in unaquaque planta esse. Planta enim in se producit semina, quorum unumquodque destinatum est, ut plantam multiplicet atque propaget; quae virtus propagationis in indefinitum usque porrigitur, neque unquam deletur neque minuitur. Planta deinde unaquaeque ab initio se ipsam quasi aedificat usque ad certum magnitudinis gradum et secundum certam formam et figuram. Adveniente et abeunte materia se ipsam servat non ultra

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 6, a. 2.

certos temporis terminos. Nutrimenta quaerit, et se per intussusceptionem auget. Nociva fugit, et typum laesum per modum sanationis secundum varium laesionis genus admodum varium, semper tamen accommodatissimum redintegrat. Haec ex multis aliqua [1].

Ex his fundamentis profecti hocce modo concludimus: Illud ens vivit per vitam vegetativam, quod operatur ex se et in se sive erga se, i. e. ipsum novam sibi perfectionem acquirendam appetit operando secundum formas naturae insitas, ita ut terminus ex operatione resultans tanquam pars nova indatur in ipsius substantiam. Atqui id de plantis certo est arbitrandum. Ergo plantis inest vita vegetativa.

Prob. min. a) Quae fiunt in planta per nutritionem, augmentationem, praeparationem seminum, tendunt ad perficiendam plantam ipsam: id quod ex se satis intelligitur. b) Haec vero tendentia sive hic appetitus egreditur ex principio essentialiter uno. Universa enim plantae evolutio ad finem essentialiter unum dirigitur, qui est totius plantae ordinata secundum certum typum exsistentia, conservatio, reproductio. c) Sed hoc unum unius tendentiae principium est ipsa planta. Nam nutritio, augmentatio, propagatio incredibili constantia peragitur sub conditionum circumstantia, quae sunt maxime diversae, superatis impedimentis contingentibus, quae sunt admodum varia, et virtute in indefinitum perdurante. Quibus ex omnibus intelligitur plantam agere a) ex se, et non actam esse ab alio forinsecus, id quod in machinis accidere videmus; b) in se, et non in aliud (id quod fit in actibus transeuntibus).

Vel sic: Si controversia est, num plantae vere vivant necne, eae cum rebus aperte viventibus conferendae sunt atque etiam cum rebus, quae certe non vivunt, ut appareat, ad utrum rerum ordinem propter proprietates suas et agendi modos magis accedant. At plantae hoc modo in comparationem adductae re tota et omni ratione ad res viventes accedunt, a rebus, quae vita carent, omnino alienae sunt. Ergo et ipsas vivere arbitrandum est.

Prob. min. Primo agendi modos quod attinet, plantae animalibus vegetantibus similes sunt:

[1] Cfr. Bodenstein, Bau und Leben der Pflanze. Köln 1879. C. Berthold, Die Herrschaft des Zweckmässigen in der Natur (Köln 1877) p. 8—45. Hanstein, Der Protoplast. Bonn 1868. M. Westermaier l. c.

a) propter functiones nutritionis, augmentationis, generationis;

b) propter directionem internam processuum chemicorum et physicorum ad perficiendum ipsum organismum;

c) propter totius potestatem in partes; activitas enim totius regit partes et praeest quasi activitatibus partium.

Deinde essendi modos sive proprietates quod attinet, plantis cum animalibus similitudo est:

a) propter originem ex semine et germine speciei propriae;

b) propter evolutionem et incrementum:

α) per specialem sese evolvendi et conservandi tendentiam;

β) per intussusceptionem et aggenerationem novarum partium;

γ) per singularem cellularum scissionem et multiplicationem;

δ) per exsistentiam per certum tempus et spatium;

c) propter structuram et figuram:

α) per chemismum specialem, i. e. proportiones chemicas admodum perplexas;

β) per constructionem cellularum, fibrarum, vasorum; propter similitudinem inter protoplasma plantae et sarcodem animalis.

γ) per organisationem;

δ) per accessum materiae et recessum perpetuum;

ε) per totum externum habitum et defectum figurae mathematicae.

Et *confirmatur* 1_0 (ex rerum scala et ordine, qui in hoc mundo observatur). Rerum continuitas id sibi expostulare videtur, ut sint organismi, in quibus insit vita vegetativa, sensitiva, intellectiva; alii, in quibus sit vita vegetativa, sensitiva; alii, qui solam vitam vegetativam habeant. Quoniam autem plantae omnia iudicia vitae vegetativae prae se ferunt, pronum est, ut concludamus eas revera vivere.

Confirmatur 2° (ex consensu hominum). Dicit Suarez: In theologia certum est et in philosophia evidens est et plantas vivere et formam vegetativam esse veram animam. Eamque ob rem in hac veritate asserenda omnes philosophi et theologi conveniunt [1].

102. Thesis II. Crystallis vita omnis est abiudicanda.

Ad stat. quaest. *Praenota:* His rebus proprium esse scimus ut transeuntes ex statu aëriformi vel liquido ad statum solidum induant typum secundum figuras regulares polyedricas. Distinguunt crystalligraphi typos crystallisationis fundamentales, qui velut certa genera certas species continent. Et corpora, quae sunt eiusdem essentialis speciei, eandem usque crystallisationis speciem induunt.

[1] L. 1 de an. c. 4, n. 12.

Aliqua sunt corpora, quae duplicem speciem sibi induere possunt, quae dimorphica dicuntur. Isomorphica ea corpora appellant, quae, etsi ad diversas rerum anorganicarum species pertinent, sub eadem tamen specie crystallina apparent. Nec raro crystallisatio a forma globosa et ovata proficiscitur in polyedricam. Quum crystalla secundum certam symmetriam formentur, partes inter se quoad situm et directionem dependent, ita ut, si demas unum acumen in octaëdro, acumen illud, quod ex adverso est, in formatione crystalli omittatur. Et formatio quidem crystalli ex uno puncto medio quaquaversus proficiscitur; ex soluto liquore crystallum eas tantum partes ad se trahit, quae sibi congruentes sunt relictis reliquis.

Argumentum (ex aperto discrimine, quod est inter crystalla et res viventes). Omnis quae est in crystallisatione activitas, essentialiter differt ab activitate vitali. Accedit ut etiam structura, quae est in crystallis, omnem activitatem vitalem excludat. Ergo crystalla nullam vitam habent.

Prob. antec.: Dum in vegetativis magna est diversitas partium et operationum, quae inter se exigunt ad finem essentialiter unum, qui est perfectio totius, in crystallis partes eiusdem structurae sunt, quae, etsi quoad situm et directionem inter se determinant, non tamen ita inter se pendent, ut una pars, quae agat, exigat actionem alterius. Unde a crystallo abest ista activitatis unitas, quae ad activitatem immanentem proprie dictam requiritur. In hac enim requiritur unitas essentiae; sola unitas molis vel continuitatis satis non est (Log. n. 1334).

Quidquid deinde evenit in crystallorum formatione, secundum rem totam et omnem rationem repeti potest ex legibus corporum physicis, quae in constituendo rerum typo quantitativo servari solent (Phil. nat. n. 116).

Haec lapidum accretio, ut fere est apud Suaresium, solum est per iuxtapositionem mere transeuntem inter agens et patiens, quae sunt distincta supposita. Qui processus est mere accidentarius ad naturalem statum corporis; non enim est ad perfectionem ipsius agentis, sed ad actionem transeuntem. Quod autem inde sequatur unio inter agens et patiens, et quod ex utroque resultet unum maius, quasi per accidens evenit ex propinquitate et homogeneitate inter agens et patiens[1].

[1] L. c. n. 17.

103. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Peculiares illi motus, qui in nonnullis plantis observantur, partim accidunt propter partialem exsiccationem, partim propter alios tactus physicos; neque unquam horum motuum ad vires naturales impar ratio est; dummodo ponamus in plantis inesse principium vitae vegetativae. Haud paucae plantae manifestant remissiones quasdam et intensiones operationum vitalium certo tempore recurrentes, quae res aliquam cum somno similitudinem habet. Et similitudo etiam, quae est inter bestias, quae bestiis potiuntur ad vescendum, et plantas, quas carnivoraces vocant, admodum levis est et infirma.

Minime igitur quae sunt huius generis exempla, plantis sensum vel ullam cognitionem inesse probant. Quum autem plantae naturali suo appetitu ductae et solo naturalium qualitatum ministerio aliqua efficiunt, quae ab animalibus duce cognitione perfici solent, agnoscitur in plantis umbra quaedam vitae sensitivae vel resonantia; sicut etiam ea, quae prudenter a bestiis fieri videmus, non ostendunt iis inesse intellectum, tamen ostendunt aliquod intellectus vestigium.

(Ad 2 modo responsum est.*)*

(Ad 3.) Per experientiam et observationem scimus vitam vegetativam in se ipsa non perfici sentiendo. Neque sensatio ex se necessaria est in iis, quae ad vitam vegetativam requiruntur. Plantae ex naturae suae indole iis alimentis contentae sunt, quae sibi satis propinqua sunt vel quae ipsae satis facile intervenientibus qualitatibus corporeis sibi arripere possunt. Neque ad id opus habent ulla discretione cognitionis.

(Ad 4.) Inepte dicunt, qui ad vivendum utcunque aliquam fruitionem necessariam esse asseverant. Actio enim immanens sive vitalis sine ulla fruitione vel imperfectissima esse potest.

(Ad 5.) Postquam est demonstratum vitam reperiri in plantis, propter principium causalitatis concludendum erit, etiam causam reperiri in planta, a qua vita trahenda sit. Hanc causam principium vitale vocant. „Animae" vocem quod attinet, solent hodie hoc nomine significare principium vitae cognoscitivae. Et probatum est in hoc vivendi genere nullam animam plantis inesse. Nos vero mori veterum inhaerentes omne cuiuscunque vitae principium „animam" appellamus, de qua mox plura inquirenda erunt. Nomine „spiritus" principium vitae intellectivae significare solent. Spiritus igitur neque in planta neque in bestia inesse potest. Quum enim Esse sit propter Agere, non licet in rebus plus entitatis supponere, quam res in naturali conditione positae manifestare solent.

(Ad 6.) Nihil fit in planta, quin efficiatur qualitatibus corporeis. Dum autem in rebus inanimis hae qualitates adhibentur ad actiones transeuntes usque ad certum quoddam aequilibrium naturale, in rebus viventibus hoc aequilibrium perpetuo turbatur in usum et perfectionem rei agentis. Sunt igitur in planta omnes processus chemici et physici intrinsecus directi et animati tendentia in agente immanenti, sive appetitu vitali. Quidquid igitur fit in planta, per praecisionem mentis considerari potest ut effectus chemicus vel physicus; atque ita virtute qualitatum corporearum efficitur. Considerari vero etiam potest ut effectus vitalis, i. e. ut effectus animatus tendentia immanenti: atque ita a corporeis qualitatibus esse non potest. Qua de re Aquinas: „Operatio animae nutritivae excedit virtutem qualitatum elementarium; probat

enim Aristoteles, quod ignis non est causa augmenti, sed concausa aliquo modo; principalis autem causa est anima, ad quam comparatur calor sicut instrumentum ad artificem.“ [1]

(Ad 7.) Omne augmentum et nutrimentum, quod fit in rebus anorganicis, per solam iuxtapositionem partium externam efficitur, hinc intervenientibus actionibus transeuntibus. Non igitur fit ex tendentia naturae insita, ut ipsa haec res praeexsistens se perficiat. Contra in vegetatione videmus rei ex natura definitam perfectionem et certum modum acquirendi eam perfectionem praescriptam esse. Plantae ex se certum terminum magnitudinis acquirunt, quia peculiari facultate augentur, quae determinatae virtutis est [2].

(Ad 8.) Vegetatio est in genere actionis immanentis, quae ab omni actione transeunte penitus differt. Speciali igitur modo plantae habent naturam minus materiae immersam et magis illi dominantem. Quia plantae proprie erga se operantur et ex se in ultimo actu se constituunt, eam habent convenientiam substantialem cum animalibus, quam nullo modo habent corpora inferiora. Hic igitur conceptus, qui communis est vegetabilibus et cognoscentibus, sicut est unus, ita potuit una voce significari; significatus est autem nomine viventis [3].

104. Corollarium. Ergo proprium et essentiale discrimen, quo animalia distinguuntur a plantis, in rerum ordine est sensitivitas. „In hoc quod est ‚sensitivum esse‘, consistit ratio animalis, per quam animal a non-animali distinguitur. Attingit enim animal ad infimum gradum cognoscentium.“ [4] Primo igitur propter cognitionem sensitivam elevatur animal supra materiam inanimam et plantam. Cognitionem sequitur appetitus elicitus, et motus quo movet animal se ipsum. Praeter has etiam aliae differentiae multae indicari possunt, quae sunt magis secundariae, inter quas est nutrimentorum diversitas [5].

---

[1] Summa c. gent. l. 2, c. 62. [2] Suar. l. c. n. 18.

[3] Ibid. c. 5, n. 22.

[4] S. Thomas, L. de sensu et sensato lect. 2.

[5] Inscienter Burmeister: „Der erste Unterschied zwischen Pflanze und Thier beruht auf der Verschiedenheit der Nahrungsstoffe.“ De hoc discrimine inter plantas et animalia scite Milne Edwards: „La limite entre le règne animal et le règne végétal n'est pas toujours aussi facile à reconnaître qu'on le croirait au premier abord, car il existe des êtres d'une grande simplicité de structure qui semblent établir le passage entre ces deux groupes, et qui embarrassent quelquefois le naturaliste lorsqu'il cherche à les classer; mais dans l'immense majorité des cas, rien n'est plus facile que de distinguer un animal d'une plante, et les incertitudes dont nous venons de parler, tiennent peut-être à l'imperfection de nos connaissances plutôt qu'à la nature des choses; aussi ne convient-il pas de nous y arrêter ici, et pouvons-nous dire, d'une manière générale, que les animaux diffèrent des plantes par des caractères d'une haute importance, tirés en même temps de la nature des phénomènes par lesquels la vie se manifeste chez ces êtres, de leur mode de structure et

SECTIO SECUNDA.

De conceptu vitae.

105. **Error hylozoismi.** Postquam vidimus varia admodum vitae phaenomena per experientiam reperiri in viventibus corporeis, proximum est, ut conceptum vitae accurate definiamus.

Sed prius recordandum est nullo non tempore fuisse philosophos, qui phaenomena vitalia non solum in animalibus et plantis, sed in qualibet re naturali repererint, quam ad accuratam vitae definitionem veniamus.

Error de quo dicimus in eo consistit, ut omnia vivere dicant, conceptum ergo vitae nimium extendant.

Ad quam sententiam inter Graecos primos concessisse philosophos ionicos a nonnullis relatum est. Qui quum principium in rerum natura quaererent, unde omnia, etiam viventia, primitus orta essent, et unde nostro etiam tempore omnes rerum generationes acciderent, illud principium dixisse feruntur materiam vita aliqua praeditam.

Et Thales primus quidem, qui de his rebus quaesivit, aquam dicit rerum omnium esse initium; aquae autem adiunxit vitam, quam mentem vocavit vel divinum quid. Vitam igitur in omni re etiam inanima reperisse videtur, sicut speciatim magneti attrahenti ferrum animam tribuit [1].

Similia opinati sunt Anaximander (qui materiam istam ἄπειρον vocavit, quod esset divinum quid et incorruptibile), Anaximenes (qui ex aëre traxit omnia, cui simul tribuit naturam animae), Diogenes Apollonius (qui aëri, qui esset omnium rerum principium, νόησιν sive intelligentiam attribuit), alii. His si credimus, organismi viventes non aliud sunt nisi res, in quibus speciali ratione vitalis illa materiae qualitas colligatur et manifestetur.

---

de la composition chimique des principales matières constituantes de leur corps. Les actes que les végétaux exécutent, ont uniquement pour objet la nutrition de l'individu ou la reproduction d'individus nouveaux. Chez les animaux la vie se manifeste sous une forme plus compliquée: à la faculté de se nourrir et de se reproduire, viennent s'ajouter le pouvoir d'exécuter, sous l'influence d'un moteur intérieur, des mouvements qui tendent à un but déterminé, et la faculté de sentir, c'est-à-dire de recevoir des impressions du dehors et d'en avoir la conscience. De là est venu le nom d'êtres animés, que l'on donne aux animaux, par opposition aux végétaux, que l'on appelle des êtres inanimés. Ainsi les végétaux sont des corps qui se nourrissent et qui peuvent se reproduire, mais qui ne sentent ni se meuvent volontairement. Les animaux sont des corps qui se nourrissent, se reproduisent, sentent et se meuvent volontairement" (Zoologie [13e éd.] p. 10. 11. Cfr. Domet de Vorges, La mét. en pr. des sciences p. 159).

[1] Arist. l. 1 de an. c. 2, 405 a, 19; cfr. c. 5; L. de mundo c. 6.

Heraclitus in omnibus spiritum inesse putavit, qui esset ignea quaedam vaporeaque substantia in motu continuo posita, unde dixit omnia in perpetuo fluxu esse, ex quo oriretur universalis concursio quaedam et bellum.

Pythagorei universum mundum vita praeditum esse dixerunt. Distinguebant autem quattuor vitae gradus: genetricem, nutritivam, sensitivam, intellectivam. Animam esse *ἀριθμὸν αὐτοκίνητον* definierunt.

Plato inter primos fuisse videtur, qui universum mundum una anima animatum esse putaverint, ita ut totus mundus sit unum animal vivens. Docuit enim Deum, quum de ordinanda materia cogitaret, intuentem ideas aeternas mundo indidisse animam, qua interveniente *νοῦς* cum materia communicari posset, et tota rerum universitas evaderet melior.

His vero Plato ducebatur rationibus: a) Totum semper est perfectius singulis suis partibus. Si ergo homines, qui sunt pars mundi, propter animam *νοῦ* sunt participes, id potiore iure de universo mundo est arbitrandum. b) Deinde in ipso mundo inesse debet, quod alia moveat neque tamen ipsum ab aliis moveatur. Id vero non potest non esse principium actionis immanentis sive anima. c) Praeterea unicuique corpori proprium est, ut regatur ab aliqua anima. Ergo etiam mundo corporeo sua anima esse debet, quae constantiae omnis et mutationis lex sit et norma; quae res ex ordine et harmonia totius mundi cogitanti cuique evidens esse debet. d) Sicut denique corpus humanum ex mundo corporeo decerptum est, ita etiam anima humana non aliunde atque ex anima mundana originem suam primam duxisse putanda est [1].

Platonem secuti sunt eius discipuli fere omnes. Quod si ipse S. Augustinus huic Platonis de anima mundi sententiae non satis aperte obluctatus esse videtur [2], recordari oportet, quod ab Aquinate animadversum est: „In multis, quae ad philosophiam pertinent, Augustinus utitur opinionibus Platonis, non asserendo, sed recitando.“ [3]

106. Praeterea manifestum est omnes etiam ab initio usque ad nostra tempora pantheistas in eadem esse sententia.

Stoici mundum spiritu quodam sive mente instructum esse arbitrati sunt propter mundi perfectionem.

„An cetera mundus habebit omnia, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? Atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praesta-

---

[1] Cfr. l. 12 de legg. et locis aliis. Perperam Cudworth conatur ostendere etiam ipsum Aristotelem in hac sententia fuisse (Syst. intellectuale [edit. Mosheim], dissert. de natura genetrice).

[2] Cfr. L. de consensu evangelist. c. 23, n. 35; De Genesi ad litt. imperf. c. 7, n. 17; l. 1 retract. c. 11, n. 4.

[3] S. theol. 1, q. 77, a. 5.

bilius, nihil pulchrius; nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam potest. Et si ratione et sapientia nihil est melius, necesse est hanc inesse in eo, quod optimum esse concedimus.“ [1] Alteram rationem ex mundi mirabili harmonia petebant. „Quid vero? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget ea, quae dicuntur a me, comprobare? ... Haec ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno divino et continuato spiritu continerentur.“ Tertio putabant animalia et homines ex mundo universo oriri non potuisse, nisi mundus ipse haberet vitam, mentem, spiritum.

Hunc mundi spiritum Stoici ipsum Deum esse dixerunt. Deum, quem Plato et Aristoteles a mundo omnino diversum esse posuerunt, Stoici mundo tanquam formam indiderunt. Deum materiae animam esse, materiam Dei corpus; hanc tamen materiam a Deo per emanationem effluxisse. Totum mundum esse ipsum Deum corporeum, sese manifestantem in rerum varietatibus. Illam, quae mundo insideat, divinam intelligentiam in se continere rationes rerum seminales (*λόγους σπερματικούς*) tanquam ipsa rerum omnium semina.

Etiam Neoplatonici more pantheistarum universum mundum viventem esse posuerunt.

Sed non est, cur hic huic sententiae proponendae diutius immoremur (cfr. Phil. nat. n. 260), quum rem nostram quod attinet nominibus potius quam rebus a Stoicis dissentiant.

Neoplatonicos tempore medii aevi secuti sunt Scotus Erigena, Almaricus Carnutensis, qui Deum docuit esse formam mundi, David Dinantiensis [2], qui Deo materiae primae rationem tribuit.

Posteriore tempore ad systema quoddam stoico simile relapsus est Iordanus Bruno. Consimiliter multis ex theosophis, velut Iacobo Boehme, mundus vita praeditus vehementer commendabatur.

Ex transcendentalibus Germanis hoc loco memorandus est F. W. I. Schelling, qui insistens in identitate „ideae“ et „rei“, „naturae“ et „spiritus“, dicit naturam esse ipsum absolutum ex parte sua reali a nobis consideratum. Ipsum absolutum per viam duplicem differentiare sese docet; per viam subiectivam sive idealem sub potentiis veritatis (scientiae), bonitatis (moralitatis), pulchritudinis (artis); per viam vero obiectivam sive realem sub potentiis gravitatis (materiae), luminis (motus), vitae (organismi). Et universam naturam esse organismi instar per unam animam animati (Phil. nat. n. 271).

Et plurimos hodie reperies, qui sive aperte sive obscure universo mundo et vitam attribuant et naturam divinam. Quorum

---

[1] Cic. l. 2 de nat. deor. c. 7.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 3, a. 8; Summa c. gent. l. 1, c. 26; 2 dist. 17, q. 1, a. 7.

nonnulli docent mundum esse ens, quod nitatur ad sui ipsius conscientiam in rebus omnibus, quod vero hanc perfectionem adipiscatur in solo homine.

Hylozoistis recte annumeraveris etiam eos, qui hodie pantheismum profitentur; quorum primipili A. Schopenhauer et E. de Hartmann. Qui quum idealismo Kantiano (Log. n. 832) infecti res omnes esse affectiones hominis cogitantis dicerent, hominem ipsum volitione constitui posuerunt, hanc igitur volitionem essentiam omnium rerum esse [1].

Petrus Gassendi aliique ex atomistis illius temporis suspicati sunt unamquamque atomum actuali perceptione gaudere. Daniel Sennert ad explicandas generationes spontaneas (Phil. nat. n. 189) necesse esse dixit, ut putaremus atomos vitam habere. Franciscus Glisson [2] tres tribuit materiae facultates: perceptivam, appetitivam, motivam [3].

Leibnizium scimus in unaquaque monade invenisse vitam et quandam universi repraesentationem (Phil. nat. n. 106).

107. Sub initiis recentioris temporis haud pauci hylozoismum amplexi sunt neque tamen aperte pantheismo infecti. Inter quos Theophrastus Paracelsus omnibus rebus naturalibus insidere docuit principium quoddam formativum, quod „archaeum“ ille vocavit, quod rebus omnibus etiam anorganicis vitam tribueret.

Bern. Telesius, Thomas Campanella opinati sunt omnia corpora sensu quodam praedita esse, qui esset causa universalis sympathiae et harmoniae, quae in omnibus rebus reperiretur.

Marsilius Ficinus animam mundi posuit a Deo distinctam, quae esset principium omnis vitae et motus in hoc universo.

[1] „Der Begriff ‚Wille‘ erhält eine grössere Ausdehnung, als er bisher hatte; aber die Ausdehnung ist wegen der Identität des Wesens jeder irgend strebenden und wirkenden Kraft in der Natur mit dem Willen eine berechtigte“ (Die Welt als Wille und Vorstellung I [1. Aufl.], 132). „Der Willensact ist nur die nächste und deutlichste Erscheinung des Dinges an sich; hieraus folgt, dass, wenn alle übrigen Erscheinungen ebenso unmittelbar und innerlich von uns erkannt werden könnten, wir sie für eben das ansprechen müssten, was der Wille in uns ist“ (ibid. II, 221). „Schon die untersten Naturkräfte sind von jenem selben Willen beseelt, der sich nachher in dem mit Intelligenz ausgestatteten individuellen Wesen über sein eigenes Werk (die zweckmässige Einrichtung der Welt) verwundert, wie der Nachtwandler am Morgen über das, was er im Schlafe vollbracht, oder richtiger wie jener, der über seine eigene Gestalt, die er im Spiegel erblickt, erstaunt“ (ibid. II, 369).

[2] In libro: Tractatus de vita naturae.

[3] Cfr. Soury, De hylozoismo apud recentiores. Parisiis 1881.

Reperiuntur quoque, qui propter „legem continuitatis“ (Log. n. 706) a Leibnizio tantopere celebratam omne discrimen essentiale inter viventia et non-viventia negandum esse censeant. Inter hos Robinet, qui omnibus rebus anorganicis infimum vitae gradum inesse vult; id arbitrans necessarium esse propter naturae continuitatem atque ita omnes rerum species non aliud esse quam varia naturae tentamina, quibus ad formandum hominem perveniatur.

Praeterlapso saeculo multi ex iis, quos materialistas esse putant (Maupertuis, Diderot, Cabanis, alii), sicut hominem et viventia reliqua ad gradum materiae brutae depresserunt, ita haud raro materiam omnem elevaverunt, ut eam vita et intelligentia praeditam esse dicerent. Hoc modo de Lamettrie terram fuisse primum uterum hominis dixit.

Apud multos recentis aetatis naturales doctrina de mundo vivente revixit. Ex his satis est nominavisse Oken, qui mundum dixit esse organismum unum, in quo omnia conspirarent ad ipsius mundi perfectionem; rupes costis comparari posse, flumina venis, arbores capillis; solem, lunam, stellas omnes, terram, mare habere mentem, quae omnia moderaretur, moveret, regeret, eo quod quaedam intelligentia per omnia ea permanaret et transiret.

Ad hunc portum salutis pervectus est tandem Guilelmus Wundt[1]. Qui quum negasset rerum substantialitatem, earumque essentiam in activitate actuali reposuisset, nunc ad id pervenit, ut hanc activitatem volitionibus constitui diceret.

Neque hoc loco silentio praetermittere volumus systema Antonii Güntheri, qui universum mundum dicit esse unum fundum vivum, qui in plantis elevetur usque ad vegetationem, in animalibus usque ad vitam sensitivam, cuius principium sit anima, *ψυχή*, cui tamen in unoquoque homine accedat unus spiritus, *πνεῦμα* (Phil. nat. n. 273).

Günther pantheismum transcendentalium omnibus erroribus exuere conatus, doctrinam condidit, cuius haec fere sunt capita. Deus creavit spiritus, unum fundum vivum sive „substantiam naturae“, hominem, qui sit synthesis ex spiritu et substantia naturae. Fundus ille naturae vivus, quum ex se sit substantia una, ex desiderio, acquirendae sui conscientiae variis sese subiecit differentiationibus sive individualibus manifestationibus. Id per scalae quasi gradus factum est in rebus anorganicis, in plantis, in bestiis, in vivis hominum corporibus. In vita igitur vegetativa et sensitiva cernitur perfectior quaedam

[1] In opere: System der Philosophie. Leipzig 1889.

„substantiae naturae“ differentiatio. Sed in vita sensitiva iam reperiuntur initia reditus illius substantiae ad se ipsam; quae quidem in vita sensitiva nondum apprehendit se ipsam, sed tamen differentiationes suas. Atque haec ad hunc locum satis.

108. Plurimos tandem defensores hodie hylozoismus sibi nactus est ex schola Darwini et Haeckelii (Phil. nat. n. 106). Qui quum fieri non posse viderent, ut intelligentia, conscientia, volitio repeteretur integra ex solo motu mechanico, ad id pervenerunt, ut perfectionum istarum initia quaedam et elementa in ipsis atomis latere dicerent.

Hanc suam doctrinam confirmatiorem esse ducunt ex universali scientiae principio, quo praecipiatur res minus notas ex rebus notioribus explicandas esse; id autem, quod sit nobis notissimum, non esse materiam mechanice motam, sed esse vitam, perceptionem, intelligentiam. Haec recentiorum opinatio nomine monismi biologici illustris est vel etiam psychismi[1].

Huius psychismi duplex species distingui potest. Prior, quae est moderatior, atomis vitam tribuit non actualem, sed virtualem dumtaxat, sive quandam vitae virtutem activam quidem, sed latentem. Hanc virtutem fieri actualem in organismis, idque propter speciales in quibus materia organizata exsistat conditiones; hoc modo recte dicere eos, qui vitam doceant esse proprietatem materiae organizatae tantum. Altera huius sententiae species atomis non solum vitam virtualem, sed actualem tribuit, quamvis imperfectissimam. Ex his rebus viventibus certo modo inter se additis oriri in animalibus complexa illa vitae phaenomena, quae nos per observationem et experientiam noverimus et „vitam“ nominemus; hanc vitam rerum organicarum inesse in atomo eo fere modo, quo „incendium“ insit in ardente palea; hanc non „incendium“ dices, sed incendii capacitatem sive initia.

Qui hanc ingentem gravissimorum errorum varietatem — cuius levia tantum indicia aliqua hoc loco tangere potuimus — vel obiter perpenderit, is facile perspiciet plurimum interesse, ut in psychologia de conceptu sive definitione vitae clare et accurate praecipiatur.

109. **Qua ratione nomen vitae adhibitum sit.** 1. Dicunt homines ea vivere, quae per sui motum vel sui mutationem aliquid acquirere nituntur, quod naturalem eorum statum, vel ut hodie dicunt, aequilibrium virium chemicarum et physicarum excedit; in quo rerum genere sunt animalia, plantae. Reperiuntur res, quae cum illis rebus se ipsas moventibus externam aliquam similitudinem

[1] Paucos tantum reperies, qui omnibus rebus vitam vegetativam tribuant, non vero cognoscitivam.

habent, quas eam ob causam etiam vivere dicunt; idque per metaphoram, ut sunt *aquae vivae, argentum vivum, vis* sive *energia viva.*

2. Inde est consequens, ut voce vitae formalem rationem per experientiam cognitam significent, propter quam corpora organizata sive viventia a rebus anorganicis essentialiter distinguuntur. Rationem formalem dico; nam illae res differunt etiam secundum materiae dispositionem; quam tamen nemo vitam dixerit.

Id discriminis est inter „vitam" et „vivere", ut nomen vitae sit terminus abstractus formatus a verbo „vivere", sicut vox *cursus* est terminus abstractus ab actione currendi[1].

Vivens duplici ratione intelligi potest, primo participiative, i. e. ut est participium praesentis temporis; et hoc modo id tantum dici potest esse vivens, quod actu exsistit. Secundo nominaliter, i. e. ut est nomen significans id, quod vitam habet, sive actu exsistit sive non.

3. Nomine vitae aut significant aliquam perfectionem ipsius substantiae, aut operationem a supposito vivo effectam. Illa est vita substantialis vel vita in actu primo; haec accidentaria, vel vita in actu secundo. Et ut plurimum hoc nomine vita in actu primo significatur, etsi ea vox tracta est a vita in actu secundo. Ea est enim proprietas intellectus nostri, ut essentias rerum nominet, ex quo sese manifestant[2].

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 54, a. 1 ad 2.

[2] „Intellectus noster, qui proprie est cognoscitivus quidditatis rei ut proprii obiecti, accipit a sensu, cuius propria obiecta sunt accidentia exteriora. Et inde est, quod ab his, quae exterius apparent de re, devenimus ad cognoscendam essentiam rei. Et quia sic nominamus aliquid, sicut cognoscimus illud, inde est, quod plerumque a proprietatibus exterioribus imponuntur nomina ad significandas essentias rerum. Unde huiusmodi nomina quandoque accipiuntur proprie pro ipsis essentiis rerum, ad quas significandas principaliter sunt imposita; aliquando autem sumuntur pro proprietatibus, a quibus imponuntur; et hoc minus proprie. . . . Sic ergo dicendum est et de vita. Nam vitae nomen sumitur ex quodam exterius apparente circa rem, quod est movere se ipsum. Non tamen est impositum hoc nomen ad hoc significandum, sed ad significandam substantiam, cui convenit secundum naturam movere se ipsam vel agere se quocunque modo ad operationem. Et secundum hoc Vivere nihil aliud est quam Esse in tali natura. . . . Unde vivum non est praedicatum accidentale, sed substantiale. Quandoque tamen vita sumitur minus proprie pro operationibus vitae, a quibus nomen vitae assumitur, sicut dicit Philosophus, quod Vivere principaliter est Sentire vel Intelligere" (ibid. 1, q. 18, a. 2); vel sicut Link vitam definit: „Leben ist Bewegung, die durch einen innern Grund bestimmt wird" (in libro: Propylaeen der Natur).

Haec ergo nomina etsi ex se actum secundum exprimunt, tamen ad significandum actum primum adeo in usu sunt, ut haec iam sit propria eorum significatio [1].

Vivere quum significat ipsum Esse viventis, non significat Esse absolute et per se, sed connotat specificationem ipsius Esse [2].

Per longissimum temporis spatium manere potest vita substantialis, omissa omni vita actuali. Narrant botanici [3] multa plantarum semina, quae per plurima saecula ab omni humiditate et calore remota, prorsus exsiccata et emortua esse videbantur, tamen in plantas excrevisse, postquam humiditati humi inserta fuerint. Similia narrant zoologi [4], quaedam animalia aquatilia, quae extra aquam posita per diuturnum tempus prorsus exsiccata fuerint, postea in aquam remissa iterum laetam duxisse vitam.

4. Diximus nomine vitae significari ut plurimum vitam substantialem sive vitam in actu primo. Haec vita substantialis, quae est natura sui motrix, iterum duplici ratione intelligi potest: aut ut ipsa res viva, i. e. ipsum suppositum (Log. n. 1478), ex quo operatio vitalis egreditur; aut ut quaedam essendi perfectio sive facultas, qua fit, ut ens fit vivum et capax operationis vitalis. Ex ordinaria vocabuli significatione haec facultas voce vitae intelligitur. Sed interdum intelligunt ipsam substantiam viventem (in qua suppositum est „principium, quod“ vivit; sed „principium, quo“ ens vivit, postea animam esse dicemus); qui vel suppositum vel animam nomine vitae insigniunt.

5. Vita prima sive vivens latius patet quam anima et animatum. Nam Deus et angeli vitam habent, animam non habent. Itaque animatum idem est atque vivens corporeum sive physicum. Vita, quae invenitur in his corporibus vivis, vocatur physica; vita metaphysica ea est, quae convenit omnibus omnino viventibus. Sed nonnunquam vita physica intentionali sive cognoscitivae opponitur, et tum vitam vegetativam significat et locomotionem.

6. Vita haud raro etiam illa unio animae cum corpore vocatur, quae est in viventibus corporeis. Huic vitae opponitur

[1] Quod de proprietate intellectus nostri diximus, testimonio eorum, qui disciplinis linguisticis navant operam, magno pondere confirmatur. Qui post accuratam linguarum comparationem invenerunt omnes radices vocum primas non nomina substantiva significare, sed actiones et proprietates sensibiles, unde post ea vocabula ad significandas substantias et res insensibiles translata sint. [2] S. Thomas, Quodlib. 9, a. 3 ad 1.

[3] Cfr. Carpenter, Vegetable Physiology (London 1875) n. 420—425.

[4] Buffon, Spallancani, Needham, Leeuwenhoek, Fontana, alii.

mors, quae est vitae amissio; intelligitur autem vita substantialis. Hanc amissionem dicemus fieri in hominibus per animae a corpore separationem; in bestiis et plantis per animae desitionem. Transfertur hoc nomen mortis a viventibus corporeis ad ipsas animas, ita ut animas, quae in morte viventis esse desinunt, vocent mortales, animas, quae solae sine corpore vivere pergent, immortales.

7. Neque non duratio vitae substantialis in quocunque vivente vita dicitur; hoc modo vita longa vel brevis est.

8. Diximus nomine vitae significari etiam vitam accidentalem sive vitam in actu secundo. Quum generatim, quae de substantia et eius accidente praedicantur, dicantur per analogiam (Log. n. 1205 sqq.), etiam nomen vitae primo de substantia dicitur, quae sit in ea natura, ut operationes vitales prodere possit; de his vero operationibus dicitur per analogiam ad significationem priorem.

9. Vita accidentalis sive in actu secundo non solum significat operationes in se consideratas, sed etiam varias vitalium operationum habitudines.

Ita vita refertur ad actuum frequentiam sive consuetudinem vel habitum, velut quum quis vitam contemplativam vel activam dicit [1]. Vel significat complexum actionum notabilium, quum quis scribit vitam Caesaris. Vel attenditur operationum indoles ethica, quum vita alicuius bona vel mala dicitur. Simili ratione aliae conditiones vel res, quae aliquo modo referuntur ad vitam, voce vitae indicari possunt; et sic dicitur vita iucunda, miserrima, rustica, tenuis.

110. Vitae definitio. Quum de definienda vita agitur, intelligitur vita in actu primo sive vita substantialis eaque accepta ut perfectio sive facultas, qua viventia a non-viventibus discernuntur. Hoc modo Plato dixerat vitam esse sitam in facultate movendi se ipsum [2]. Eadem fere est vitae definitio praescripta ab Aristotele eiusque discipulis [3].

S. Thomas definitionem, quam posuit Aristoteles, retinuit. „Duplex", inquit, „est actionis genus, una scilicet quae transit in aliquid exterius, inferens ei passionem, sicut *urere* et *secare;* alia vero actio est, quae non transit in rem exteriorem, sed manet in ipso agente, sicut *sentire, intelligere* et *velle.* Per huiusmodi

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 18, a. 2 ad 2.

[2] *Ὠι γὰρ ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν, αὐτὸ ἐξ ἑαυτοῦ ἔμψυχον* (Plato, Phaedr. p. 245).

[3] Arist. l. 8 physic. c. 7; l. 1 de animal. c. 2. S. Thomas l. c. 1, q. 18, a. 1.

enim actionem non immutatur aliquid extrinsecum, sed totum in ipso agente agitur." [1] „Vitae nomen sumitur ex quodam exterius apparenti circa rem, quod est: movere se ipsum . . .; est impositum hoc nomen ad significandam substantiam; cui convenit secundum suam naturam, movere se ipsam vel agere se quocunque modo ad operationem." [2] „Vivere secundum hoc aliquibus attributum est, quod visa sunt per se, non ab alio moveri. . . . Ulterius omne illud, quod agit se ad proprias operationes, quamvis non sit cum motu, dicitur vivere. Unde intelligere, appetere et sentire actiones vitales sunt." [3]

Multis vero Aristotelicis difficile esse videbatur illam Aristotelis sententiam ab omni cavillatione defendere. Quam ob rem eam multifariam explicare sunt conati.

Vivere definiunt, ut sit producere in se aliquid, quod ex sua natura non potest produci a principio extrinseco. Vel: Vita est motus ab intrinseco indebitus suo principio in instanti generationis. Vel: Vivere est posse semper operari immanenter etiam post acquisitum statum naturalem. Vel: Vita in actu primo est, per quam substantiae primo sunt aptae secundum suam naturam ad se movendum per actus, ad quos non determinantur omnino a generante, sed determinant se ipsas secundum opportunitatem obiecti, etiam quum sunt in statu maxime naturali et perfecto; vita in actu secundo est motus, quo substantiae secundum suam naturam movent se ipsas [4]. Vel: Vita est virtus operandi immanenter, quatenus actio viventis in ipsomet vivente recipitur. Vel: Vita est virtus acquirendi sibi perfectionem indebitam ex vi generationis. Vel: Vivere est exercere aliquam actionem immanentem, quae supponat aliud comprincipium quam essentiam et potentiam. Vel: Vivere est ultra simplices emanationes actiones ex conceptu immanentes efficere. Vel: Vivere est ultra ea, quibus ens in sua naturali dispositione constituitur, determinari ad habendam a se suam perfectionem. Vel: Vivere est efficere activitatem, quae ultra statum aequilibralem omni enti naturali debitum, et ultra conservationem status accepti, et ultra activitatem transeuntem tendit ad immutandum sive perficiendum ipsum agens.

Alii denique desperantes negant communem omnibus in natura viventibus conceptum vitae constitui posse.

Sunt nostro tempore multi, qui dicant vitam esse terminum fictitium ad tegendam nostram de causis mechanicis ignorantiam commode inventum, cui termino ex rerum partibus nihil respondeat [5].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 54, a. 2. [2] Ibid. q. 18, a. 2.

[3] S. Thomas, Summa c. gent. l. 1, c. 97.

[4] Ita Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 4, q. 22.

[5] Inter alios R. Virchow: „Das Wort ist beizubehalten als der Ausdruck für eine bestimmte Zusammenwirkung physikalischer und chemischer Kräfte" (Ges. Abhandlungen zur wissenschaftl. Medicin I [Frankfurt 1856], 25).

Alii dicunt vitam nihil aliud esse nisi motum [1]. Vel huic termino volunt respondere complexum omnium eventuum, qui in organismis accidant; esse igitur terminum collectivum [2].

Sunt quoque hac nostra aetate, qui, etsi rectissime quidem vitae diversitatem a viribus materiae distinguunt, desperant tamen conceptum vitae unquam effici posse [3].

Nos vero sententiae communiori Peripateticorum inhaerentes arbitramur, conceptum unum univocum ab omnibus vitae generibus, quae in natura reperiuntur, abstrahi posse, qui conceptus definitione comprehendatur, ut vita sit ea substantiae perfectio, qua ens se ipsum vel statum suum mutare sive movere possit ad ampliorem sui perfectionem, sive qua ens immanenter agere possit.

Itaque in hac sectione secunda nascuntur quaestiones duae. Quaerendum est 1° quae sit recta vitae definitio; 2° quid sit iudicandum de hylozoismi sententia, qua statuitur vitam a nobis definitam propriam esse rebus etiam anorganicis.

Quaeritur primo:

quae sit recta vitae definitio.

111. **Rationes dubitandi.** Videtur veterum Aristotelicorum definitio relinquenda. Nam (1.) tanta varietate vox vitae intelligitur, ut conceptus unus huic voci subesse non possit. Vita dicitur brevis, molesta, religiosa, graeca, bona, urbana, mortalis, tuta, substantialis; ea praedicatur de animali, de anima; homo e vita exire dicitur; pauper reperire sibi vitam dicitur; apud Virgilium „tenues sine corpore vitae“ commemorantur. Nullus ergo definitioni locus est.

(2.) Dices ex multis significationibus eam, quae definiatur, eligi perfectionem substantialem, qua viventia discriminentur a non-viventibus. At vero tanta est inter vitam vegetativam, sensitivam, intellectivam diversitas, ut definitione una ista tria comprehendi non possint, etsi per analogiam inter se possint comparari.

[1] Du Bois-Reymond: „Alle Veränderungen der Körperwelt kommen in unserer Vorstellung auf Bewegungen zurück; also können auch alle organischen Vorgänge nichts anderes sein als Bewegungen“ (Untersuchungen über die thierische Elektricität. Einleitung). Simili modo Guil. Preyer vitam putat motum esse qualemcunque. Theod. Fechner nomen vitae specialibus illis motibus reservandum esse censet, qui sint in organismis et sideribus; quapropter vitam cosmorganicam et molecularorganicam distinguere solet.

[2] Hoc fere modo Richeraud: „Vita est complexio phaenomenorum, quae inter se succedunt in corporibus organizatis intra certum temporis spatium.“ Et H. Lotze: „Die Anordnung der Umstände ist allein das, worin die Macht des Lebens beruht“ (Mikrokosmos I, 56).

[3] Inter hos Lionel Beale in libro: Protoplasm, or Matter and Life (3rd ed. London 1874) p. 261.

(3.) Definitio, quam ponunt Aristotelici, videtur esse arctior. Nam recte docent metaphysici etiam Deum vivere. At quis Deum credet habere facultatem se movendi?

(4.) Sunt praeterea multa viventia, quae vivunt, neque tamen vivendo se movent, velut *homo* qui aliquid intelligit.

(5.) Qui videt *arborem* et appetit *pomum*, elicit actiones vitales. Sed termini harum actionum exsistunt extra videntem et appetentem. Consimiliter *plantae* vivunt, quum producant semina vel fructus. Sunt ergo multa, quae vivunt, neque tamen vivendo agunt immanenter.

(6.) Plurima praeterea reperies, quae vivunt, neque tamen vivendo se perficiunt, velut *bestia*, quae cibo venenato vescitur, vel *fur*, vel *homicida*.

(7.) Ex parte adversaria definitio ab Aristotelicis posita latior esse videtur. Multa enim sunt, quae se ipsa perficiunt per actionem immanentem, neque tamen vivunt. Ita *ignis* urendo se nutrit, auget. *Magnes* attrahendo ferrum maius ac maius auget virtutem suam. *Acus magnetica* se ipsam movet ad polum.

(8.) Substantia uniuscuiusque rei naturalis se ipsam perficit, quum in ortu suo suis se exornet potentiis, non quidem per aliquam transmutationem, sed per naturalem resultantiam. Nam substantia „est causa proprii accidentis et finalis et quodammodo activa, et etiam materialis, in quantum est susceptivum accidentis.“ [1] Unde omnis res naturalis recte dicitur esse causa potentiarum sicut principium activum. At quis dicet unamquamque rem naturalem ideo vivere?

(9.) Et omnis universe actio ex conceptu suo est immanens; est enim „actualitas virtutis“ sive potentiae [2]. Sed omnis actualitas manet in potentia quam perficit.

(10.) Conveniunt omnes, viventia eo differre a non-viventibus, quod illa sunt organizata, haec non. Ab organizatione ergo definitio vitae petenda est.

112. **Thesis: Vita in facultate sita est, qua ens capax est, ut per sui ipsius motum tendat in ulteriorem sui ipsius perfectionem, sive ut agat immanenter.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Vita, quam definimus, est vita substantialis sive vita in actu primo, qua viventia corporea a rebus anorganicis primo et essentialiter distingui affirmamus.

Praenota 2°. Facultas hoc loco non intelligitur aliqua potentia ab essentia sive realiter sive virtualiter distincta, sed est ipsa essendi perfectio, qua ens vivum ad eliciendas operationes vitales est quodammodo natum et idoneum. Ipsa igitur operationum actualitas in essentia sita non est.

Praenota 3°. Ens sive subiectum agens intelligitur id, quod in ea dispositione naturali, quae omnium corporum naturalium communis est, iam est constitutum.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 6 ad 2. [2] Ibid. q. 54, a. 1.

Omne enim ens naturale ex se appetit, ut sibi per cohaesionem et expansionem certum typum quantitatis constituat, conservet, recuperet, velut quum res elasticae supra modum extensae vel compressae typum suum naturalem restituere conantur. Appetit quoque omne ens naturale, ut propter vim inertiae sese conservet in statu quietis vel motus, quem acceptum habet. Haec naturalia sunt, neque ad vitam spectant.

Praenota 4°. Motus sui ipsius, si accipiatur strictissime, motus localis intelligitur, quo ens vivum se ipsum vel membra sua ex loco ad locum transferre valet [1]. Paulo latius accepta vox est actio quaelibet, qua ens se ipsum realiter mutat sive transfert ex uno statu reali in alium. Latissime vero patet vox, quum etiam indicat actionem, qua ens agat erga se, quamvis ea actio ab omni mutatione reali entis sit vacua (Phil. nat. n. 386). Hac ratione Deum movere se ipsum dixit Plato.

Hoc loco motus sensu medio accipitur. Movet ens se ipsum, quatenus determinatur a se ipso [2] ex sui ipsius sive propriae perfectionis appetitione naturali.

Ens igitur quod vivit, operatur erga se et sibi aliquid acquirere nititur, ita ut id, quod habet, debeat sibi et non alii. Id vero, quod ens sibi acquirere nititur, est terminus operatione vitali productus, qui terminus in ipso operante recipitur. Hoc modo id, quod vivit, se ipsum transfert ex uno statu in alium.

Praenota 5°. Perficit ens se ipsum, quatenus habet aliquam perfectionem a se et non ab alio acceptam. Ens quod vivit, vivendo sibi aliquam perfectionem entitativam acquirit; non communem illam, quae in omni actione vel reactione contineri potest, sed specialem, quae eo evenit, quod ens virtute sua erga se agere pergat ad acquirendum aliquod ulterius.

Ulterior dicitur perfectio, non quia est ultra statum praesentem, sed quia est ultra statum aequilibralem naturalem. „Haec est differentia“, ut est apud Sylv. Maurum, „inter corpora animata et inanima, quod corpora inanima tum solum (intrinsecus) moventur, quum non sunt in dispositione naturali et debita; quum autem pervenerint ad debitam dispositionem, cessant a motu; e converso corpora animata etiam posita in naturali et debita dispositione se movent motu irrequieto.“ [3]

---

[1] S. Thomas, quum vitam describit secundum apparentem diversitatem, qua discriminantur viventia a non viventibus, contentus est, ut dicat vitam esse motum sui ipsius. Quum vero essentiam vitae accuratius indicat, addit motum accipiendum esse largo modo pro „quacunque operatione per se et in se“ (Quaest. disp. q. 10, de pot. a. 1. Cfr. Sylv. Maur., Quaest. phil. l. 4, q. 22).

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 18, a. 2 ad 2 et a. 3.

[3] Quaest. philos. l. 3, q. 7.

Praenota 6°. Viventibus attribuimus actionem immanentem. Quae actio idem est atque motus sui ipsius vel ulterior sui ipsius perfectio, quas res modo descripsimus.

Actio, sive alicuius virtutis actuatio, in rebus naturalibus ubique ita invenitur, ut sit ultimus actus alicuius potentiae operativae, quo interveniente aliquid efficitur (Log. n. 1558. Phil. nat. n. 315). Actio considerari potest et principiative et terminative. Si consideratur principiative, omnis actio est agenti immanens. Si vero consideratur terminative, aut terminus actione productus est in alio, et actio vocatur transiens; aut terminus recipitur in ipso agente, et actionem vocant immanentem. Est igitur actio immanens specialis quaedam entis in se ipsum reditio.

Definiunt actionem transeuntem: actionem, in cuius natura non est necessitas, ut effectus sive terminus activitate agentis productus maneat in subiecto agente, qui igitur effectus in rem aliam transit.

Definiunt actionem immanentem: actionem, in cuius natura est necessitas, ut actio tota et integra simul cum suo termino maneat in subiecto agente. Actio igitur, quae principiative tantum manet in agente, non est immanens. Neque actio, cuius effectus non ex naturae necessitate, sed per accidens tantum redit in subiectum agens, putari potest esse immanens.

Praenota 7°. Etsi hae tres dicendi formulae (se movere, se perficere, agere immanenter) re idem significant, habent tamen diversum exprimendi modum. In vita cognoscitiva magis apparet actionis immanentia; in vita externa animalium motus spontaneitas; in vita vegetativa nisus ad perfectionem propriam.

113. **Argumenta.** *Arg. I* (ex signo vitae manifestissimo). Ut facilius et certius essentiam vitae perspiciamus, attendendum nobis est ad ea, in quibus vita est apertissima; et videndum, quae sit perfectio, quae quum primo adest constituit ens istud vivum, et quae quum desinit vitae finem indicat. Atqui in animalibus, in quibus vita maxime manifesta est, perfectio, de qua dictum est, in eo reperitur, ut se ex se movere possint, hinc actione immanente gaudeant et ulteriorem sibi quaerant perfectionem. Ergo vitam in hac facultate esse sitam putandum est[1].

Reliqua vero, quae in rebus viventibus viva dicuntur, id sibi habent, quatenus ad facultatem istam referuntur.

Per metaphoram solent homines eas res vivas dicere, quae cum motu spontaneo vel actione immanenti aliquam similitudinem habent. Aquae fluentes vivae sunt, stagnantes mortuae. Lucerna ardens viva est.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 18, a. 1; Summa c. gent. l. 1, c. 27.

Arg. II (ex communi omnium viventium elemento). Vita in eo consistit, quod omnibus viventibus qua viventibus commune est. Atqui posse se movere actione immanenti propter propriam perfectionem acquirendam convenit vegetantibus, sentientibus, intelligentibus, quatenus ea vivunt. Ergo de conceptu vitae recte in thesi praeceptum est.

Prob. min. per inductionem. a) Quae vivunt per vitam vegetativam, vitam actualem habent, quia ex natura sua alimentis utuntur, quae convertuntur per intussusceptionem in viventium substantiam ad nutriendum, augendum, praeparanda in ipso vivente semina, quibus ipsum vivens secundum speciem suam multiplicari possit. Atqui id idem est atque dicere haec entia movere se actione immanenti propter propriam perfectionem acquirendam. Nam vitalis activitas, quam quidem antecedunt, comitantur, sequuntur variae actiones transeuntes, ipsa in se fit propter ulteriorem ipsius viventis perfectionem, ad quam quaerendam ens vivens natura sua determinatum est.

b) Quae vivunt per vitam sensitivam, vitam actualem habent, quia ex natura sua res vel eventus sensibiles cognoscunt; in ea, quae aliquo modo cognoverint, per appetitum feruntur; quia deinde secundum has cognitiones et appetitiones motus suos determinare possunt. Atqui id idem est, atque se movere actione immanente ad ulteriorem sui perfectionem. Nam termini actionibus sensitivis producti, qui in cognitione sunt „species expressae“ (Log. n. 90), in appetitu est quod vocatur „pondus“ versus rem appetitam, in motu est impulsus sive motio systematis nervei et ad hanc consequens motio musculorum: illi, inquam, termini omnes recipiuntur in ipso agente tanquam subiecto ad ulteriorem eius perfectionem. Et actio vitalis, quae latet in motu spontaneo, ut ad effectum externum perduci possit, iuvari etiam debet actionibus transeuntibus, quae eam comitantur, in quarum numero praecipua est membrorum in res externas varia impressio.

c) Quae vivunt per vitam intellectivam, vitam actualem habent praecipue, quia ex natura sua intellectu obiecta cognoscunt et voluntate ea, quae cognoverint, appetunt. Atqui id iterum idem est, atque dicere haec entia se movere actione immanenti ad ulteriorem sui perfectionem. Nam intellectio tota et volitio tota manet ut perfectio in ipsa facultate intelligendi et facultate appetendi.

114. Respondenda. *(Ad 1.)* Admodum variam esse notionem vitae in concessis est (n. 149). Unde ex permultis istis notionibus eligenda est, quae definiatur. Nos unam elegimus, quae quum maxime in usu sit posita, tum maximum momentum habet.

(Ad 2 in argumentis responsum est satis.)

(Ad 3.) In thesi, quam defendendam posuimus, de vita dicimus physica, i. e. de vita, quae in quibusdam corporibus naturalibus invenitur. De vita metaphysica non agitur.

Qui de vita Dei quaestionem movet, is imprimis recogitet, in definitione, quam de rebus in natura viventibus instituimus, exprimi, ut aiunt, actum perfecti et actum imperfecti. Et recte id quidem. Nam id quod vivit in natura, se movet non solum ita ut agat, sed etiam ita ut intrinsecus mutetur. Quia

agit, vita eius est actus perfecti; quia vero mutatur intrinsecus, est actus imperfecti. Itaque motus vitalis viventis corporei est actus perfecti sive moventis, quia ab ipso est, et non ab alio: est actus imperfecti sive mobilis, quia in se habet mutationem vel ulteriorem perfectionem viventis. Vita igitur quam definivimus, non perfectionem simplicem, sed mixtam significat; in quo genere vocabula multa sunt, velut *scientia*, qua significatur actus perfecti: cognitio; et actus imperfecti: cognitio acquisita per discursum.

Atque his dictis perspicuum est definitionem vitae a nobis exhibitam posse ad Deum transferri **secundum rem quam significat**, i. e. quam definiens significare vult; qui enim vitam definire vult, vult perfectionem sive actum perfecti significare; qui de Deo praedicari potest eo modo, quo praedicantur perfectiones simplices aliae, velut *ens*, *substantia*, *intelligens*, *sanctus*. Non autem ad Deum transferri potest **secundum modum significandi**; eo enim modo in illa definitione exhibetur perfectio, ut simul exprimatur imperfectio [1].

Vita enim Dei nihil est, nisi purus actus perfecti. Deus est vita eaque prima et substantialis, quia est natura producens operationem vitalem, intellectionem et volitionem. Est vita per essentiam, quia vi solius suae essentiae independentis (i. e. sine ullo concursu ullius principii et sine ulla accidentaria operatione) habet totam vitalem actualitatem. Unde in Deo non potest proprie distingui inter vitam primam et secundam. Vita igitur divina definienda erit: ea perfectio, secundum quam Deus non est motus ab alio, sed a se ipso, sive perfectus a se ipso, vel habet per suam essentiam actum immanentem. In hoc conceptu, quo nil aliud continetur nisi operatio immanens, i. e. actio manens in principio a quo est, conveniunt Deus et creatura. Quia vero creatura eam habet cum interna mutatione essentialiter coniunctam, id quod a Deo omnino alienum est, manifestum est, conceptum vitae competere Deo et creaturae modo essentialiter diverso.

(Ad 4.) Motum sui ipsius multiplici ratione intelligi posse diximus. Latissime patet notio, quum „movere se“ significat: „Non moveri ab alio“ vel „per se et in se operari.“ [2] Paulo pressius accipitur vox, quum istud „per se et in se operari“ cum reali agentis mutatione utcunque coniunctum est [3]. Et magis etiam restringitur vox, quum mutatio ista in se successionem habet. Quod si haec successio apparet in loco vel spatio, habes sensum vocis strictissimum. Certum est eodem modo, quo ens movet se ipsum, esse etiam actionem immanentem plus minusve perfectam. „Illa“, ut est apud Aquinatem, „proprie sunt viventia, quae se ipsa secundum aliquam speciem motus movent; sive accipiatur motus proprie, sicut dicitur actus imperfecti, i. e. exsistentis in potentia, sive motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti, prout viventia dicuntur quaecunque se agunt ad motum vel operationem aliquam.“ [4]

---

[1] Cfr. Suar., Disp. metaph. disp. 13, sect. 14; l. 1 de an. c. 4, n. 21.

[2] S. Thom., Quaest. disp. q. 10, de pot. a. 1.

[3] „Propria ratio vitae est ex hoc, quod aliquid est natum movere se ipsum, large accipiendo motum, prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur. Ea enim sine vita esse dicimus, quae ab exteriori tantum principio moveri possunt“ (id. In l. 2 de anima lect. 1).

[4] S. theol. 1, q. 18, a. 1.

(Ad 5.) Actionis immanentis terminum duplicem distinguere oportet: terminum, in quo realiter terminatur actio; et terminum, ad quem terminatur intentionaliter tantum, i. e. ad quem actiones ordinis cognoscitivi referuntur. Prior ex natura sua internus est, et actioni nomen dat immanenti; alter non est ex natura sua internus, sed etiam externus esse potest. Potest enim homo cognoscere et appetere non solum se ipsum, sed etiam *cerasos* videre et *cerasa* appetere.

In vita vegetativa novae partes substantiales, quae per intussusceptionem in unitatem organismi assumuntur, sunt terminus, in quo realiter terminatur actio vitalis. Etiam semina vel fructus producuntur in ipsa planta; et quamvis ista non referantur ad perfectionem plantae, ut est hoc individuum, referuntur tamen ad perfectionem plantae consideratae in specie. Ad praeparationem sive efficientiam completam seminis in ipso vivente (quae refertur ad virtualem multiplicationem ipsius individui, et hinc est actio vitalis) sequitur actio altera, qua planta semine fecundata novum individuum producit. Haec actio, quatenus effectum producit, qui est extra individuum, est transiens secundum quid. Est tamen immanens simpliciter, quia in effectu producit speciem, quae est etiam in generante.

(Ad 6.) Fieri potest, ut actione aliqua, quae ex natura sua perficiat subiectum agens, grave huic afferatur nocumentum. Num hoc damno indoles ipsius actionis mutabitur? Certum est omni actione, qua ens in se et per se operatur, effici per se agenti perfectionem aliquam; quamvis per accidens damnum sequatur.

(Ad 7.) Ut motus aliquis sive actio vita sit, non est satis, ut ad debitam rei dispositionem tendat et ad quoddam quasi aequilibrium vel ad suam conditionem per inertiam conservandam, vel ad propriam indolem per actiones transeuntes ad extra cum aliis rebus communicandam. Sed motus activus requiritur, qui ad ulteriorem ipsius entis perfectionem tendat. Illud enim vivere diximus, quod post acceptam ad agendum excitationem ex se determinatur, ut ultra ea, quibus in sua naturali (i. e. chemica physicaque) dispositione constituitur, a se habeat suam perfectionem.

(Ad 8.) Potentiarum emanatio sive resultantia ad rem tendit constituendam in conditione sua naturali: „Resultantia naturalis", ut est apud Suaresium, „est omnino intrinseca, et quodammodo pertinet ad consummatam rei productionem, quia solum tendit ad constituendam rem in connaturali suo statu per se sibi debito vi generationis." [1] Qua in re sane cernitur aliqua similitudo immanentiae. At vero non est id, quod actionem immanentem vocant. Ad hanc enim requiritur, ut sit ab agente iam perfecte in suo Esse constituto et absoluto.

(Ad 9.) Retinendum est, quod diximus: in actione, si accipiatur tota, duo elementa sive formalitates distingui posse. Prius est ratio illa interna, qua potentia actu operatur, quae vocatur activitas, et ex natura sua semper in potentia manere debet. Alterum est id, quod ab activitate potentiae operantis procedit, ab eaque dependet; quod quidem manet in agente, si actio est immanens; quod transit in rem aliam, si actio est transiens [2].

---

[1] Disput. metaph. disp. 18, sect. 3.

[2] Extensius hac de re Ioannes a S. Thoma, Curs. philos., Physica q. 14, a. 4.

Ut actio sit immanens, requiritur 1° ut eius subiectum sit substantia per se una; 2° ut actio ex natura sua ad perfectionem ipsius agentis ulteriorem, i. e. ultra entis constitutionem et activitatem, ut activitas est, tendat.

Et ratio „actionis" perfectius inest in actione immanente quam in transeunte. Est enim actio immanens multo magis et penitius ipsius agentis activitas. Et quo perfectior est actio immanens, eo magis ipsum agens se ad agendum determinat, vel, ut verba Aquinatis adhibeamur, eo magis ipsum agens se agit ad operationem.

(Ad 10.) Nos id quaerimus, quo primo viventia distinguantur a non-viventibus. Ad permultorum viventium naturam sane pertinet organizatio; atque haec organizatione differunt a non-viventibus; neque tamen differunt primo et essentialiter.

115. Solvuntur quae restant dubia. *Dicunt 1°:* Quidquid movetur, ab alio movetur. Nihil ergo in natura est, quod moveat se ipsum. — *Resp.:* Nihil in rerum natura se ipsum movere potest sub eodem respectu; sub respectu tamen diverso se movere potest (Phil. nat. n. 318). Unde fieri non potest, ut ulla actio rei naturalis sit tota sub omni respectu ab ipso agente effecta; sed semper requiritur aliquod potentiae complementum, quo potentia ad agendum excitetur (Phil. nat. n. 368). Tum solum res viva actionem vitalem elicere potest, quum (praeter essentiam et potentiam habitibus fortasse instructam) in promptu est aliud comprincipium, a quo ad operandum vitaliter iuvetur. Hoc modo vegetationi praesto esse debet apta materia, qua praesente per commercium quoddam naturale activitas vitalis excitetur. In sensatione supponitur obiectum sensibile, in intellectione obiectum intelligibile. Appetitio sensitiva sequitur affectionem vel rem sensu perceptam. Ex quo factum est, ut actio immanens generatim a nonnullis definita sit: actio, quae elicitur a potentia alio comprincipio coadiuta. Verum nobis videtur hac ratione proprietas potius quam essentia actionis immanentis efferri.

Dicunt 2°: Motus, quo quis movet *baculum*, est actio transiens et tamen vitalis. — *Resp.:* Haud raro actio immanens habet quoque effectum transeuntem praeter immanentem. Ita motio manus, quae est actio immanens, producit motum baculi, quae est actio transiens. Vel potius dicemus esse actiones duas, quarum prior est immanens, cuius effectus fit principium alterius actionis, quae est transiens [1]. Minime tamen pugnantia dicit, qui unam actionem posse habere putat effectus duos, immanentem unum, alterum transeuntem.

Inst.: Motus, quo cerebrum movet nervum motorium qui est in brachio, est revera actio transiens; et tamen vitalis est. — *Resp.:* Actio immanens duplex esse potest; est perfecta, quum terminus productus manet in potentia producente, velut Intelligere, Velle; est vero imperfecta, quum non manet in ea potentia, manet tamen in subiecto; prior ad operationem vitalem non est necessarius, posterior satis esse potest. Motum spontaneum quod attinet, est in animali unum motorium, cuius pars principalis (centralis) est cerebrum, partes secundariae (instrumenta interna) sunt nervi motorii.

Dicunt 3°: Quidquid in vita vegetativa efficitur, est effectus virium chemicarum, physicarum, mechanicarum. Ergo tota vita vegetativa tandem

---

[1] Cfr. Suar., Disp. metaph. disp. 48, sect. 4, n. 14.

est compositio actionum transeuntium. — *Resp.:* Ea, quae in vita vegetativa contingunt, partim actiones naturales (i. e. non-vitales) sunt, quae tantum vitales secundum quid vocari possunt, quatenus perfectioni entis vivi subserviunt extrinsecus (velut quum quis sorbet aquam, haurit aëra, mandit cibum dentibus; huc quoque spectat ciborum in stomacho concoctio, humorum ascensus, circulatio sanguinis per venas et arterias, capillorum, unguium emissio, sescenta alia). Partim sunt operationes vitales, quae intrinsecus tendunt ex se ad perfectionem subiecti in quo sunt. Hae operationes considerari possunt duplici modo. Primo adaequate vel secundum effectum primarium, quem habent, ad perfectionem totius; et hoc modo sunt immanentes. Secundo inadaequate sive avocando mentem ab effectu primario et attendendo tantum effectus secundarios et proximos; et hoc modo nominari possunt transeuntes. Transeunt enim ex una viventis parte in aliam secundum leges chemicas, physicas, mechanicas. Propter unam tendentiam finalem, quae omnibus partibus viventibus inest, id fit, ut sine interruptione turbetur aequilibrium chemicum, physicum, mechanicum, atque ita vires chemicae, physicae, mechanicae subserviant intrinsecus perfectioni totius viventis.

Generatim igitur haec est inter viventia et non-viventia differentia, quod in viventibus activitas est primario ad movendum sive perficiendum ipsum agens, quamquam secundario etiam actiones transeuntes sunt; quod contra in non-viventibus actio est primario ad movendum sive mutandum aliud, quamquam secundario sive per accidens ea actione movetur sive mutatur.

Dicunt 4°: Eliminanda videtur ex vitae definitione immanentia actionis, ita ut soli „motui sui ipsius" locus sit. Nam opus non est, ut significetur in definitione aliqua rei definitae proprietas, si significata essentia ad definiendum rem satis est (Log. n. 259, Schol. 3). Sed immanentia, quum nihil exprimat nisi relationem actus ad subiectum in quo reperitur, est potius actionis vitalis proprietas quam nota essentialis. Quum enim in actione vitali duo distinguantur: eius origo, quae in eo sita est, ut ens moveat se ipsum, i. e. se ipsum ad agendum determinet, et eius terminatio in ipso agente, quae est actionis immanentia: in origine iam tota natura actionis vitalis manifestatur ita, ut immanentia sit tantum relatio vel modus sequens ex natura actus vitalis [1]. — *Resp.:* Non vituperandi sunt, qui immanentiam traxerunt ad ipsam actionis vitalis definitionem. Nam vox immanentiae ipsam naturam actionis vitalis alio modo exprimit. Actio indolem trahit suam ex appetitu vel tendentia, unde intrinsecus procedit; quae tendentia si sistit in eo, ut agens agat in aliud, actio est transiens, si vero intrinsecus in id directa est, ut ens agat in se sive erga se vel ad se ipsum perficiendum ulterius, actio est immanens. Vox autem immanentiae, quae est in definitione, non significat relationem actus ad subiectum, cui inest, sed primam illam et originariam indolem, qua imbutus actus vitalis nascitur.

116. Scholion. Si quis efficere velit definitionem vitae metaphysicae, is ex definitione quam dedimus eicere debet eam imperfectionem, quae cum vita physica coniuncta est, quae imperfectio in reali mutatione cernitur. Quum enim ens aliquod

[1] Cfr. Zigliara, Psychol. l. 1, art. 1.

naturale vivere dicimus, duo comprehendimus, primo in ente illo esse perfectionem propter operationem, quam ens per se et in se habeat, secundo eus illud antea non habuisse eam perfectionem, sed hanc ab ente ut novum quid productam esse. Illud perfectionem exprimit, hoc non. Vita igitur metaphysica, quae etiam Deo attribuenda est, definiri potest: ea perfectio, ex qua ens non est motum ab alio, sed a se ipso, sive perfectum a se ipso, sive habet per se et in se actionem suam (cfr. n. 114 ad 3).

117. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Falsae sunt vitae definitiones a materialistis exhibitae. Hi quum negent vitam esse, quam tamen esse per experientiam constat (n. 117 sqq.), id quod nominetur vita dicunt esse certam quandam connexionem processuum mechanicorum vel chemicorum.

Coroll. 2. Reicienda est definitio proposita a G. E. Stahl[1], qua vita dicitur esse formaliter nihil aliud quam „conservatio corporis in sua mixtione corruptibili sine omni corruptionis istius modi actuali eventu".

Conqueritur Stahl veram et formalem rationem vitae corporis usque ad suam ipsius aetatem non satis notam fuisse. Hanc sibi videtur detexisse in eo, quod summa corporis et praecipue sanguinis corruptibilitas ab actuali corruptione arceatur. Et conservatur quidem corpus corruptibile contra corruptionem eo, quod anima agit in corpus, praecipue in circulationem humorum, in restaurationem partium corpori utilium, in secretionem partium corruptarum et inutilium. Corpus non aliam ob causam vivum est, nisi quia hanc animae actionem patitur.

Sed haec vitae conceptio ob multas rationes vituperanda est. Intelligit Stahl „vitam corporis" solam vegetativam, omittit cognoscitivam. Deinde non potest ipsum corpus vivum esse eo, quod actionem animae in se suscipit. Sed ipsum corpus vitaliter agit, postquam ipsum ab informante anima vitam in se recepit. Praeterea putari non potest vita corporis formaliter consistere in defendendo corpore corruptibili ab actuali corruptione. Nam ex se non repugnat, ne corpus adhibitis mediis physicis vel chemicis a corruptione conservetur, neque tamen vivat.

Coroll. 3. Reicienda est definitio concepta a Bichat, celebri nostrae aetatis physiologo, qui vitam definit, ut sit complexus functionum, quae morti resistunt[2].

---

[1] Georgius Ernestus Stahl, medicus Berolinensis, librum scripsit, cui titulus: Theoria medica vera. Hallae 1708.

[2] „On cherche dans les considérations abstractes la définition de la vie: on la trouvera, je crois, dans cet aperçu général: La vie est l'ensemble des fonctions qui résistent à la mort" (Recherches physiologiques sur la vie et la mort 1e part art. 1).

Hac enim definitione sola vita vegetativa comprehenditur. Quae definitur per mortem. Positiva igitur perfectio definitur eiusdem privatione proposita; ac si quis diceret: vita est complexus functionum, quae resistunt privationi vitae.

Coroll. 4. A definitionibus, quas reiecimus, vix differt ea, quam proposuit Cuvier: „Vita est facultas externa elementa assimilandi organismo perduranti[1]; vel paulo explicatius dicitur esse facultas, quam habent quaedam combinationes corporeae permanendi determinato tempore et forma, attrahendo sine interruptione in compositionem suam partes substantiarum circumstantium, et reddendo elementis externis aliquas propriae suae substantiae partes."

Ille tantum, si credimus Cuvier, sibi rectum de vita conceptum efficere potest, qui considerat vitam in forma simplicissima, i. e. in vegetatione. Et iam dilucide perspiciemus vitam esse facultatem, qua gaudent certae combinationes corporeae, ut determinato tempore sub certa forma perdurent, attrahendo in compositionem suam sine interruptione particulas substantiae circumstantis, et reddendo contra elementis externis aliquas partes propriae suae substantiae[2].

Sed errat Cuvier. Si quis enim naturam alicuius rei explorare velit, non a forma simplicissima, i. e. ab imperfectissima, incipere debet, sed potius ad ea animum advertere, in quibus res illa inest secundum normam suae naturae perfectior. Deinde haeret definitio in corporibus vegetalibus, quorum tantum describuntur aliqua phaenomena.

Coroll. 5. Sunt praeterea sescentae aliae apud recentiores definitiones vitae, quas enumerare longum est, quarum falsitas ex iis quae diximus manifesta est. Dicunt vitam esse id, quo organismus se ipsum conservet[3], vel esse activitatem, qua ens ex se ipso operationes suas producat, similia.

Coroll. 6. Admirabilis est inter res viventes et non-viventes analogia, qua omnia corpora naturalia in quandam unitatem coniunguntur. Sicut entia, quae cognitione fruuntur, habent appetitum cognoscitivum, ita entia, quae cognitione carent, habent appetitum naturalem. Sicut in vegetatione est triplex quasi activitas, prima augmentatio usque ad certum evolutionis finem, deinde nutritio et demum propagatio: ita in re anorganica prima est rei ipsius secundum certum typum quantitativum constitutio,

---

[1] Le règne animal, Introduction p. 13.

[2] Consimiliter dicit Schopenhauer: „Leben ist Zustand eines Körpers, darin er unter dem beständigen Wechsel der Materie seine ihm wesentliche Form allzeit behält" (Parerga u. Paralip. II [ed. prima], 172).

[3] „Leben ist die Erhaltung des Organismus durch sich selbst" (J. H. Fichte, Anthropol. p. 163).

(cuius nobilem speciem habemus in crystallizatione); deinde status accepti per inertiam continuatio et demum similitudinis propriae per actiones transeuntes propagatio.

Liceat poëtis, qui metaphoris gaudent, dicere omnes res naturales vita praeditas esse. Reapse enim ipsa rei anorganicae constitutio et status accepti per inertiam continuatio aliquam vitae similitudinem prae se ferunt. Neque tamen vere dicunt. Illam tantum rem vivere diximus, quae, postquam in suo statu aequilibrali est constituta, ex se est determinata ad quaerendam sibi ulteriorem perfectionem, ita ut perficiatur ultra ea, quibus a causa sua generante in sua naturali dispositione constituebatur. Illa conditionum naturalium productio, quae est in anorganicis, non est ipsius entis actio in suo Esse perfecte constituti, sed fit ad modum emanationis sive resultantiae. Consimiliter mira illa status accepti per inertiam conservatio non tam ipsius entis activitas est, quam activitatis alienae in eius effectu conservatio.

Quaeritur secundo:

num omnia vivant.

118. **Rationes dubitandi.** Videntur omnia in hac rerum universitate reapse vivere. Nam (1.) ut est apud Zenonem Stoicum, quod ratione utitur, melius est quam id, quod ratione non utitur; nihil autem mundo melius; ratione igitur mundus utitur.

(2.) Ubi ordo rationis est, ibi ratio ipsa abesse non potest. Sed ordinem rationis in operibus naturalibus inveniri vel caecutienti oculo manifestum est.

(3.) Quicunque hunc mundum cum circumspectione aliqua consideraverit, is facili negotio videbit universum mundum esse unum organismum. Nam ex omnibus creaturis constituitur totum universum sicut totum ex partibus. Et in hoc toto partes singulae sunt quidem proxime propter actus suos, sicut *oculus* in toto organismo est ad videndum. At deinde videmus partes ignobiliores esse propter nobiliores, sicut in organismo *sensus* propter intellectum, et *pulmones* propter cor. Tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius, partes sunt enim quasi materia totius [1]. Ex quo concludi potest reperiri in mundo perfectam organismi unitatem [2].

(4.) Quod si negatur mundum organismum esse, hunc mundum pulcherrimum machinam oportet dicere. At quis id ferre poterit?

(5.) Multi acutioris ingenii philosophi videntur sibi percipere in universo mundo nisum unum ad adipiscendam perfectam sui conscientiam, qua ipse mundus ad perfectionem suam summam evehatur. Qui nisus per eventus mechanicos, chemicos, organicos sine interruptione procedit, ita ut sit transitus a

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 65, a. 2.

[2] Dicit Lotze: „Nicht nur thatsächlich passen die Naturen der Dinge so zusammen, dass sie einander zu Gründen und Folgen ergänzen können; sondern diese Thatsache ihrer Correspondenz muss aus einer beständigen substantiellen Einheit aller begriffen werden. Diese Correspondenz ... beruht darauf, dass alles Seiende nur ein unendliches Wesen ist“ (Mikrokosmus III, 488).

mechanismo summo ad infimum chemismum, et a chemismo perfectissimo ad infimum organismum vegetalem, et ex organismo vegetali supremo ad animalia infima, atque ita deinceps, usque dum perveniatur ad perfectam conscientiam in homine. Id qui dubitat, diligenter perpendat conceptum ipsius Esse, conceptum actionis, conceptum substantiae, et videbit in his tribus conceptibus nisum ad conscientiam contineri. Ita fere philosophantur transcendentales, Antonius Günther, alii.

(6.) Vel praeclaris nominibus Schopenhauer et E. de Hartmann tracti dicemus res omnes una volitione constitui, vel si magis placet, quod dicit Guil. Wundt: volitionibus.

(7.) Si autem nomen volitionis horres, contineamur nomine appetitus. Est in unaquaque re appetitus naturalis ad adipiscendum statum enti congruentem, ad hunc statum conservandum, ad communicandum proprias perfectiones cum aliis. Atqui ubi appetitus, ibi est cognitio. Res ergo omnes naturales perceptionem habent (Phil. nat. n. 111).

(8.) Et praeclara illa phaenomena, quibus abundat hic mundus rerum anorganicarum, quomodo evenire possunt, nisi in unaquaque re insint vires perceptivae et insit appetitus, qui his viribus respondeat?

(9.) Opus naturae est opus intelligentiae, id quod clare apparet in operibus organicis. Nam homo arte sua et intelligentia nihil aliud efficere potest nisi imitari aliquo modo artificia organismo insita [1].

(10.) Quis explicare potest conscientiam perfectam, quae est in homine, sensum perfectum, qui est in animalibus, vegetationem perfectam, quae est in quovis organismo, quin admittat harum perfectionum initia occulta esse in atomis vel moleculis?

(11.) Permittamus vitam in rebus anorganicis non esse actualem; est tamen occulta et virtualis. Sicut in puerulo latet artifex virtualiter, qui se postea posita conditionum quae necessariae sunt circumstantia evolvet, ut sit artifex actualis, ita in elementis latet vita, quae positis certis quibusdam conditionibus ad actum perveniat perfectum in plantis, bestiis, hominibus.

---

[1] Hac de re librum scripsit Ernestus Kapp: Philosophie der Technik. „Kapp hat die Thatsache der Organprojection entdeckt, d. h. er hat nachgewiesen, dass der Mensch in verschiedenen technischen Producten Theile seines eigenen Körpers unbewusst in so merkwürdiger Weise nachformt, als wären diese sein Vorbild gewesen, so dass erst die mechanischen Copien uns das Verständniss für die correspondirenden organischen Formen und Functionen eröffnet haben. Man kann die Functionen des Herzens nicht besser vergleichen als mit denen einer Pumpe, das Ohr nicht besser als mit einem Klavier, die Lunge mit einer Orgel, das Auge mit einer camera obscura. . . . Die Organprojection beweist also, dass das organisirende Princip unseres Leibes ein denkendes ist; seine Producte gleichen denen unseres Denkens. Auf dem andern, dem ästhetischen, Gebiete hat Zeising [in libro: „Neue Lehre von den Proportionen des menschlichen Körpers"] die wichtige Entdeckung gemacht, dass unsere Kunstproducte in der Architektur und Malerei nach dem Formalprincip des goldenen Schnittes gebildet sind, nach welchem aber auch unser ganzer Organismus und dessen einzelne Theile geformt sind; das organisirende Princip in uns ist also ein denkendes" (Ita du Prel, Monistische Seelenlehre [Leipzig 1888] p. 88).

119. **Thesis:** **Nulla inest vita in rebus anorganicis; sive intelligitur harum rerum ordinata complexio, quam mundum vocant, sive intelliguntur hae res seorsum secundum elementa sua.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Res anorganicas eas intelligimus, quae vulgo hoc nomine vocari solent.

Praenota 2°. Dicimus ab his rebus omnem vitam alienam esse et cognoscitivam et vegetativam. Quid veniat nomine vitae cognoscitivae et vegetativae, recordandum est ex iis, quae antea (n. 76 sqq.) dicta sunt.

Praenota 3°. Haec thesis tribus partibus constituitur. In prima parte eos confutamus, qui universum mundum dicunt esse ens unum vita instructum. In altera parte ostendendum erit a singulis rebus huius mundi, si homines et animalia excipias, vitam cognoscitivam omnino alienam esse. In tertia parte declarabitur, ne vegetativam vitam quidem in istis rebus reperiri, si excipias animalia, plantas.

Praenota 4°. Qui sint adversarii huius thesis, ante (n. 105) indicatum est satis.

120. **Argumenta.** *Argumenta partis primae* (in qua negatur universum mundum esse unum ens praeditum vita cognoscitiva, vel saltem vegetativa). (Phil. nat. n. 259. 272.)

Arg. I (ex substantiali rerum pluralitate in hoc mundo). Certum est universum hunc mundum prope ad similitudinem organismi accedere. Simili enim ratione in mundo omnes partes ad unum ordinem constituendum quasi evolutas esse, et ad finem unum toti universo internum conspirare videmus, sicut id in organismo contingere solet.

Nihilo tamen minus ex cunctis rebus et eventibus apparet principium proximum huius ordinis, harmoniae, unitatis non esse ipsum mundum, sed esse per modum ideae vel archetypi in eo, a quo mundus suum Esse et suum ordinem accepit.

Si enim mundus esset organismus unus sive unum ens vivens, iam res singulae, quae nostrae experientiae subsunt, ex se essent entia partialia incompletaque simpliciter, neque essent totalia completaque nisi per praecisionem mentis nostrae; horum deinde actiones intrinsecus referrentur tanquam actiones partiales ad aliam intrinsecus unam actionem universaliorem constituendam neque essent actiones in se perfectae. Atqui ita non est in rerum natura. Nam experientia et observatione teste universus mundus

entibus completis refertus est, quorum unumquodque suam propriam et completam activitatem habet, quae ad universi perfectionem non referatur nisi extrinsecus. Id quum in unaquaque re appareat, tum maxime manifestum est in hominibus, animalibus, plantis propter actionum quae insunt immanentiam (Log. n. 642. Phil. nat. n. 272)[1].

Arg. II (ex comparatione mundi cum aperte viventibus et aperte non viventibus). Si obscurum est, utrum aliqua res aliquam proprietatem habeat necne, congruens est, ut ea res comparetur cum aliis, in quibus ea perfectio aperte inest, atque etiam cum aliis, quae ea perfectione omnino carent. Mundus ergo comparandus erit ex una parte cum uno organismo, qualem novimus in planta vel animali; et ex altera parte cum multitudine entium aptissime ad unum finem dispositorum. Id si cum aliqua circumspectione effecerimus, illico nobis apertum erit mundum similitudine non ad unum organismum, sed ad hanc multitudinem accedere. Quidquid enim contingit in mundo, ex sola activitate multorum entium, quae aptissime ad constituendum ordinem cosmicum disposita sint, secundum leges chemicas, physicas, mechanicas commode explicatur. Atque ea omnia a mundo absunt, ex quibus invicta argumenta ad probandam vitam in plantis petivimus; in quo genere sunt vis propagationis in indefinitum sufficiens, nisus medendi turbationibus ex ipsa re progrediens.

121. **Argumenta partis alterius** (in qua negatur singulis rebus anorganicis inesse sensum perceptionemve). (Phil. nat. n. 106.)

Arg. I (ex defectu omnis manifestationis psychicae in materia anorganica). Quum nihil sit frustra in rebus, in ordinaria et consueta agendi ratione tota virtus agentis manifestatur[2]. Ex quo consequitur rebus naturalibus non esse tribuendam virtutem, cuius indicia per experientiam non detegantur. Atqui nullum unquam indicium perceptionis vel sensus repertum est, quamvis usus et observatio fuerit maxime multiplex per longissima tempora. Haec ergo ipsis tribuenda non sunt.

Prob. min. Probe scimus, quibus ex indiciis vita intellectiva vel sensitiva alicuius entis colligatur.

---

[1] Cfr. Conimbric. l. 2 de coelo c. 1, q. 1, a. 3.

[2] „Quando aliquid particulare opus est alicuius agentis, tunc per illud particulare probatur tota virtus agentis“ (S. Thomas, S. theol. 3, q. 94, a. 4 ad 3). „Omnis enim res propter suam operationem esse videtur, operatio enim est ultima perfectio rei“ (Summa c. gent. l. 3, c. 113).

Hominem cognitione intellectiva et hinc voluntate esse praeditum inde aperitur, quod in suis appetitionibus ducitur obiectis immaterialibus, ut sunt *honestas, beatitudo, rerum scientia*, et agit modo immateriali et cum libero arbitrio; atque inde etiam quod cognitas habet rationes immateriales, ut sunt res abstractae et universales, relationes causalitatis et finalitatis, ex quo fit, ut substantias ipsas ex phaenomenis enucleatas percipiat. Videmus in actionibus hominum varietatem et diversitatem, qualis non esset, si a rationibus sensibilibus plane dependerent. Videmus homines continenti progressu et sub multiplici ratione industrias et artes mutare, perficere, eos ad exprimendas cogitationes internas signa arbitraria usurpare, sescenta alia, de quibus alio loco (n. 88) satis diximus. Harum vero rerum vestigium nullum in rebus anorganicis apparet. Id ipsum constat de iis signis, ex quibus alio loco (n. 77) demonstravimus bestiis inesse sensum, quae res a rebus anorganicis prorsus alienae sunt.

Forsitan quispiam *dixerit* hoc argumentum non habere nisi vim negativam petitam ex defectu manifestationis. — *Resp.:* Minime gentium. Sed vis concludendi est positiva inde petita, quod, si ipsa vita in rebus lateret, vitae manifestatio necessaria esset. Quis enim putet per universum mundum nobiles illas vires cognoscitivas dispersas esse ita, ut nullibi nisi in animalibus actus suos nanciscantur?

Obicies: Hodie aperta est electricitas, quam veteres fere ignorabant. Sperandum est igitur fore ut studiis in dies incredibiliter progredientibus saeculo futuro detegatur omnium rerum facultas cognoscitiva. — *Resp.:* Inde ab omni tempore electricitas in natura manifestavit effectus suos, quos tamen homines inscienter aliis causis naturalibus ascribebant. At nulli sunt effectus latentis vitae in rebus anorganicis, quos sive scienter sive inscienter aliis causis naturalibus ascribere possimus. Accedit, quod nihil unquam in externa rerum habitudine cognoscebatur per experientiam ab hominibus, unde fuerit evidens nullam in rebus esse electricitatem. At plurima sunt, ex quibus certo scimus rebus nullam cognitionem esse.

Neque minus argumentum ex defectu omnis organizationis trahitur in rebus pure naturalibus, quae ad sentiendum apta esse possit. Ubicunque enim in entibus huius mundi vitam cognoscitivam deprehendimus, videmus eam ex natura sua a sensibus pendentem esse, sive intrinsecus sive extrinsecus. Omnis vero sensus habet sua organa.

Obicies: In animalibus imperfectissimis nulla sunt ad cognoscendum destinata organa; et tamen est cognitio. Quid igitur defectus organizationis in causa esse possit, ne etiam materiae anorganicae cognitionem inesse putemus? — *Resp.:* Observantur in istis animalibus motus spontanei; ex quo illis etiam cognitionem sensitivam inesse recte concludimus, atque etiam eam organizationem, quae huic vita est necessaria, etsi organa nullo modo ipsa deprehendere possemus. At ne animalibus quidem istis omnem quae accurata observatione deprehendi possit organizationem deesse, docent qui illarum rerum studiosi sunt. Ita iam in protoplasmate est incredibilis multarum rerum dispositio; quo fit, ut ab istis bestiolis calor frigusve atque pressiones tactu percipi pos-

sint. In infusoriis, polypis, echinodermatis, arthropodis, molluscis sunt fila, pili vel cilia, radii, tentacula ad tangendum accommodata (n. 65). Sed in rebus, quas vulgo anorganicas vocant, nihil plane est, quod sensui ulla ratione inservire possit. Neque est ullum signum illorum motuum, qui, quia dirigente cognitione perficiuntur, spontanei vocari solent.

Instat: Sunt moneres, rhizopoda, amoebae, generatim protozoa, in quibus nihil inest nisi massa substantiae homogenea, quae „sarcoda" dicitur. — *Resp.:* Massa ista minime est homogenea, sed partibus constat inter se dissimilibus, ex quibus diversitas nascitur structurae, figurae, nutritionis, motionis, ex qua diversitate zoologi diversa genera et species istorum organismorum distinguere solent [1].

Arg. II (ex indiciis positivis absentiae vitae cognoscitivae). Phaenomena omnia, quae in rebus naturalibus (si animalia excipias) observantur, non solum non ostendunt eas res cognitione frui, sed etiam ostendunt eas cognitione non frui. Nam dilucide apparet, eas res omni ex parte determinari natura sua inanima secundum leges chemicas, physicas, mechanicas ita, ut motionibus ex cognitione aliqua quantumvis minima et occulta provenientibus nullus locus relinquatur. Leges enim illae usque ad momentum minimum exactae mathematica cum certitudine illis rebus applicari possunt.

122. Argumenta partis tertiae (in qua negatur ullam in rebus quas anorganicas vocant reperiri vitam vegetativam).

Arg. I (ex defectu omnis manifestationis vitalis in materia anorganica). Si praeter animalia et plantas in hac natura visibili esset agens, quod ex naturae instituto tenderet ad sui ipsius ulteriorem perfectionem, id hanc indolem in suo agendi modo manifestaret.

Atqui nullibi neque usquam apparuit quidquam in istis rebus, quod nomen actionis immanentis sustinere potuerit. Ergo vita omnis ab illis rebus abest (n. 102).

Accedit, ut admodum diversa sit dispositio rerum, de quibus quaeritur, et rerum aperte vegetantium. Metalla, lapides, aqua, aër, similia non habent a natura certam durationis periodum; non habent determinatam a natura magnitudinem, figuram, partium dispositionem, hinc, quod consequens est, neque determinatas partes, quibus cibi certo modo disponantur. Contra, quae vegetant, organis constant, quae distinctis virtutibus praedita sunt, quibus cibus disponatur, deinde ad diversas partes per certas vias

[1] Cfr. Claus, Grundzüge der Zoologie I (4. Aufl. Marburg 1880), 154.

et internas motiones trahatur, atque illis partibus communicetur, quibus est mirabili arte accommodatus, idque in rebus omnibus proportione servata ad perfectionem et typum totius[1].

Arg. II (ex indiciis positivis absentiae vitae vegetativae). Quidquid contingit in rebus anorganicis, non alii tendentiae internae subest nisi illi, qua res post acceptum aequilibrium chemico-physicum aut naturaliter quiescunt aut affectiones suas physicas vel chemicas cum aliis rebus in debita propinquitate positis communicare appetunt. Atque hoc modo tota rerum anorganicarum operatio ita exhauritur et explicatur, ut nullus operationi immanenti locus relinquatur.

123. **Respondenda.** *(Ad 1.)* „Zenonis vestigiis hoc modo rationem poteris concludere: Quod litteratum est, hoc est melius, quam quod non est litteratum; nihil autem mundo melius; litteratus igitur est mundus. Isto modo etiam disertus, et quidem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus.“[2] Itaque non est opus, ut universus mundus tanquam ens unum omnes eas perfectiones habeat, quae in quibusdam eius partibus insint. — At enim *quaeres*, unde nos vitam, intelligentiam arripuerimus, si nulla fuerit in mundo. — *Respondetur* apud Tullium: „Et ego quaero, unde orationem, unde numeros, unde cantus. Nisi vero loqui solem cum luna putamus, quum proprius accesserit, aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. Naturae ista sunt, non artificiose ambulantis, ut ait Zeno, sed omnia cientis et agitantis motibus et mutationibus suis.“[3] Itaque falso supponunt adversarii perfectiones omnes, quae inveniantur in hominibus, ex rebus inanimis, quibus mundus constat, ortas esse. Perspicuum est enim has perfectiones, unitate quippe et immanentia praeditas, ex viribus rerum anorganicarum repeti minime posse.

Porro obicies: Est tamen nihil mundo melius. Nam est mundus productus ad similitudinem Dei optimi, atque etiam Dei viventis. Ergo vitam habet. — *Resp.:* Non est mundus creatus ad similitudinem Dei perfectam et absolutam. — Ergo, *inquies*, mundus cadaver est? — *Resp.:* Id quod vita caret sensu privativo, cadaver est. Sed mundus vita caret sensu negativo.

(Ad 2.) „In omnibus, quae moventur a ratione, apparet ordo rationis moventis, licet ipsa, quae a ratione moventur, rationem non habeant; sic enim *sagitta* directe tendit ad signum ex motione sagittantis, ac si ipsa rationem haberet dirigentem; et idem apparet in motibus *horologiorum* et omnium ingeniorum humanorum, quae arte fiunt. Sicut autem comparantur artificialia ad artem humanam, ita comparantur omnia naturalia ad artem divinam.“[4] Ex aliis enim indiciis aperte manifestum est naturalia ista comparari non posse ad intellectum, qui ipsi naturae rerum insit. Ubi enim intelligentia, ibi ingens proditur in mediis ad varios fines dirigendis varietas, progressus perpetuus in

[1] Suar. l. 1 de an. c. 4, n. 19.
[2] Cic. l. 3 de nat. deor. c. 9, n. 23. [3] Ibid. c. 11.
[4] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 13, a. 2 ad 3.

perficiendis artibus et industriis; ibi sententiae internae per signa arbitraria manifestatio; ibi studium scientiae honestatisque et liberum arbitrium.

(Ad 3.) Incredibilem esse inter hunc mundum universum et organismum harmoniam concedimus. Concedimus quoque ex hac harmonia ad unitatem concludendam esse tum causae efficientis, tum causae finalis ultimae; negamus autem hanc unitatem ipsius mundi internam esse.

(Ad 4.) Mundus neque est organismus, neque est sola et nuda machina. Sunt enim in mundo res plurimae, quae non solum viribus pure mechanicis aguntur. Quis vero exercitum militum machinam dicit? Deinde in machinis partes aguntur praecipue viribus forinsecus advenientibus per quandam violentiam; in mundo partes aguntur praecipue viribus propriis per naturam.

Est igitur hic mundus universus medius quasi inter organismum et machinam. Cum organismo convenit, quod eius partes non motibus subduntur alienis et violentis, sed primo ex sese ad totius mundi compagem constituendam destinatae sunt. Machinae autem est similis, quod non est ens per se unum.

Quidnam est mundus, si neque machina est neque organismus? Natura est, vel si mavis, est naturalis multarum naturarum ad unum naturalem finem dispositio.

(Ad 5.) Longissime a rerum realitate remoti sunt qui nisum rebus naturalibus inesse affirmant ad sibi adipiscendam conscientiam. Experientia enim teste unumquodque ens in harum rerum universitate perfectione suae speciei contentum est; hanc appetit, hanc conservat, hanc propagat. Nec lapis vult fieri quercus, nec quercus appetit esse asinus, nec asinus vult transformari in equum, neque equus neque simia unquam quaesierunt, ut ad sui conscientiam pervenirent.

At, *inquiunt* adversarii, a priori res conficienda est. Nam a) aliquod Esse, quod non sit destinatum ad aliquam conscientiam comparandam, sibi ipsum repugnat; b) quidquid agit, vivit; quidquid vivit, tendit ad sui conscientiam; c) conceptus substantiae eam „ipsitatem" et „sui ipsius affirmationem" continet, quae in solo ente cognoscente esse possit; sed omne ens cognoscens tendit ad sui conscientiam. Haec argumenta tria, quibus transcendentales, Antonius Günther, alii, nisum istum probare volunt, indicanda erant; ea refutare supervacaneum est.

(Ad 6.) Ideo philosophi isti universum mundum volitione constitui dicunt, quia voluntatem suam quisque in mundum totum transfert, qui idealismi et monismi error alio loco confutandus est; et quia conceptum voluntatis ad significandam tendentiam qualemcunque extendunt. At id non licet. Nam nomine voluntatis is tantum appetitus indicatur, qui rationalis est, cuius obiectum est finis et bonum in universali. „Unde non potest esse voluntas in his, quae carent ratione et intellectu, quum non possint apprehendere universale; sed est in eis appetitus naturalis vel sensitivus determinatus ad aliquod bonum particulare." [1] *Obicies:* Ascribunt tamen ex Peripateticis aliqui id, quod

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 1, a 2. Addit vero s. doctor: „Necesse est, quod omnia, quae carent ratione, moveantur in fines particulares ab aliqua voluntate rationali, quae se extendit ad bonum universale, scilicet a voluntate divina."

voluntarium est, bestiis. — *Resp:* Id quum faciunt, accipiunt voluntarium large, „non secundum quod dicitur a voluntate, sed secundum quod dividitur contra violentum. Unde quum violentum sit, cuius principium est extra, voluntarium erit id, cuius principium est intra [1]. Et inde est, quod animalia, quae moventur a se ipsis, motus voluntarios habere dicuntur, nec tamen electionem habent vel voluntatem.“ [2]

124. *(Ad 7.)* Appetitus, quum ex se non satis determinatus sit, cognitione indiget, qua determinetur ad certum finem per certa media acquirendum. Quam ob rem in homine atque etiam in belua appetitus saepenumero cognitionis indiget ab ipso appetente elicitae, sive intellectivae sive sensitivae. Appetitus autem naturalis potest sine ipsius appetentis cognitione omnino esse determinatus, quum videlicet omnino determinatus sit ab eo, qui primus res omnes in fines suos ordinavit. Unde non semper necesse est, ut appetitus naturalis cognitione sive perceptione aliqua ducatur, quae ab ipso appetente eliciatur. Quod ex ipsius hominis experientia in multis rebus luculenter manifestum est. Haud raro sane homo ex se ipso agit propter finem, i. e. cum intentione et deliberatione; id quod sine cognitione finis non peragitur. At multo saepius propter finem agit ita, ut non a se ipso determinetur (velut quum agit ad imperium alterius, vel sui instinctus, vel ex acquisita consuetudine, vel quum movetur altero impellente. vel movente sola natura, id quod accidit in motibus physiologicis), id quod sine ulla finis cognitione peragitur [3]. Itaque appetitus naturalis non subesse debet cognitioni, quae ab ipso appetente elicitur; sed satis est, ut cognitio fuerit in eo, qui res in fines suos direxit [4].

Sed obicies 1°: Ubi est appetitus, ibi est directio in finem. Ubi autem est directio in finem, ibi est cognitio intellectiva. Ipsae ergo res naturales intellectum habent. — *Resp.: Dist. mai.:* ubi appetitus, ibi directio aut activa aut passiva, *conc. mai.;* ibi est directio activa, *subdist. mai.:* activa aut ipsius appetentis aut eius, qui rem appetentem constituit, *conc. mai.;* necessario ipsius appetentis, *nego mai.* Natura non dirigit in finem, sed dirigitur [5].

Appetitus naturalis habemus imaginem, si appetitioni nostrae cognoscitivae formam determinantem, quatenus haec cognitione nostra exhibetur, quasi praecidamus, retinentes tantum formam determinatam, quatenus in parte practica passive inest tanquam inclinationis certae principium. Sicut enim forma determinate inclinans appetitiones nostras cognitionem non involvit, sed supponit [6], ita etiam appetitus naturalis cognitionem ordinantem non involvit, sed supponit [7], non quidem ab ipso agente exercitam, sed ab auctore naturae habi-

---

[1] Spontaneum, willkürlich. [2] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 6, a. 2.

[3] His fere verbis S. Thomas l. c. q. 1, a. 2.

[4] Cfr. S. Thomas, Quaest. disp. q. 22 de verit., a. 1 ad 2.

[5] Cfr. ibid. ad 9.

[6] „Quando homo per se ipsum agit propter finem, cognoscit finem; sed quando ab alio agitur vel ducitur, puta quum agit ad imperium alterius vel quum movetur altero impellente, non est necessarium, quod cognoscat finem, et ita est in creaturis irrationalibus“ (S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 1 ad 2).

[7] „Illa determinatio oportet quod proveniat ex intentione finis ... intendere autem finem impossibile est, nisi cognoscatur finis sub ratione finis et

tam [1]. Quare Aquinas ad rem accommodate: „Proprium est", inquit, „naturae rationali, ut tendat in finem quasi se agens vel ducens ad finem; naturae vero irrationali quasi ab alio acta vel ducta; sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea, quae omnino cognitione carent." [2] Et alio loco: „Omne, quod est a Deo, accipit aliquam naturam, qua in finem suum ultimum ordinetur. Unde oportet in omnibus creaturis habentibus aliquem finem inveniri appetitum naturalem, etiam in ipsa voluntate respectu ultimi finis." [3]

Obicies 2°: Ubi est appetitus alicuius propter finem, ibi est electio. Ubi autem est electio, ibi est vita intellectiva. Ergo in unaquaque re naturali vitam intellectivam ponere oportet. — *Resp.:* Non semper electio cum appetitione alicuius finis coniuncta est; id quod patet in rebus, quae propter finem fiunt ex acquisita consuetudine, quae est naturae imitatrix. Qui habet artem *saltandi* vel *citharizandi,* non eligit inter varias pedum vel manuum motiones, sed hae omnes iam sunt determinatae [4]. Electio est praeconceptio unius ab altero; semper igitur cum aliqua directione unius ab altero coniuncta est. Quia necessario est respectu plurium, quae eligi possunt, locum habere non potest, nisi ubi appetitus potest ferri ad plura. Et ideo in his, quae sunt determinata ad unum, ut accidit in omnibus rebus irrationalibus, electio proprie dicta locum non habet.

Obicies 3°: Ubi appetitur aliquis finis, ibi media ad finem referantur necesse est. Atqui haec mediorum ad finem ordinatio nisi ab intelligenti fieri non potest. Res ergo omnes intellectum habent. — *Resp.: Dist. min.:* si haec ordinatio fit ab excogitante ordinem, *conc. min.;* si tantum ab exsequente ordinem, *nego min.* Res naturales non excogitant ordinem, sed sunt principium ordinis exsequendi. Quam ob rem dicere solent philosophi principium finalitatis rebus creatis inesse ut mandatum in subdito, non ut mandatum in imperante. „In rebus cognitione carentibus invenitur potentia pertingens ad finem per modum exsequentis; sed potentia, ad quam pertinet finis per modum imperantis, non invenitur in eis, sed in aliqua superiore natura, quae sic movet totam naturam per imperium, sicut in habentibus cognitionem appetitus movet alias potentias ad suos actus." [5] Vel etiam dicunt — adhibentes comparationem ab Aristotele positam — illud rebus inesse, sicut ars insit in iis, qui in aliqua re ipsi architecti non sunt, sed solum laborant manibus propter consuetudinem. „Hi enim sicut res, quae inanimae sunt, faciunt quidem, sed nescientes faciunt

---

proportio eorum, quae sunt ad finem in finem ipsum" (S. Thomas 3, dist. 27, q. 1, a. 2).

[1] „Obiectum voluntatis est finis et bonum in universali. Unde non potest esse voluntas in his, quae carent ratione et intellectu, quum non possint apprehendere universale; sed est in eis appetitus naturalis, vel sensitivus determinatus ad aliquod bonum particulare. . . . Et ideo necesse est, quod omnia, quae carent ratione, moveantur in fines particulares ab aliqua voluntate rationali, quae se extendit ad bonum universale, scilicet a bonitate divina" (Id. S. theol. 1, 2, q. 1, a. 2 ad 3).

[2] L. c. a. 2. [3] 3, dist. 27, q. 1, a. 2.

[4] S. Thomas in opusc. de princ. nat.

[5] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 11, a. 2.

ea, quae faciunt, sicut *ignis* comburit." [1] Principium igitur tendentiae finalis, quod ipsis rebus inest, commodissime dici potest esse participata quaedam ratio mentis divinae, in materiam immersa, agens ordinate secundum leges a sapientia divina sibi inditas.

Obicies 4°: Nullus appetitus sine finis intentione; sed nulla intentio sine intellectu. — *Resp.:* Voci intentionis est duplex potestas. Primo enim intentio ad id pertinet, quod movet ad finem cum cognitione finis completa. Et hoc modo intentio actum voluntatis significat, qui sequitur ordinationem rationis aliquid ordinantis in finem. Alio modo is intendere finem dicitur, qui movetur ad finem ex ordinatione alterius; et sic res omnes finem intendunt; neque tamen ad id cognitione illis opus est [2].

Obicies 5°: Ubi aliquis finis appetitur, ibi post finem obtentum est gaudium et delectatio. Sed haec in solo ente esse possunt, quod intellectum vel saltem vim sensitivam habet. — *Resp.: Nego mai.* Nam is tantum delectari potest propter finem obtentum, qui id, quod rationem finis habet, saltem imperfecte cognoscit. „Delectatio causatur ex coniunctione convenientis. Conveniens autem adveniens perficit id, cui advenit et quietat inclinationem in illud; et haec quietatio secundum quod est percepta, est delectatio." [3] — *Inst.:* Qui pervenit ad finem, fruitur fine; fruitio autem sine delectatione esse non potest. — *Resp.:* Ponit fruitio delectationem de fine obtento habitam; sed non est propria pervenientis ad finem sicut exsequentis, sed imperantis exsecutionem. Unde rationali naturae, quae finem perfecte cognoscat, convenit fruitio secundum rationem perfectam, brutis autem animalibus, quae finem cognoscant imperfecte, secundum rationem imperfectam, aliis autem creaturis, quae omni cognitione careant, nullo modo [4]. — At, *inquit* H. Lotze [5], fieri non potest, ut ullum ens exsistat, quod non fruatur sua exsistentia. Qui enim finis isti enti praefixus esse possit? — *Resp.:* Potest habere finem, ut perfectionem creatoris sui manifestet, ut aliis creaturis serviat vel aliquam utilitatem efficiat. Nec ullo modo requiritur, ut unaquaeque res habeat fruitionem suae exsistentiae.

Obicies 6°: Ubi est appetitus, ibi est amor, qui est omnis appetitus principium [6]; ubi autem est amor, ibi est intellectus et voluntas. — *Resp.:* In unoquoque appetitu amor dicitur illud, quod est principium motus tendentis in finem amatum; et nihil aliud significat, quam coaptationem quandam appetitivae virtutis ad aliquod bonum. Ex quo efficitur, ut amor, qui appetitui naturali subest et amor naturalis vocari solet, sine cognitione sit, sicut ipse appetitus naturalis cognitione caret. „Amor naturalis, qui est in omnibus rebus, causatur ex aliqua cognitione, non quidem in ipsis rebus naturalibus, sed in eo, qui naturam instituit." [7]

Obicies 7°: Ubi est appetitus, ibi est desiderium, timor, desperatio, permulta alia; quae quidem sine voluntate vel cognitione esse non possunt. —

---

[1] Arist. l. 1 metaph. c. 1, q. 81 b, 2.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 12, a. 5.

[3] Id. 3, dist. 27, q. 1, a. 2 ad 3. Cfr. Quaest. disp. q. 22 de verit. a. 1 ad 13; S. theol. 1, 2, q. 11, a. 2.

[4] S. theol. 1, 2, q. 11, a. 2. [5] Mikrokosmus II, 748.

[6] S. Thomas l. c. 1, 2, q. 28, a. 6; 3, dist. 25, q. 1, a. 1.

[7] S. theol. q. 27, a. 2 ad 3.

Resp.: „Amor et odium, desiderium et fuga important inclinationem quandam ad prosequendum bonum et fugiendum malum, quae quidem inclinatio pertinet etiam ad appetitum naturalem; et ideo est quidam amor naturalis; et desiderium vel spes potest quodammodo dici etiam in rebus naturalibus cognitione carentibus. Sed aliae passiones animae important quosdam motus, ad quos nullo modo sufficit inclinatio naturalis, vel quia de ratione harum passionum est sensus seu cognitio (sicut dictum est, quod apprehensio requiritur ad rationem delectationis et doloris, unde qui carent cognitione, non possunt dici delectari vel dolere); aut quia huiusmodi motus sunt contra rationem inclinationis naturalis (puta quod desperatio refugit bonum propter aliquam difficultatem; et timor refugit impugnationem mali contrarii, ad quod est inclinatio naturalis)." [1]

(Ad 8.) Uniuscuiusque eventus, qui in rebus inanimis accidit, causa indicata est, si cum Peripateticis ponamus unicuique rei naturali principium determinans sive formam, quae viribus sibi respondentibus sit praedita, a creatore pro diverso perfectionis gradu inditam esse, ita ut unaquaeque res ducatur appetitu suo naturali [2]. Appetitus hic naturalis determinatur a forma substantiali; nam unumquodque agit secundum exigentiam suae formae, quae est principium agendi et regula operis [3]. Haec forma est ideale quiddam sive cogitatum divinum, quo res tanquam mandato a Deo accepto ad finem ducitur. „Sicut in intellectu praeconcipiente exsistit tota similitudo effectus, ad quem per actiones intelligentis pervenitur, ita in agente naturali praeexsistit similitudo naturalis effectus, ex qua actio in hunc finem determinatur." [4] Itaque inter formas, quae in rebus naturalibus insunt, et formas illas intentionales, quibus cognitio in rebus cognoscentibus absolvitur, mirabilem intercedere analogiam perspicuum est [5].

At, *inquies*, quomodo sol potuit incipere attrahere ad se terram, nisi ex longinquo terram exsistere cognitione perceperit? — *Resp.:* Quae sunt in hoc genere fictiones, poëtis relinquimus. Rebus anorganicis, ut incipiant agere, satis est, ut motu aethereo sive alio motu mechanico ad agendum excitentur, neque opus est, ut post receptam impressionem mechanicam sibi repraesentent aliquid active interveniente specie in organo ad id apto, ita ut obiectum excitans rei excitatae sistatur obiective praesens, sicut accidit in cognitione.

(Ad 9. responsum est satis.*)*

(Ad 10.) Parum iuvare potest „conscientia imperfecta", quae insit in unaquaque atomo vel molecula, ad explicandam conscientiam perfectam, quae est in homine. Certum est enim conscientiam essentialiter unam nasci non posse ex conscientiis multis inter se additis. Et sicut conscientia, ita omnis cognitio est actio immanens; actiones vero immanentes inter se addi non possunt ad constituendam actionem unam. Negamus igitur in rebus anorganicis huius mundi ullam reperiri vitam actualem, neque non negamus inesse in materia potentiam ad vivendum activam (receptivam admittimus).

(Ad 11.) Absurde dicunt, qui vitam in rebus omnibus quasi in nucleo vel germine occultam esse censent. Quis enim non videt frustra esse non

[1] S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 41, a. 3. [2] Ibid. q. 1, a. 2.
[3] Id. 3, dist. 27, q. 1, a. 1.
[4] S. Thomas, Summa c. gent. l. 3, c. 2. Cfr. l. 4, c. 19.
[5] Cfr. Id. S. theol. 1, q. 80, a. 1.

posse tantam virtutis copiam in rebus naturalibus? Deinde vita quum speciali et novo quasi agendi genere constituatur, non oritur ex certa elementorum dispositione, sed huius dispositionis causa est et ratio. Si igitur in elementis latet vivendi virtus, elementorum virtus ad agendum excitata disponet elementa eo modo, quo ad vitam actualem ducendam est necessarium. At quis unquam hoc modo aliquid in natura accidisse vidit?

125. **Solvuntur, quae restant dubia.** *Dicunt 1°:* Nemo indicare potest, ubi activitas desinat esse transiens, incipiat esse immanens, ubi res desinant esse anorganicae, incipiant esse organicae. Continenter ergo quae vocatur non-vita transit in vitam. Ergo ubique in natura habentur vitae initia. — *Resp.:* Natura non amat saltus (Log. n. 706). Ex quo videmus usque in natura supremum inferioris attingere ad infimum superioris. At inde minime sequitur tolli ex natura differentias specificas et genericas (Log. n. 946).

Dicunt 2°: Difficile est et menti humanae contrarium, ut maiorem mundi partem brutam et mortuam esse putemus, ad id solum destinatam, ut paucis serviat tanquam vile instrumentum. Quin immo invincibili ipsius naturae impulsu cogimur, ut magnam illam vitae felicitatem tribuamus rebus omnibus. Id hodie Lotze[1] multique alii multa et varia oratione defendunt; atque id non praetervolant, sed ita dilatant, ut non mediocrem diligentiam adhibeant. — *Resp.:* Relinquamus ista poëtis atque somniantibus. Ex phaenomenis enim et observatis rebus cognoscendum est, quae perfectiones per gradus in rebus insint. Neque commiserandum est lapidi, quod non possit esse philosophus, neque cochleari, quod seni sorbenti iusculum sit instrumentum. Omnis enim res sua perfectione contenta est. Parcat igitur Lotze verbis et lacrimis.

126. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Distinguendum est inter appetitum naturalem et appetitum cognoscitivum. Prior quasi omnium appetituum, qui in re insunt, fundamentum, inest in omni re, et ab ipsa rei forma determinatur. Posterior ad naturalem accedit in rebus cognoscentibus et informatur a forma acquisita, quae ex cognitione hausta est. Appetitus naturalis duplex est: is, quo res anorganicae ducuntur, simpliciter naturalis vocari solet; eum, qui rebus viventibus inest, naturalem vitalem, vel simpliciter vitalem vocant. Et hic iterum duplex est: alter vocatur organoplasticus, quatenus eo duce organismus construitur, conservatur, redintegratur; physiologicum alterum vocant, cui varii illi motus (reflectorii, vibratorii, alii) subsunt, qui sine dirigente cognitione a rebus viventibus exercentur. Appetitum cognoscitivum psychologi dividunt in sensitivum et rationalem.

Coroll. 2. Ergo ea, quae vivunt, propter perfectionem suam supra ea, quae non vivunt, summopere elevantur. Nam a) organismus dominatur rebus anorganicis, eas sibi subicit, eisque

[1] Mikrokosmus I, 408.

formam suam imprimit. b) Id quod vivit, vires naturales speciali quadam ratione dirigit, non quidem extrinsecus tantum, sicut dominus subditos, sed etiam intrinsecus, indendo quasi illis viribus tendentiam superiorem [1]. c) „Superiorem" dicimus. Potioris enim perfectionis est habere aliquid aliqua ratione a se, quam ab alio. Sed id, quod vivit, aliqua ratione ipsum sibi actionibus suis Esse suum dat et conservat, qua id non accidit in rebus non viventibus. d) Accedit, ut actio immanens ex sua ipsius natura agenti causa maioris sit perfectionis quam actio transiens. Actio immanens ex se est ad perficiendum ipsum agens, actio vero transiens ex se ad perfectiorem patientis sive recipientis effectum est directa [2]. e) Animalia quod attinet, apertum est his esse aliquam saltem sui conscientiam (quum per cognitionem res obiectas repraesentent sibi), atque hinc aliquam saltem vitae fruitionem. Unde ea, quae cognitionem habent, multo perfectius agunt erga se, quam ea, quae cognitione carent.

Coroll. 3. Ergo ea, quae vivunt, habent speciem quandam ascitatis (Log. n. 1419), quae a rebus anorganicis omnino aliena est.

SECTIO TERTIA.

De discrimine inter viventia et non-viventia.

127. Sententiae inter se adversariae. Omnes, quae sunt apud philosophos variae de diversitate rerum essentiali sententiae, ad duas reduci possunt, quae inter se universa re et tota ratione dissident. Multi cum Aristotelicis docent essentias rerum esse heterogeneas, easque esse sicuti numeros; sicut numerus addita unitate essentialiter mutetur (Log. n. 1348), ita etiam essentias rerum mutari addita nota essentiali; diversitatem igitur rerum effici per saltus quasi et interruptiones. Et peculiarem quidem differentiam hi ponunt inter cognoscentia et non cognoscentia,

---

[1] „Die Lebenserscheinungen vereinigen nicht bloss eine Summe mechanischer Bewegungen zu einer planmässigen Gemeinsamkeit, sondern geben auf jeder Stufe mechanischer Entwicklung zugleich zu chemischen Processen Anlass und bringen durch diese selbst wieder neue Gelegenheiten zu mechanischen Wirkungen hervor. . . . Nur der Organismus besitzt eine systematische Verwendung chemischer Processe und unterscheidet sich dadurch auch von allem bisherigen Hervorbringen unserer menschlichen Technik" (Lotze, Allgemeine Physiologie des körperlichen Lebens p. 138).

[2] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 1; Quaest. disp. q. 14 de verit., a. 3; S. theol. 1, 2, q. 3, a. 2 ad 3 et q. 5, a. 5.

arbitrantes cognitionis vel prima initia ab omni activitate rerum brutarum genere suo diversa esse. Et peculiari discrimine hi etiam organismos omnes a rebus anorganicis separatos esse volunt, id arbitrantes propter diversitatem dynamicam, atque etiam morphologicam. Diversitas dynamica activitatem spectat. Quale enim est Agere, tale Esse. In organismis est activitas una ad id tendens, ut per motum perpetuum organismus construatur, conservetur, propagetur totus. Quod agendi genus a rebus anorganicis omnino alienum est. Diversitas morphologica formam spectat et dispositionem partium, quae organismis propria est. Ex utraque diversitate consequens est, ut organismus habeat specialem originem, specialem evolutionem, specialem interitum.

Huic sententiae Aristotelicorum — quae est sententia universi generis humani (exceptis paucis singularis ingenii hominibus) — opposita est istorum opinatio, qui in universa natura ex omni parte perfectam continuitatem ponunt et unam perfectionem homogeneam, quae in rebus omnibus diversa sit, per mutationem paulatim et sensim progredientem. Ad hunc locum pertinent quos monistas vocant, sive spiritualisticos sive materialisticos. His si credimus, sicut universae res huius mundi, ita praecipue res cognitione praeditae et res brutae, res organicae et anorganicae non secundum essentiam, sed secundum modum tantum accidentalem inter re discriminantur.

Primo cognitionem quod spectat, paucos invenies, qui tam plumbei sint, ut conentur ostendere et ad oculum quasi demonstrare, quomodo eventus vitae cognoscitivae resolvantur in motus mechanicos hac vel illa ratione depictos. Pars plurima ignorantiam m o d i fatentur, r e m ipsam, i. e. identitatem cognitionis et motus mechanici, praefracti affirmant.

Monismi lex, inquiunt, id sibi expostulat, ut in universo mundo nihil sit, quin sit motus mechanicus hoc vel illo modo complicatus. Unde inquisitioni psychologicae viam praecipiunt, ut investigetur, qua ratione actus intellectivi orti sint ex sensitivis, sensitivi ex emotionibus vel affectionibus simplicissimis, hae tandem ex eventibus mechanicis. Atque hoc modo nostra aetate ab iis, qui phaenomena psychica a physicis essentialiter differre negant, ipsa fundamenta scientiae psychologicae in dubium adducta sunt, ut antea nunquam. Morbum hunc igitur ignorare non licet, sed ipsi etiam per sanam scientiam et veritatis studium medendum est. Est enim scientia propter homines et non sunt homines propter scientiam.

Verum hoc nostro tempore non crescit solum morbus, sed progrediente in dies diligentissima rerum observatione crescit quoque rationum numerus, quibus probetur inter cognitionem et eventus naturales quoscunque discrimen

esse, quo maius cogitari vix possit. Possunt quidem eventus naturales esse condiciones necessariae, quibus positis cognitioni praebeatur locus; ipsa tamen cognitio ab omni eventu naturali essentialiter differt.

128. Similis est monistarum opinatio de differentia inter res organicas et anorganicas. Quibus in hac re obscuriore et difficiliore latus campus apertus est. Revera enim quidquid in partium structura organicarum efficitur, intervenientibus qualitatibus corporeis sive viribus physicis efficitur.

Verum etiam hoc loco monistis rationes solidae obiectae sunt. Est enim differentia essentialis inter actionem immanentem et transeuntem. Videmus deinde in omnibus rebus organicis constantes proprietates et agendi rationes, quae ab iis, quae insunt in rebus anorganicis, omnino diversae sunt. Et quis credet, certam quandam aggregationem molecularum quarundam, qua ad unam cellulam primitivam elementa materialia consocientur, esse posse id, quo ipsa elementa reddantur valida ad artificiosissimam illam structuram elaborandam, sub diversis condicionibus externis conservandam, sanandam, in indefinitum propagandam? Quomodo fieri posset, ut organismus temperamentum virium turbatum secundum typum sibi insitum redigeret in ordinem et regeret, si tota causa vitae nihil esset nisi ipsum illud temperamentum virium? Adversarii ad calorem provocant, lucem, electricitatem, affinitatem chemicam. Sed ostendant, qua ratione una ex his causis vel etiam omnes hae causae simul effectibus organicis pares esse possint!

Et praecipue de plantis res agitur. In quibus vita quum sit obscurior, videntur sibi adversarii facili opera ostendere posse cuncta effici luce, calore, electricitate. At vero vix ineptius fieri quidquam potest quam has vires in auxilium vocare.

1. Lucem quod attinet, plurimae in plantis sunt operationes, quae absolvuntur in tenebris. Et plantae sunt, quae per totam exsistentiae suae durationem in tenebris sunt. Formationem plantae novae lux potius impedit quam promovet. Plantis chlorophyllicis lux quidem necessaria est, ut chlorophyllum evolvatur et res aliquas producat, quae in nutrienda planta adhiberi debent. Postquam autem res illae evolutae sunt, potest planta ab omni luce remota ulterius nutriri et crescere. Luce porro aperiuntur stomata foliorum, ita ut evaporatio locum habeat; unde planta omni luce privata diu vivere non potest. Sed praeterea vix quidquam est notatu dignum, quod in radicibus, floribus, seminibus, foliis luce efficiatur.

2. Calorem quod attinet, is generatim plantis necessarius est, tum ad varios processus chemicos facilius perficiendos, tum ad evaporationem, quae necessaria sit, faciendam. Et omnis functio vitalis inter certos tantum limites caloris peragi potest, ita ut calor nimius vel nimium frigus vitam impediat. Quin immo sola mutatio caloris, si vehementior sit, plantis nocere potest. Praeterea autem minime incrementum caloris incrementum vitae efficit, neque decrementum caloris decrementum vitae. Sed saepenumero incrementum caloris (etiam moderati) operationibus vitalibus est impedimento. Si calor esset causa vitae, quum quivis effectus causae suae proportionatus sit, necesse esset, ut proportio

inveniretur inter calorem et vitam. Iam vero motus vitales proprias leges sequuntur ab incremento decrementoque caloris non pendentes. Praeterea sunt plantae, quae vitam aeque iucundam degant extremo frigori expositae, atque aliae in summis solis ardoribus.

3°. Electricitatem quod attinet, fatentibus fere omnibus nostrae aetatis physiologis, plane ignoramus, utrum plantae variationibus electricis, quibus expositae, et elementis electrolyticis, quibus fuerint perfusae, in organizatione, dispositione materiae, mutatione elementorum aliqua ratione afficiantur, necne. Experimentis compertum est vi electrica motus vitales impediri potius quam promoveri. Adhibita vi ista admodum moderata effectus nullus est. Vi electrica crescente functiones vitales impediri videntur; sed invalescente quodammodo vi vitali contra obstaculum ex electricitate exortum functiones vitales ad pristinum vigorem redeunt. Sic crescente iterum vi electrica functiones vitales iterum retardantur vel etiam omnino desinunt, et remota electricitatis activitate functiones iterum incipiunt, modo interim planta ne sit mortua.

129. Itaque nobis in hac re agitandae sunt illae quaestiones gravissimae duae, quarum prior animalia spectat propter vitam cognoscitivam, altera generatim res organicas propter vitam vegetativam; quarum prior quum sit gravior, altera est difficilior. Quum enim operationibus vegetativis deserviant qualitates physicae et chemicae, „posset alicui videri, quod essent a natura et non ab anima, praecipue quia in plantis est vita occulta et latens".

Neque haec, in qua de vita vegetativa agitur, quaestio suo pondere caret. Methodus enim ab adversariis adhibita non sine periculo philosophantis animi adhibetur. Intellectus enim, id quod scite observat Sylv. Maurus, quum nimium assuescit quosdam effectus tribuere causis improportionatis, disponitur ad refundendos etiam alios effectus in causas improportionatas; et sic disponitur ad dicendum, non dari in homine aliam animam praeter dispositionem corpusculorum, nec dari in mundo aliam causam, praeter corpuscula disposita, atque adeo non dari Deum. Peccant eo, quod nimium inhaereant sensibilibus. Eo ipso autem, quod sensui nimis adhaerent, inclinantur ad omnia neganda, quae sunt supra sensum, et ad ponendam felicitatem in solis delectationibus sensibilibus, ut consequenter ad sua principia posuit Epicurus [1].

Quaeritur primo:

quo discrimine differant ea, quae facultate cognoscendi instructa sint, a rebus cognitione carentibus.

130. **Rationes dubitandi.** Videtur discrimen omne inter animalia et res, quae cognitionem non habent, repetendum esse a speciali quadam elementorum dispositione, quae reperiatur quidem in animalibus omnibus, praeterea vero nullibi. Nam (1.) certum est in omni cognitione animalis intervenire motum naturalem organorum, ita ut cognitio pendeat a certa affectione et dispositione materiae. Quod si ita est, iam causa omnis horum phaenomenorum in certa materiae

[1] Quaest. philosoph. l. 2, q. 4, n. 5.

affectione sita est. Differunt igitur res cognoscentes a non-cognoscentibus eo fere modo, quo differt *circulus* a triangulo, vel *serra* a malleo, vel *calor* ab electricitate.

(2.) Res cognoscentes cum rebus non-cognoscentibus coniunguntur transitu quodam, qui fit sensim atque paulatim, ita ut nemo dicere possit, a quo termino incipiat.

(3.) Videmus materiam brutam in organismis sibi acquirere potentias plane admirabiles. Ergo fieri potest, ut subtiliore etiam organizatione acquirat vim cogitandi.

(4.) Et quis intimam materiae essentiam ita perspexit, ut dicere possit a materia facultatem psychicam omnino abesse?

131. **Thesis:** **Corpora facultate cognoscendi praedita secundum essentiam ontologicam speciali ratione differunt a brutis corporibus** (Phil. nat. n. 181).

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Ostensum est (n. 76 sqq.) in animalibus esse phaenomena psychica, i. e. actus perceptionis, in quibus obiectum aliquod externum ita insit, ut imagine active expressa et positive una et immanente ipsi animali innotescat, non solum secundum se ut obiective exsistens, sed etiam ut conveniens et nocivum animali. Inest quoque appetitus ille innatus, quo animal disponatur erga bonum et contra res nocivas; cui accedunt appetitus illi eliciti, qui propter habitas cognitiones varias oriuntur. Insunt tandem motus illi, qui dirigente cognitione absolvuntur, spontanei. Neque dubitandum est ipsum animal esse principium illorum actuum. Inter omnia phaenomena haec primas partes habet cognitio, qua quippe appetitus et motus dirigantur. Quam ob rem ad cognitionem praecipue est attendendum.

Praenota 2°. Quid nomine cognitionis veniat, alio loco (n. 54) indicavimus.

Praenota 3°. Differentia, quae statuitur, est secundum essentiam ontologicam. Essentiam enim duplicem esse scimus, unam logicam, quae definitionem spectet, et sola dispositione aliqua accidentali constitui possit; alteram ontologicam, quae ipsam rem spectet. Quum igitur differentiam essentialem stabiliamus, non sumus contenti speciali quadam corpusculorum dispositione, qua fiat, ut, quae antea cognitione caruerint, nunc virtute cognoscitiva sint praedita. Neque ea diversitate essentiali contenti sumus, qua res chemice mixtae ab elementis discriminentur. Sed specialem quandam differentiam edicimus, qua res cognitione praeditae ita in altiore ordine collocatae sint, ut ex nulla rerum brutarum coniunctione oriri possint. Hanc differentiam postea accuratius definiemus ut substantialem vi huius vocis propria.

Praenota 4°. Huic thesi adversantur materialistae (n. 18), qui omnes actum cognoscendi a materiali fibrillarum motu vel aliqua cellularum cerebralium reactione repetendum esse asseverant; viam autem vel rationem, qua id fieri possit, tacent. Nobis in animo non est, ut negemus in negotio cognitionis contingere etiam motus mechanicos, processus chemicos physicosque, qui sint dispositiones praerequisitae. Negamus vero his rebus materialibus effici cognitionem ipsam.

132. **Argumenta.** *Arg. I* (ex diversitate appetituum naturalium). Ubi specialis et essentialis est diversitas appetituum naturalium, ibi specialis et essentialis est ipsarum rerum sive naturarum diversitas (Phil. nat. n. 104). Atqui appetitus naturalis rei cognoscentis essentialiter et specialiter diversus est ab appetitu cuiuslibet rei non-cognoscentis. Ergo ipsae res facultate cognoscendi praeditae a rebus brutis secundum essentiam ontologicam specialiter differunt.

Prob. min. Appetitus naturalis rei cognoscentis ad id tendit, ut cum aliqua fruitione sive satisfactione sibi acquirat formas sive species aliarum rerum, quibus formis intervenientibus cum aliqua sui conscientia sibi illas res repraesentet, eaeque formae sint principia variorum appetituum atque etiam motuum in illas res elicitorum.

Appetitus autem rei naturalis eo absolvitur, quod res se in typo quantitativo constituit, seque conservat in statu accepto, et versus alias res ad has immutandas fertur [1].

Et appetitus rei vegetalis (ut est planta) is est, ut aliis rebus substantialiter intussusceptis, nutriatur, augeatur, generatione propagetur. Dum igitur in vita cognoscitiva formae, quibus appetitus eliciti determinantur, acquiruntur ex rebus obiectis, eae in vita vegetativa ex ipsa viventium natura sunt praesto. Dum in vita cognoscitiva assumuntur rerum imagines, in vita vegetativa ipsa rerum elementa arripiuntur.

Sicut igitur essentialis diversitas est appetituum, ita est essentialis diversitas ipsarum rerum. Haec vero diversitas ontologica omnino est specialis. Nam tanta est haec diversitas, ut apparcat nulla umquam mixtione ex rebus brutis subiectum cognoscens nasci posse.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 80, a. 1.

Arg. II (ex diversitate inter cognitionem et phaenomena rerum brutarum. Phil. nat. n. 183). Est speciale quoddam discrimen ontologicum inter res cognoscentes et brutas, si cognitio ipsa a phaenomenis omnibus rerum brutarum essentialiter et speciali ratione diversa est. Atqui hac de re nemo quispiam dubitare potest. Ergo est discrimen istud eo quo diximus modo.

Prob. mai. Esse est propter Agere; modus igitur agendi sequitur modum essendi. Qualis ergo diversitas est in agendo, talis est in essendo. — *Prob. min.* Phaenomenorum diversitas secundum diversitatem obiectorum formalium diiudicanda est, in quibus versantur. Sed omnia rerum brutarum phaenomena versantur in corporibus, corporumque affectionibus concretis et materialibus, quatenus corpora in se ipsis vel ab aliis immutantur, vel alia immutant. Cognitio contra versatur in rebus, quatenus subiectum cognoscens eas sibi cum aliqua conscientia repraesentat.

Quae diversitas his rationibus *confirmari* potest.

1. Omnia phaenomena rerum brutarum efficiuntur actionibus transeuntibus. Cognitio contra est actio a subiecto proficiscens et in subiecto immanens quum quoad ipsum subiectum tum quoad locum. Sed specialis omnino inter actionem immanentem et transeuntem differentia est. Actio immanens, quamvis actionibus transeuntibus tanquam dispositionibus opus habere possit (vel etiam actiones transeuntes sibi intrinsecus subordinatas habere), iisdem tamen non absolvitur. Plurimae sunt quae cognitionem comitantur nervorum motiones et affectiones materiales, quae tamen non magis sunt ipsa cognitio quam motus, quibus chordae citharae pulsantur[1].

---

[1] Dicit Leibnizius: „On est obligé d'ailleurs de confesser, que la perception et ce qui en dépend, est inexplicable par des raisons mécaniques, c'est à dire, par les figures et par les mouvemens. Et feignant, qu'il y ait une machine, dont la structure fasse penser, sentir, avoir perception, on pourra la concevoir aggrandie en conservant les mêmes proportions, en sorte qu'on y puisse entrer comme dans un moulin. Et cela posé on ne trouvera en la visitant au dedans que des pièces qui poussent les unes les autres, et jamais de quoi expliquer une perception“ (Apud Erdmann p. 706). Et alio loco: „Cette particule de matière quelque petite qu'elle soit, n'agira pas autrement sur d'autres corps, d'une grosseur qui lui soit proportionnée, que les corps, qui ont un pouce ou un pied de diamètre agissent entr'eux. Et l'on pense espérer avec autant de raison de produire du sentiment, des pensées, et de la connoissance, en joignant ensemble des grosses parties de la matière de certaine figure et de certain mouvement, que par le moyen des plus petites parties de matière, qu'il y ait au monde. Ces dernières se heurtent, se poussent, et résistent l'une à l'autre justement comme les grosses, et c'est ce qu'elles peuvent faire. Mais si la matière pouvoit tirer de son sein le sentiment, la perception, et la connoissance, immédiatement et sans machine, ou sans le secours des figures

2. Si cognitio nasceretur ex coniunctione operationum brutarum, certe hae illius saltem quaedam initia continerent. Atqui id nullo modo locum habet. Nam cognitio ordinem habet ad res, quatenus subiectum cognoscens eas sibi cum aliqua conscientia repraesentat. Operationes brutae quatenus sunt anorganicae, ordinem habent ad res, quatenus eae in se ipsis ab aliis immutantur vel alias immutant; quatenus sunt organicae, ordinem habent ad curandum organismum per perpetuam vicissitudinem rerum materialium.

3. Est diversitas et oppositio inter leges physicas et psychicas. Leges physicae sunt necessariae, immutabiles, sectantes rationem quantitatis et distantiae localis; contra leges psychicae sub multiplici respectu ab illa necessitate et immutabilitate alienae sunt, et a rationibus quantitatis vel spatii non pendentes. Leges physicae semper proportionem servant inter causam mechanicam et effectum mechanicum. A phaenomenis psychicis haec proportio abest. Mente nobis repraesentare possumus hominem absentem, regionem longe dissitam; neque tamen ulla nunc est illarum rerum in sensus nostros actio. In homine cognoscente saepenumero effectus maximi efficiuntur a causa externa, quae est minima; et contra. Significatio imminentis periculi etsi infirma voce prolata nos graviter commovet, dum strepitus ingens nos minime afficit [1].

Et saepissime accidit, ut sub iisdem condicionibus physicis, quae sunt visa vel audita voce eadem (velut *lepores*, *populus*, *gallus*), repraesentatio psychica omnino diversa exoriatur, et sub condicionibus diversis (velut *Gott*, *Dieu*) repraesentatio eadem.

Deinde indoles psychica non necessario in re omni sequitur indolem physicam; neque semper mens sana est in corpore sano.

---

et des mouvemens, en ce cas-là ce devroit être une propriété inséparable de la matière et de toutes ses parties, d'en avoir" (ibid. p. 375).

[1] Comp. phil. Sulp. III, 13: „On sait que dans l'action des forces mécaniques l'effet se proportionne toujours exactement à sa cause; mais dans nos mouvements volontaires, ce principe n'a plus lieu. Une boule, par exemple, que j'aurai jetée, ne communique à une seconde boule qu'un mouvement proportionnel à celui que ma main aura imprimé à la première. Mais que je dise à quelqu'un à l'oreille: Il y a des archers qui vous guettent au coin de la rue pour vous prendre; aussitôt mon homme se met à courir à toutes jambes. On voit bien qu'il n'y a ‚aucune proportion' entre ce peu de paroles dites a l'oreille, ou, si l'on veut, entre l'ébranlement qu'elles causent au cerveau de cet homme, et l'impétuosité de la course qui en est l'effet. Qu'est-ce donc qui s'interpose entre ces deux choses? Une idée de danger, et ensuite une volonté de fuir, laquelle imprime aux jambes ce mouvement violent. Or cette idée, qu'une faible impression de l'air vient d'exciter, cet acte de vouloir, qui fait à son tour sur le corps des impressions si puissantes, démontrent dans l'âme un principe interne d'action auquel le corps obéit. Le cerveau de cet homme a bien transmis le son de ces mots dits à l'oreille; mais c'est leur sens, c'est-à-dire, une perception toute spirituelle qui met l'âme en jeu, et c'est l'âme qui, par son pouvoir interne, produit ce mouvement rapide des jambes. Nul enchaînement mécanique entre ces différentes choses, nulle dépendance matérielle, nulle nécessité par conséquent: donc notre âme est immatérielle; donc nos actions volontaires ne dépendent pas du cerveau" (Fontenelle).

Praeterea cum cognitione ut plurimum coniuncta est multarum rerum comparatio, ita ut hae res a cognoscente simul cognosci et inter se comparari debeant; qui processus ab omni processu materiali omnino alienus est.

4. Res brutae nihil continent nisi per commensurationem quantitatis, ita ut toto contineatur totum, et pars parte et maior maiore et minor minore. Sed per experientiam scimus nos cognoscere obiectas res magnas in quantitate et parvas et diversas simul, ita ut apprehensio nullo modo quantitati rei apprehensae sit commensurata [1].

Et *confirmari ulterius* potest id quod dicimus testimoniis physiologorum, etiam eorum, qui materialismo favent, qui inviti vix non uno ore fatentur phaenomena vitae psychicae penitus alia esse atque phaenomena materiae brutae, neque ulla unquam theoria demonstratum esse, qua ratione ex motibus vel affectionibus materiae phaenomena cognitionis, appetitionis, motus spontanei repeti possint (Phil. nat. n. 184) [2].

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 49.

[2] Ex plurimis audiamus paucos. Dicit R. Virchow: „Wiederholt schon haben wir erklärt, dass wir es im naturwissenschaftlichen Sinne für unmöglich erachten, die allerdings unläugbare Thatsache des Bewusstseins zu erklären“ (Archiv für pathol. Anat. VII, fasc. 1, 1; cfr. eiusdem „Gesammelte Abhandlungen zur wissenschaftlichen Medicin“ [Frankfurt 1856] p. 14). Dicit E. du Bois-Reymond: „Durch keine zu erinnernde Anordnung oder Bewegung materieller Theilchen lässt sich eine Brücke ins Reich des Bewusstseins schlagen. Bewegung kann nur Bewegung erzeugen oder in potentielle Energie sich zurückverwandeln. Potentielle Energie kann nur Bewegung erzeugen, statisches Gleichgewicht erhalten, Druck oder Zug üben, ... die mechanische Ursache geht rein auf in der mechanischen Wirkung“ (Ueber die Grenzen des Naturerkennens [6. Aufl. 1884] p. 35 sqq.; cfr. Die sieben Welträthsel [2. Aufl. 1884] p. 83). Dicit Rosenthal: „Dass die Entstehung bewusster Vorstellungen eine Thätigkeit von Nervenzellen ist, steht fest, und zwar sind es die Zellen der grauen Hirnrinde, welche diese Thätigkeit besitzen. Dagegen sind wir vollkommen ausser stande, auch nur eine Andeutung geben zu können, wie dieses Bewusstsein zu stande kommt. Molecularvorgänge in den Nervenzellen mögen es sein, welche durch die zugeleitete Erregung entstehen. Aber Molecularvorgänge sind eben nichts als Bewegungen der Molecüle“ (Allgemeine Physiol. der Muskeln und Nerven p. 274). Dicit Wundt: „Wir können nachweisen, wie in der Leber durch chemische Processe, die man zum Theil Schritt für Schritt zu verfolgen vermag, die Galle entsteht; wir können ebenso zeigen, wie die Bewegung im Muskel durch bestimmte Vorgänge, die wieder unmittelbares Resultat chemischer Umsetzung sind, erzeugt wird. Aber anzugeben, wie unser seelisches Leben zu stande kommt, dazu geben uns die Gehirnprocesse gar keinen Anhaltspunkt. Denn beiderlei Vorgänge sind an sich unvergleichbar“ (Menschen- und Thierseele [2. Aufl.] p. 7). Dicit G. H. Schneider: „Die Bewegung und das Bewusstwerden derselben sind zwei so fundamental verschiedene Erscheinungen, dass uns die Erklärung der einen aus der andern für immer unmöglich sein wird, selbst vorausgesetzt dass bei den Bewusstseinserscheinungen an sich keine andern Factoren als physikalische und chemische Processe mitwirken“ (Der menschliche Wille [Berlin 1882] p. 4).

133. Respondenda. *(Ad 1.)* Saepe contingit, ut res vel motus requiratur ad aliquem eventum. Sed aliud est eventum non fieri posse sine illis condicionibus; aliud est eventum in illis condicionibus totum contineri. Ad *cantum* requiritur os et oris apertio. Is vero nondum canit, qui habet os atque id aperit. Vitam sensitivam pendere a quadam motione et dispositione certa materiae, docuerunt uno ore antiqui philosophi, et physiologi nostrae aetatis permultis experimentis comprobarunt. Qua de re Aquinas: „Etsi", inquit, [calidum et frigidum et humidum et siccum et aliae huiusmodi] „qualitates corporum requirantur ad operationem sensus, non tamen ita, quod mediante virtute talium qualitatum operatio animae sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi . . .; [vegetatio autem] fit per organa corporea virtute corporeae qualitatis. . . . Digestio enim fit instrumentaliter per actionem caloris." [1]

(Ad. 2.) Concedimus cognitionis initia, quae se manifestent in animalibus imperfectissimis, vel etiam in embryonibus, tam infirma esse, ut vix ac ne vix quidem ab observantibus cum certitudine statui possint. Verum plurima in natura observatu difficilia sunt, quae tamen certe exsistunt. Natura enim limites rerum obliterare solet.

(Ad 3.) Admirabiles illae potentiae, quas videmus in organismis, minime causam habent in materia certo modo disposita. Actus cognitionis quod attinet, vidimus eos ab omnibus affectionibus materiae essentiali discrimine differre.

Dicent: Cognitio omnis uni parti materiae, quae sit omnium minima, attribui potest. — *Resp.:* Particula ista quantumvis minima semper erit res quanta materialis; ergo cognitionis incapax est. Est praeterea multis observationibus pathologicis confirmatum nullam reperiri cerebri partem, cui cognitio ascribi possit.

Obicient porro: Eccur fieri non possit, ut cognitio nascatur ex certa quadam conspiratione partium materialium, ita ut comparari possit termino multarum relationum vel foco, in quo radii lucis conveniant? — *Resp.:* Haec et similia a materialistis prolata sunt fucata et simulata. Retinendum est enim cognitionem esse actionem eamque unam et immanentem.

(Ad 4.) Proprietates substantiarum corporearum, quas certo novimus, eae sunt, ut facultates psychicas omnino excludant.

134. Solvuntur quae restant dubia. *Dicunt 1°.* Quotidie videmus aquam oriri ex oxygenio et hydrogenio. Pari ergo ratione fieri potuit, ut res cognoscentes ex rebus brutis orirentur [2]. — *Resp.: Om. antec.* Neganda est paritas. Substantiae enim, quae ex mixtione chemica nascuntur, eiusdem ordinis sunt atque substantiae elementares, neque alias qualitates habent nisi qualitates elementorum certo modo inter se ligatas et temperatas, et propter novum suum typum novam formam habere recte putantur. Substantiae autem cognoscentes diversi

[1] S. theol. 1, q. 78, a. 1.

[2] Dicit G. H. Schneider: „Dass sich aus den Elementen Verbindungen mit ganz verschiedenen Eigenschaften bilden können, ist eine Thatsache, die von uns jetzt täglich beobachtet wird; wie kommen wir nun dazu, uns über eine bestimmte Eigenschaft zu wundern und ihr ganz andere Ursachen als den übrigen zuzuschreiben?" (Der thierische Wille [Leipzig 1880] p. 135.)

et altioris ordinis sunt. „Omnis virtus cognoscitiva, in quantum huiusmodi, est immaterialis . . .; impossibile est igitur ex commixtione elementorum causari aliquam virtutem cognoscitivam.“ [1] Non autem negatur, quin actio elementorum instrumentaliter aliquo modo cooperari possit. [2]

Inst.: Fieri potest, ut mechanicus motus in calorem transmutetur; quidni etiam in cognitionem transmutari possit? [3] — *Resp.:* Motus mechanici in ea omnia transmutari possunt, quae vim suam et efficaciam non superant, modo in promptu sint ea, quae ad hanc transmutationem requiruntur. Quam ob rem etiam in eos processus chemico-physicos transmutari possunt, quae ad eliciendam cognitionem sensitivam tanquam organorum dispositiones sunt necessariae. Nunquam vero transmutari possunt in cognitionem ipsam, cuius nulla sit ad motum mechanicum proportio.

Dicunt 2°: Id quod ipsum destruitur destructa compositione physica chemicave materiae, etiam in sua origine a compositione quam diximus pendet [4]. Vita cognoscitiva igitur aliam causam non habet, nisi eius generis complexionem vel compositionem. — *Resp.: Dist. antec.:* id ab ista compositione pendet aut tanquam a causa proprie dicta, aut tanquam a conditione requisita, *conc. antec.;* necessario pendet tanquam a causa, *nego antec.* Illa igitur dependentia satis non est, ut inde inferatur aliquam complexionem materialem esse causam cognitionis. Inde enim, quod *laesa violina* cantus cessat, concludere tantum potes integritatem ligni ad cantum requiri; turpiter fallerere, si inde inferres lignum esse causam cantus. Itaque complexioni attribuuntur actus cognoscitivi sicut disponenti, et quantum ad id, quod est quasi materiale in actibus vitalibus; non vero tanquam causae principali ex parte eius, quod est in actibus illis formale.

Dicunt 3°: Formae rerum brutarum et formae, quae sunt in rebus cognoscentibus, eo conveniunt, quod varios appetitus rei determinant ad ipsius rei conservationem. Forma ergo rei cognoscentis non essentialiter differt a forma rei brutae. — *Resp.:* Nihilo setius essentialis intercedit differentia. Nam modus, quo diversae illae res ex prima et universali commendatione naturae sui ipsarum conservationi student, essentialiter diversus est. In rebus enim brutis non inest appetitus nisi appetitus naturalis, i. e. appetitus, qui a formis in natura praeiacentibus omnino determinatur. In rebus autem cognoscentibus praeter appetitum naturalem sunt appetitus spontanei vel voluntarii, quorum principia, quamquam in appetitu naturali radicantur, non tamen determinantur ex natura rei, sed ex cognitione obiectorum, quae ens cognoscens sibi cum aliquali conscientia repraesentat.

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 62.

[2] Id. Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 11 ad 17.

[3] Ita D. F. Strauss, Alter und neuer Glaube p. 210. Herbert Spencer, First principles § 71 sqq.

[4] „Zerstöre ich die chemische Zusammensetzung der Nervensubstanz durch Zusatz eines bestimmten Stoffes, so schwindet auch das Gefühl; das ist ein vollständig genügender Beweis dafür, dass sein Entstehen ganz und gar auf dem Zustandekommen einer bestimmten chemischen Verbindung beruht, wie sein Vergehen durch die Auflösung derselben bedingt ist“ (Schneider l. c. p. 139).

Dicunt 4°: Certum est res organicas ex anorganicis oriri posse. Pari ergo ratione arbitrandum est res cognoscentes ex rebus brutis traxisse originem [1]. — *Resp.: Nego antec.*, id quod proxime ostensuri sumus. Neganda praeterea est paritas. Animalia enim multo magis supra materiam brutam elevantur, quam res organicae supra anorganicas.

Quaeritur secundo:

quo discrimine differant res organicae ab anorganicis.

135. **Rationes dubitandi.** Videtur discrimen accidentale tantum intercedere inter res organicas atque anorganicas. Nam (1.) quidquid in organismo efficitur, speciali quodam motu naturali efficitur, sive per calorem, sive per electricitatem, sive per lumen, sive per affinitatem chemicam, sive his rebus omnibus in unum collectis. Sed discrimen omne, quod propter affectiones, quae sunt in hoc genere, ponitur, accidentale est.

(2.) Vix deinde dubium est, quin res organicae ex anorganicis oriri possint. Ergo speciali differentia ontologica non discriminantur.

(3.) Nullus est saltus in natura, sed infimum superioris in omnibus rebus cum supremo inferioris coniungitur. Quis vero non videt ingentem in natura saltum, si res organicae tanto discrimine distarent a rebus anorganicis? Et revera organismi ut sunt moneres, rhizopoda, amoebae, constituuntur massa quadam, sarcodam vocant, quae vix ac ne vix quidem a massa rei anorganicae distingui potest.

(4.) Sicut corpora organica sese constituunt secundum certum quantitatis typum, sese conservant, ita etiam res anorganicas videmus ipsas sese mirabili perfectione constituere atque conservare. Etsi igitur differentia, quae ex gradu iudicatur, admitti debet, ea tamen minime videtur esse essentialis.

(5.) Eadem fere differentia inter vitam organicam et electricitatem esse videtur, quae est inter electricitatem et motum mechanicum, vel frictionem aliquam. Ergo illa differentia non specialior esse putanda est quam haec.

136. **Thesis:** **Corpora organica secundum essentiam ontologicam speciali ratione differunt a corporibus anorganicis** (Phil. nat. n. 185).

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Corpora organica ea omnia esse scimus, quae ex se formant eas partes inter se dissimiles, actionibus certis et variis functionibus adaptatas, quas organa vocare solemus. Sunt vero animalia et plantae. De cognitione modo diximus; restat, ut nunc vitam vegetativam in disceptationem vocemus; quam vitam operatione triplici absolvi scimus (n. 48, n. 76).

---

[1] „Die Möglichkeit, dass sich aus gefühllosen Verbindungen eine fühlende bilden konnte, ist nicht weniger begreiflich, als die Wahrscheinlichkeit, dass aus leblosen Gebilden durch Urzeugung lebende entstanden sind“ (Schneider l. c. 135).

Praenota 2°. Differentia quam statuimus est secundum essentiam ontologicam, et speciali ratione differt ab illis differentiis essentialibus, quibus diversae res anorganicae inter se distingui possunt. Videbimus postea, hanc, quae nunc statuitur differentia ut speciali ratione ontologica, esse substantialem.

Praenota 3°. Adversarii, quos physicalistas vocant, potissimum eo insistunt, quod, quidquid in vita organica sive vegetativa eveniat, viribus physicis chemicisve efficiatur. Iam antiquis notum erat operationibus omnibus vegetativis inservire qualitates activas et passivas materiae[1].

De cetero, quae de vita cognoscitiva in thesi, quae antecessit, praecepta sunt, eadem ad vitam vegetativam pertinebunt, quamvis hoc loco propter huius vitae obscuritatem disputatio sit paullo abstrusior.

137. Argumenta. *Arg. I* (ex diversitate appetituum naturalium). Ubi est specialis et essentialis appetituum naturalium diversitas, ibi specialis et essentialis est ipsarum rerum sive naturarum diversitas. Atqui appetitus naturalis corporis organici essentialiter et specialiter diversus est ab appetitu cuiuslibet rei anorganicae. Ergo corpora organica a rebus anorganicis secundum essentiam ontologicam specialiter differunt.

Prob. min. Appetitus corporis organici ad id tendit, ut aliis rebus substantialiter intussusceptis nutriatur secundum certas leges toti corpori proprias, cui elementa nutrimentorum omnia subduntur; augeatur secundum certum typum ab ipso corpore quasi praescriptum; secundum hunc eundem typum sanetur, redintegretur, propagetur in indefinitum.

Appetitus autem rei anorganicae eo continetur, quod res se in typo quantitativo constituit, seque conservat in statu accepto et versus alias res fertur ad has immutandas.

Est igitur essentialis et specialis diversitas appetituum.

Id inspicienti accuratius phaenomena vitalia est expeditissimum. Nam a) elaboratur organismus non solum ad certam cellularum summam, sed ad artificiosissimam illam structuram secundum typum certum, determinatum, multiplicem, ordinatissimum, immutabilem, idque sub externis conditionibus admodum variis et diversis. b) Conservatur organismus vicissitudine materiae advenientis et abeuntis nunquam interrupta; conservatur laesus, vulneratus, ita ut violationi cuilibet organismus, quantum potest, media aptissima adhibere conetur. c) Propagatur organismus in indefinitum sine ulla per tempus virium diminutione. Solet igitur organismus temperamento omni virium anorganicarum, quae in ipso reperiuntur, dominari.

[1] S. Thomas In l. 2 de an. lect. 7.

Arg. II (ex diversitate inter actionem transeuntem et immanentem). Discrimen, quod inter res anorganicas et organismos intercedit, in eo est, ut rerum anorganicarum activitas e subiecto egrediatur ad immutanda alia; contra organismorum activitas perficiat ipsum subiectum, in quo est. Atqui est discrimen essentiale inter activitatem transeuntem et immanentem ita, ut nulla actionum transeuntium copulatione vel coniunctione actio immanens exsistere possit. Ergo etiam inter corpora organica et anorganicas res discrimen essentiale est ita, ut organismus ex nulla rerum anorganicarum coniunctione nasci possit.

Prob. mai. Res anorganicae postquam semel in suo typo naturali aequilibraliter sunt constitutae, in conditionibus forinsecus acceptis per vim inertiae se conservant, ac deinde ad immutanda alia vel generanda alia progrediuntur, in qua re activitatem suam exhauriunt. Ex hoc activitatis culmine sive capite tota activitas vocatur transiens; quamvis constitutio status naturalis atque exercitium inertiae habeat aliquam immanentiae speciem.

Organismorum vero actio immanens est. Organismus enim activitatem habet, quae ab initiis suis valet ad nutriendum, augendum, sanandum, propagandum ipsum organismum tanquam ens unum [1]. Ergo activitas illa, qua suam quisque organismus et evolutionem quaerit et restaurationem et propagationem, in idem illud subiectum dirigitur, a quo procedit. Atque ita activitas est immanens, quamquam singulae activitates partiales, quae ad finem conservationis organicae adhibentur, aliquam actionis transeuntis speciem habent.

Prob. min. Inter actionem transeuntem et immanentem id discriminis esse, quod diximus, inde potissimum perspicuum est, quod in actione, immanente

---

[1] Qui est de propagatione locus in hac disputatione, is quam qui maxime attendendus est. Qua de re praeclare testatur Henle: „Als immateriell bekundet sich die bildende Seele durch ihr Bestehen über dem Wechsel der materiellen Bestandtheile, durch ihre Fähigkeit, die typische Form mittelst verstümmelter Träger unverstümmelt zu reproduciren, endlich durch ihre Theilbarkeit ohne Verlust an Intensität. Die letztgenannte Eigenschaft unterscheidet sie auch von den imponderabeln Agentien der anorganischen Natur und steht dem Versuche der Monisten entgegen, die Fortpflanzung der Lebensthätigkeiten nach Art der Fortpflanzung der Wärme, des Lichtes, der Elektricität auf Mittheilung von Molecularbewegungen zurückzuführen. Die imponderablen Kräfte sind endlich: ihre Intensität steht im umgekehrten Verhältniss zu der Masse des Stoffs, über welche sie sich verbreiten. Auch das Material der organischen Körper ist endlich, aber die Fähigkeit der Thier- und Pflanzenseelen, dies Material, soweit es reicht, sich zu eigen zu machen und demselben ihren Stempel aufzudrücken, ist unendlich. Die Behauptung, dass jede Art organischer Wesen, wenn ihr nicht äussere Hindernisse entgegenständen, im stande wäre, in kurzer Zeit für sich allein die Erde in Beschlag zu nehmen, ist ja ... der Ausgangspunkt der Darwinischen Lehre“ (Anthropologische Vorträge [fasc. 2] p. 92).

corporum organicorum specialis est entis in se ipsum reditio (vel potius apud se ipsum remansio), qua ens accipit substantias alias, ut per materiae vicissitudines se constituat secundum certum typum atque conservet atque in eadem specie propaget. Sed talis erga se ipsum operatio iam a primis suis initiis proficiscens ab operatione transeunte omnino diversa est. Id ita in promptu est, ut res disceptatione non egeat.

Arg. III (ex diversitate quae est inter organismos et res anorganicas morphologica atque dynamica). Diversitas entium interna manifestatur in diversis proprietatibus externis et agendi rationibus. Atqui constans et specialis est differentia inter haec phaenomena in organismis et in rebus anorganicis [1]. Ergo specialis est etiam differentia ontologica.

Confirmatur id quod diximus 1° testimonio physiologorum nostrae aetatis, ex quibus a) nemo ausus est, declarare et exponere, quae sit proportio inter effectus organicos et causas anorganicas; b) permulti aperte confessi sunt, phaenomena vitae vegetativae ex viribus rerum anorganicarum trahi non posse [2].

Confirmatur 2° inde quod nunquam facta est ulla generatio aequivoca (Phil. nat. n. 189).

Confirmatur 3° ex ipsis effectibus chemicis, qui organismis sunt proprii. In rebus enim anorganicis effectus omnes ex elementis resultantes homogenei sunt atque omni structura organica carent. Sed in organismis resultant qui admodum inter se heterogenei sunt et multiplicem organorum varietatem efficiunt.

138. Respondenda. *(Ad 1.)* Antiquis iam notum erat nihil reapse in vita vegetativa fieri, quin efficiatur viribus materiae. Id docuit Aquinas, quum diceret huius vitae operationibus omnibus deservire qualitates activas et passivas [3]. Sed inest in phaenomenis vitalibus aliquid, quod minime ab istis causis

---

[1] Cfr. F. Frédault, Traité d'anthropologie physiologique et philosophique l. 2, c. 1, § 1.

[2] Cfr. C. Claus, Grundzüge der Zoologie (3. Aufl. Marb. 1876) p. 2. — Dicit Claude Bernard: „Les êtres vivants présentent des phénomènes qui ne se retrouvent pas dans la matière brute, et qui par conséquent leur sont spéciaux. J'admets que les manifestations vitales ne sauraient être élucidées par les seuls phénomènes physico-chimiques connus dans la matière brute" (Introd. à l'étude de la médecine expérimentale part 2, ch. 1, § 5). Dicit Bernstein: „Wir gelangen in der Verfolgung der Lebensthätigkeit zu einer Grenze, bei welcher die chemischen Anschauungen uns gänzlich im Stiche lassen. Gesetzt wir könnten uns die Synthese der lebenden Materie als einen rein chemischen Process ableiten, so würde hierdurch Wachsthum und Vermehrung der Organismen immer nur im Hinblick auf die Zunahme der Masse erklärt sein."

[3] In l. 2 de an. lect. 7. Id ipsum dixerat S. Augustinus l. 2 de quantitate animae c. 33.

naturalibus trahi potest, quum istis causis superius sit. Calor ex natura sua ad dissolvendum aptus est, non vero ad coniungendum. Luce phaenomena vitalia iuvari possunt, effici minime. Affinitas chemica multiplici ratione in vita organica ad usum adducitur, prout perfectioni organismi conveniens est. Sed perpetua haec et ad finem apta adductio solis chemicis proprietatibus minime dirigitur. Neque in auxilium vocent electricitatem. Haec enim, etsi etiam in rebus organicis magnas partes habet, tamen a motibus vitalibus pendet, eos non dirigit. Neve dixerit quispiam, his motibus naturalibus omnibus peculiari ratione aggregatis vitam organicam constitui posse. Quorum enim singula ad effectum ipsum ut vitalem producendum ne prima quidem exordia ponunt, eorum ne accuratissima quidem aggregatio effectui absolvendo par erit. Id cogitanti cuique expeditissimum est. Si enim in organismo nihil esset praeter motus naturales materiae speciali ratione aggregatae, iam specialis aliqua aggregatio, qua ad unicam cellulam primordialem constituendam elementa materialia consociantur, id esset, quo vires formaeve elementorum redderentur efficaces et proportionatae ad integrum organismum elaborandum, conservandum, sanandum, propagandum, multiplicandum, sescenties in indefinitum usque, idque sine ulla virtutis vitalis imminutione. Atqui id esse non posse est in perspicuis; nisi velimus credere effectum posse causam suam ultra omnem modum superare.

Quae quum ita sint, iam quilibet videt, quam parum apte Pflüger vitam organismi inde explicet, quod totum systema nerveum dicat esse unam „moleculam giganteam“ (Riesenmolecül); quod Haeckel ortum organismi vocet processum quendam crystallizationis, qui sibi specialem aggregationem materiae expostulet; quod Schleiden dicat de processu mutuo inter partes externas atque internas (Differenzirung zwischen Umschliessung und Eingeschlossenen); quod alii crystalla albuminea et disdiaclasta in auxilium vocent, alii certas materiae proprietates. Nam vanis nominibus propositionibusque gratuito affirmatis nihil prorsus in hoc negotio efficitur. Potest quidem ex his similibusve materialibus conditionibus peti causa, ob quam in organismis reperiantur hae vel illae proprietates materiales. At vero nunquam in istis rebus causam ipsius vitae reperies.

Dices: Saepissime tamen in natura accidit, ut ex causis aliis alii oriantur effectus, velut ex motu mechanico *calor*, vel *electricitas*, ex oxygenio et hydrogenio *aqua*. Ergo nihil obstat, quominus ex eventibus chemicis vel physicis oriri eventus vitales putemus. — *Resp.: Dist. antec.:* oriri possunt alia, quae eundem cum causis ordinem habent, *conc. antec.;* quae causarum ordinem excedunt, *nego antec.*

Operationes omnes diversarum rerum anorganicarum sunt in uno genere actionis transeuntis; organismi autem operatio est actio immanens. Recte igitur constitutum est, discrimen, quo differant res organicae et anorganicae, esse **speciale omnino.**

(Ad 2.) Nec vero audiendi sunt, qui dicunt a chemicis arte confectas esse res organicas atque etiam cellulas. Licet ergo, inquiunt, sperare, fore ut progrediente scientia efficiant quoque plantas, bestias, homines. — Quibus respondendum est: Effecerint chemici arte sua aliquas res, quae in natura non reperiuntur extra organismos — organicas vocant (Phil. nat. n. 191): nun-

quam tamen effecerunt res organizatas, in quibus motus vitalis fuerit. Neque eius generis unquam efficient quidquam. Certum est enim, id quod ex se sponte sua moveatur, esse alius et altioris ordinis quam quod pulsu agitetur alieno tantum.

At, *inquis 1°*, a chemicis per artem et industriam effecta est cellula, quam organismi initia esse scimus. — *Resp.:* Effectum est a chemicis compositum quoddam chemicum, cuius externa superficies consolidata cutis instar rem totam includit eo fere modo, quo membrana cellulae massam protoplasmatis includit; in quo artificio etiam genus quoddam endosmosis physicae videri potest. Sed nulla est in hac re organizatio, nullus motus vivus, nulla multiplicandi cellulas facultas. Sed quis non videt, quantum distet haec res a cellula viva, in qua initia organismi cognovimus?

Dices 2°: Sciunt physiologi discrimen inter protoplasma vivum et protoplasma mortuum inde petendum esse, quod protoplasma vivum certos quosdam complexus aldehydi habet, qui in mortuo desunt; vel etiam certas moleculas cyclidicas continet, quae destruuntur quum protoplasma moritur. Ergo non est dubium, quin tota vita protoplasmatis constituatur compositione quadam chemica. — *Resp.:* Detexerint viri isti doctissimi aliquas conditiones materiales, quae propter requisitam mobilitatem materiae ad vitam organicam sunt necessario praerequisitae. Nemo tamen unquam declarare poterit, eiusmodi conditionibus vitam ipsam constitui.

Dices 3°: Hominibus, qui in aliqua disciplina sunt peritissimi, credendum est. Sed Haeckel aliique testantur esse moneras, i. e. copulationes quasdam chemicas et physicas, quae aperte vivant[1]. — *Resp.:* Haec et similia a quibusdam audacter prolata, sed mox accuratius observata detecta sunt ab omni veritate remotissima (Phil. nat. n. 191).

Inst.: Necesse tamen est, ut putemus olim organismos ex rebus anorganicis semel originem duxisse. Id asseverant Wiener, Burmeister, Zöllner, F. A. Lange (Phil. nat. n. 190), sescenti alii. Quod si ita est, iam omne discrimen essentiale inter res vivas et anorganicas evanescit. — *Resp.:* Hodie inter viros doctissimos adeo certum est ex rebus anorganicis non fieri organismos, ut etiam certum sit id nunquam ante evenisse. Neque ad diversas naturae conditiones, quae tum temporis fuerint, provocare licet. Nam probe novimus calorem, pressionem, tensionemve, lucem, electricitatem, si intendantur, vitam organicam non iuvare, sed impedire penitus atque delere (n. 128).

---

[1] Hac in re celeberrimus est bathybius Haeckelii. Alio loco dicit Haeckel: „In einer Flüssigkeit, welche die den Organismus zusammensetzenden chemischen Elemente gelöst enthält (?), bilden sich infolge bestimmter (?) Bewegungen der verschiedenen Molecüle gegeneinander bestimmte (?) Anziehungsmittelpunkte, in denen Atome der organogenen Elemente (Kohlen-, Sauer-, Wasser-, Stickstoff) in so innige Berührung (?) miteinander treten, dass sie sich zur Bildung ternärer und quaternärer Molecüle vereinigen. Diese erste organische (?) Atomgruppe, vielleicht ein Eiweissmolecül, wirkt nun gleich den analogen Kernkrystallen anziehend auf die gleichartigen Atome, welche in der umgebenden Mutterlauge gelöst sind und welche nun gleichfalls zur Bildung gleicher Molecüle zusammentreten. Hierdurch wächst das Eiweisskörnchen und gestaltet sich zu einem homogenen organischen Individuum, einem structurlosen Moner- oder Plasmaklumpen“ (Generelle Morphologie I, 182).

(Ad 3.) Non est dubium, quin ubique in natura reperiantur gradus rerum, qui sint essentialiter diversi. Neque dubium est, quin simul cum his differentiis essentialibus, quibus res secundum species et genera inter se distinguuntur, reperiantur quoque similitudines vel analogiae, quibus res omnes inter se ita coniunguntur, ut in confiniis quasi in unum confluere videantur.

Protozoa illa, de quibus adversarii, non quidem diversa organa habent pro diversis operationibus idonea, habent tamen partes dissimilares, quibus operationes vitae vegetativae atque etiam cognoscitivae efficiuntur.

Si quis vero ea quae diximus labefactare velit, iterum adducens res, quae in terminis vel confiniis positae discerni non possunt, utrum intra an extra ordinem rerum organicarum sint, repetemus id quod diximus, ambiguitatem non in rebus esse, sed in nostra tantum cognitione; neque nobis nunc de confiniis vel terminis, sed de tota possessione disputationem esse; ad quam quae res omnes pertineant, videant qui harum rerum periti sunt.

(Ad 4.) Per analogiam res anorganicae cum organicis praeclare coniunguntur. Constitutioni enim typi quantitativi in rebus anorganicis putari potest respondere augmentatio sive evolutio typi organici; inertiae respondebit nutritio; activitati alias res immutandi vel generandi respondebit productio individui similis organici in eadem specie. Neque tamen haec analogia ullo modo impedit, quominus actio immanens omnino diversa sit atque actio transiens. Et quamvis actio immanens actiones multas transeuntes sibi subservientes habeat, ipsa tamen nulla ratione ab actione transeunte introducitur.

(*Ad 5* supra [ad 1.] responsum est satis.)

Alia quae excitari possunt dubia in Philosophia naturali (n. 139) soluta habemus.

139. Scholion. Ex dictis apparet, inter quaestionem, quae est de discrimine essentiali inter cognoscentia et non-cognoscentia atque inter viventia et non-viventia, et quaestionem, qua quaeritur, quinam sit harum rerum ortus, permagnam esse necessitudinem[1].

Postquam demonstratum est discrimen istud essentiale habere locum, certum esse debet nullo modo fieri potuisse, ut organica ex anorganicis, et cognoscentia ex non cognoscentibus orirentur (Phil. nat. n. 573).

SECTIO QUARTA.

De vitae viventiumque divisione.

140. Exponitur doctrina. Permagnum inter varios viventium ordines discrimen intercedere in manifestis est. „Plantae habent

[1] Hae quaestiones etsi non adeo cum veritatibus fidei cohaerent, ut nonnullis videntur, tamen aliquem cum his veritatibus nexum habent. Unde christiano philosopho — id quod in simili quaestione monet Aquinas — duo vitanda sunt, „quorum unum est, ne in hac quaestione aliquid falsum asseratur et praecipue, quod veritati fidei contradicat; aliud est, ne quidquid verum aliquis esse crediderit, statim velit asserere hoc ad veritatem fidei pertinere“ S. Thomas, Quaest. disput. q. 3, de pot. a. 1).

imperfectissimam vitam et occultam. . . . Inter animalia perfectiora sunt, communiter loquendo, terrestria avibus et piscibus, non quod pisces memoria careant, sed propter distinctionem membrorum et perfectionem generationis. Quantum autem ad aliquas sagacitates, etiam aliqua animalia imperfecta magis vigent, ut *apes* et *formicae* . . . Perfectissimus autem gradus vitae est in homine."[1]

In plantis inest vita nutritiva (*τὸ θρεπτικόν*); in beluis accedit sensatio, appetitus sensitivus, motus spontaneus (*τὸ αἰσθητικόν*, *τὸ ὀρεκτικόν*, *τὸ κινητικόν*); homini praeterea competit natura rationalis (*νοῦς*)[2].

Triplex vivendi genus petebant Aristotelici potissimum ex triplici omnis motus elemento: ex exsecutione motus, ex principio formali sive forma motum determinante, ex fine motui proposito. Perfectissima est vita intellectiva, in qua vivens non solum actiones vitales exsequatur et species sive formas cognoscitivas, quibus actiones hae determinentur, sibi per cognitionem acquirat, sed etiam fines actionum sibi cum libertate praestituat. Minus perfecta est vita sensitiva, in qua fines particulares viventi a natura praestituti sint. Imperfectissima est vita vegetativa, in qua vivens principia sive formas determinantes atque etiam fines a natura data habeat, ita ut ipsi sola exsecutio motus vitalis relinquatur[3].

Secundum hunc triplicem vivendi gradum corpora viventia omnia in homines, beluas, plantas divisa sunt.

Beluas quod attinet, eae iam a veteribus per multas fixas species sunt distributae.

Aristoteles divisit beluas in eas, quae sanguinem habent et quae sanguine carent; deinde alias classes posuit[4].

Classificationes a posterioribus effectas breviter et ad rem accommodate proponit Zigliara[5]. Linné (1707—1778) ex colore et calore sanguinis desumpsit primitivam classificationem animantium, cui postea subnexuit alias subdivisiones

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 72 a. un.

[2] Arist. l. 2 de an. c. 2, 413 b, 11 et 32; l. 3, c. 1, 425 a, 9; c. 9, 432 b, 23, aliis locis.

[3] Cfr. ibid. c. 12; l. 8 de hist. an. c. 1.

[4]

Ἔναιμα.	*Ἄναιμα.*
1. *ζωοτοκοῦντα ἐν αὐτοῖς*	5. *μαλάκια*
2. *ὄρνιθες*	6. *μαλακόστρακα*
3. *τετράποδα ἢ ἄποδα ᾠοτοκοῦντα*	7. *ἔντομα*
4. *ἰχθύες.*	8. *ὀστρακοδέρματα.*

[5] Psychol. l. 1, c. 2, a. 3.

sive modificationes desumptas sive ex corde, sive ex respiratione, sive ex organis reproductionis, sive ex modo reproducendi. — Sanguis alius est rubeus-calidus; alius rubeus-frigidus, alius albus-frigidus. — Cor autem est aut biauritum-biloculare, aut biauritum-uniloculare, aut uniauritum-uniloculare. — Respiratio est ex pulmone vel constante, vel arbitrario, vel branchiali. — Reproductio autem est aut per ovum, aut per vivificationem in utero. — Quibus positis principalibus observationibus, Linnaeus tradit haec suprema capita divisionum:

I. Animalia cum sanguine rubeo-calido, corde biaurito-biloculari, pulmone constanti. Haec autem ratione generationis subdividuntur in vivipara sive mammifera, et in ovipara sive volatilia. — II. Animalia cum sanguine rubeo-frigido et ovipara. Quae subdividuntur ratione cordis et pulmonis in amphibia, quae cor habent biauritum et uniloculare et pulmonem arbitrarium, et cetacea et pisces, in quibus cor est uniauritum et uniloculare et respiratio branchialis. — III. Animalia cum sanie frigida-albida, quae subdividuntur in primigenia seu insecta, et tentacolata seu vermes.

Divisio Linnaei tradebatur in scholis usque ad Lamarck (1744—1829), qui non a sanguinis colore, sed a vertebratione divisit animantia in vertebrata, et in invertebrata. — Vertebrata sunt animantia superiora, mammifera, aves, reptilia, pisces. Invertebrata sunt animantia inferiora, quae in articulata et inarticulata subdividuntur.

Cuvier (1769—1832) retinuit divisionem Lamarckii, sed animantia articulata subdivisit in crustacea branchialia, et insecta trachealia. Pariter et inarticulata subdivisit in duas classes, quarum una complectitur mollusca, altera vero zoophyta, quae etiam radiata appellavit. Principium classificationis non in sanguine, ut Aristoteles, neque in colore et calore sanguinis, ut Linnaeus, sed in vitae explicatione et praecipue in systemate nerveo quaesivit, cuius perfectionem et praeeminentiam determinavit ex maiore minoreve volumine cerebri, a quo nervi exoriantur. Hinc mollusca quoad animantia invertebrata sive inferiora priora sunt insectis, quae praecedunt radiata.

Aliae insuper subdivisiones postea additae sunt a Blainville, qui reptilia subdivisit in nudipellifera et in squamosa, a Milne Edwards, qui nudipellifera in varias species distribuit, et ab aliis, qui modo unam modo alteram speciem subdiviserunt.

Distributio recentior haec fere est:

Protozoa, coelenterata, echinodermata, molluscoidea, mollusca, tunicata, vermes, arthropoda, vertebrata. Alii paulo aliter rem proponunt: protozoa, coelenterata, echinodermata, vermes, arthropoda, crustacea, arachnoidea, myriopoda, insecta, mollusca, vertebrata, reptilia, aves, mammalia.

Praecipue typos septem principes esse dicunt, qui certa ratione inter se distinguantur: protozoa, actinozoa sive radiata, tunicata, vermes, arthropoda, mollusca, vertebrata. Quos ordines zoologi omnes iterum (Phil. nat. n. 582) ac tertio in certas et fixas classes distribuunt, quae praeruptis intervallis inter se disiungantur nec ulla ratione formis mediis tamquam transitionibus

connectantur[1]. Consimiliter plantae in certos typos certasque classes divisae sunt (Phil. nat. n. c.).

141. Reperiuntur vero multi praecipue hac nostra aetate (evolutionistas vocant), a quibus ullum inter organismos discrimen esse, quod essentiale sit, negatur. Ex quo conclusum est omnes viventium species ex specie primordiali sive ex organismo fundamentali deducendas esse. Si vero quaerat quispiam, quomodo factum sit, ut diversitas ordinum viventium oriatur, alii aliam huius rei causam indicant.

Lamarck multis explicat, propter externarum conditionum circumstantiam, in quas res viventes inciderint, in his diversas indigentias atque sese conservandi necessitates ortas esse, his diversa desideria excitata; atque his facultates varias natas, quae desideriis respondeant, atque ex his demum orta organa varia, quibus facultates exerceri possint. Organismum deinde propter usum organorum perfectum esse, per non-usum haud raro in statum imperfectum redactum. Cuius rei exemplum sit hoc: Ex necessitate vescendi carnibus orta est consuetudo infigendi in has carnes digitos; hinc in quadrupedibus, qui carnibus vescuntur, paulatim digiti separati et ungues illi adunci orti sunt, quibus nunc utuntur.

Alia ratione rem explicat Darwin, qui adaptationem mechanicam adhibuit, quae quum selectioni artificiali sit similis, ab ipso „selectio naturalis“ vocata est vel etiam „pugna pro conservanda exsistentia“. Haec adaptatio in variabilitate infinita omnium rerum fundamenta habet; ipsa vero nihil est, nisi quaedam ad exsistendum aptitudo negativa, quae agitante casu res infinitas per infinita saecula in multis individuis oriri debuit. Et est quaedam selectionis sive pugnae imago, quatenus in variarum rerum concursione aptiones manere, ineptiones interire debuerunt (Phil. nat. n. 578).

Ab evolutionistis omnibus negata est ea qua homines, beluae, plantae inter se separantur diversitas essentialis. Non aliud discrimen inter viventium classes est agnitum, quam quo variae hominum varietates inter se separentur. Haec causa gravis est, atque omni circumspectione tractanda. Quam ob rem 1° tres statuemus vitae gradus genericos; 2° speciale discrimen confirmabimus inter plantas et animalia, atque etiam inter bestias et hominem; 3° videbimus multos beluarum atque plantarum ordines esse, quae specie inter se differant; 4° homines vero omnes ad unam speciem pertinere retinebimus.

[1] De animalium distributione cfr. imprimis Claus, Grundzüge der Zoologie. 3. Aufl. Marburg 1876. Pagenstecher, Allgemeine Zoologie I (Berlin 1875), 315. G. de Hayek, Handbuch der Zoologie. Wien, Gerold, 1894. Inter foraminifera reperiri determinatas classes clare ostendit Moebius (in libello: Foraminiferen von Mauritius. Berlin 1880). De organismis marinis Victor Hensen nonnulla proposuit in libello: Die Plancton-Expedition. Leipzig 1891.

Quaeritur primo:

qui sint vitae gradus essentiales.

142. **Rationes dubitandi.** (1.) Quinque gradus vitae statuendi esse videntur: intellectivus, sensitivus, appetitivus, locomotivus, vegetativus.

(2.) Vel ponantur quattuor vitae gradus sive genera: intellectivum, sensitivum, vegetativum, progressivum sive locomotivum.

(3.) Vel melius Pythagorei quattuor vitae genera constituisse videntur: genetrix, nutritivum, sensitivum, intellectivum; quae interdum revocarunt ad duo: partem rationis participem vel partem rationis expertem; interdum vero ad tria: *φρένα*, *νοῦν*, *θυμόν*.

(4.) Videtur vita duplex tantum esse secundum distinctionem genericam; quarum una intentionalis est, et cognitione appetitioneque absolvitur; altera physica, quae inest in rebus vegetalibus.

(5.) Si duo vel tres sunt gradus vitae inter se essentialiter diversi, iam in unoquoque animali erit anima duplex, in homine anima triplex. Atqui id putari non potest.

143. **Thesis: Tres sunt in hoc mundo visibili gradus vitae generici: vitae vegetativae, sensitivae intellectivae.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* In rebus viventibus distingui solent ab Aristotelicis quinque genera potentiarum: vegetativum, sensitivum, appetitivum, locomotivum, intellectivum. Ex quibus appetitivum semper cum sensitivo vel intellectivo coniunctum est. Quam ob rem quattuor tantum vivendi modos distinguunt: vegetativum, sensitivum, locomotivum, intellectivum. Et quia modus locomotivus ad perfectionem vitae sensitivae pertinet, tres tantum gradus generici vitae numerari solent.

Praenota 2. Gradus vitae non intelliguntur homogenei vel accidentales, qui sola virium vitalium intensitate in eodem vitae genere constituantur, sed gradus ponuntur heterogenei et essentialiter inter se diversi.

Argumenta. *Arg. 1* (ex gradu triplici perfectionis vitalis). Ea vivunt, quae operantur ex se ipsis et non quasi ab aliis mota. Quo igitur perfectius competit viventi, ut se ipsum moveat, eo perfectior erit vita. Atqui in motu tria elementa sunt, quae tres movendi gradus constituunt inter se essentialiter diversos: finis, qui movet agentem, forma, quae motum determinat, exsecutio motus, quae instrumentis effici solet. Quo igitur plura ex his ens vivens non a natura determinata iam habet, sed sibi ipsum determinat vel efficit, eo perfectior erit vivendi gradus essentialis.

Primo inveniuntur in viventibus motus vitales, quorum exsecutionem dumtaxat res viva a se acquisitam habet, formam et

finem ab alio, i. e. a natura sibi data sive a naturae auctore. In hoc genere sunt nutritio, augmentatio, propagatio, in quibus finis et forma motus usque ad ultimam speciem actuum determinata sunt a natura. Quae tria ad vitam vegetativam spectant, quam recte dicunt esse nisum perficiendi se ipsum secundum formas in natura insitas et ad finem a natura praefixum.

Secundo inveniuntur, quae ulterius movent se ipsa, non solum habito respectu ad exsecutionem motus, sed etiam quantum ad formam, quae est principium motus, quam ipsa acquirunt. In quo genere est sensatio, appetitus sensitivus, locomotio spontanea, in quibus forma determinans sive principium motus ab ipso vivente per sensum acquiritur, sed finis inditus est a natura, cuius instinctu ad aliquod agendum moventur secundum formam sensu apprehensam. Quae res pertinent ad vitam sensitivam, quam recte dicunt esse nisum perficiendi se ipsum secundum formas non a natura insitas, sed sensu acquisitas, attamen ad finem, qui a natura praefixus est. Est igitur motus non solum immanens, sed etiam spontaneus.

Tertio reperiuntur, quae etiam ipsum finem sibi praestituunt, quod quidem non fit nisi per rationem et intellectum, cuius est cognoscere proportionem inter finem et id, quod est ad finem, et unum ordinare ad alterum. Hanc vitam intellectivam recte dicunt nisum perficiendi se ipsum non secundum formas et finem a natura praefixa, sed secundum formas a vivente ipso acquisitas et ad finem a vivente ipso praefixum. Est igitur motus non solum immanens et spontaneus, sed etiam ex libero arbitrio [1].

Dices: Ens intelligens eam habet necessitatem naturae, ut per cognitionem quaerat verum, per voluntatem quaerat bonum. Ergo finis ipsi a natura praefixus est. — *Resp.:* Recte id quidem. Et enti creato haec necessitas forinsecus data est. Ex quo sequitur in nulla creatura reperiri vitam omnino absolutam et omnibus numeris perfectam. Qua de re Aquinas: „Quamvis intellectus noster ad aliqua se agat, tamen aliqua sunt ei praestituta a natura, sicut sunt prima principia, circa quae non potest aliter se habere; et ultimus finis, quem non potest non velle. Unde licet quantum ad aliqua moveat se, tamen oportet, quod quantum ad aliqua ab alio moveatur. Illud igitur (ens), cuius sua natura est ipsum eius Intelligere, et cui id, quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est, quod obtinet summum gradum vitae; tale autem est Deus; unde in Deo maxime est vita.“ [2]

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 18, a. 3. Cfr. Summa c. gent. l. 1, c. 97 ad 99; l. 4, c. 13.

[2] S. theol. l. c.

Arg. II (ex elevatione triplici viventium supra materiam anorganicam)[1]. Vita est elevatio quaedam supra materiam. Quam ob rem tot sunt diversae vitae, quot sunt gradus heterogenei, quibus ens vivens supra materiam elevatur. „Omnis enim forma", inquit S. Thomas, „quanto est nobilior, tanto magis dominatur materiae, et minus ei immergitur, et magis eam sua virtute excedit." Atqui illius elevationis tres gradus sunt heterogenei. Ergo tria sunt vitae genera essentialiter diversa.

Prob. min. Eo magis elevantur viventia supra materiam, a) quo magis a materia id recedit, cuius ad vivendum indigent, et b) quo magis dependentia, qua vivens intrinsecus a materia pendet, minuitur. Sed

a) recessus iste est triplex essentialiter diversus. In vita vegetativa ipsa materia elementorum cum suis viribus ad exsecutionem vitae adhibetur. In vita sensitiva materia eatenus tantum est comprincipium actus vitalis, quatenus hic propter imagines materiales extensus est; ipsa autem virtus cognoscitiva, in quantum huiusmodi, est immaterialis[2]. Ad vitam intellectivam materia intrinsecus nullo modo requiritur; absolvitur enim haec vita conceptibus immaterialibus rerum quum materialium tum immaterialium.

b) Dependentia illa consimiliter triplici ratione essentialiter diversa minuitur. Vita vegetativa intervenientibus ipsis viribus chemicis et physicis efficitur. In vita sensitiva istae vires requiruntur tantum ad recte disponenda organa. „Etsi qualitates corporum requirantur ad operationem sensus, non tamen ita, quod mediante virtute talium qualitatum operatio animae sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi . . .; [vegetatio autem] fit per organa corporea et virtute corporeae qualitatis."[3] Ad vitam autem intellectivam ne imagines quidem materiales requiruntur, sed formae intellectuales satis sunt.

Haec argumenta duo hoc modo ad unum componi possunt: Vivens vivit, quatenus movet se ipsum. Quam ob rem tot erunt animarum genera, quot sunt gradus movendi se ipsum essentialiter diversi. Motus autem sui ipsius considerari potest ut processus et ut regressus. Iam vero in utroque tres gradus reperies. In vita vegetativa ens procedit in motum exsequendo ipsum; in vita sensitiva in motum et determinando et exsequendo ipsum; in vita autem intellectiva procedit in motum et dirigendo et determinando et exsequendo ipsum.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 1. [2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 62.
[3] Ibid.

Regressum quod attinet, in vita vegetativa ens regreditur in se cum ipsa obiecti substantia in substantiam totius organismi; in vita sensitiva regreditur in se cum obiecti imagine materiali ad speciale organum actionis illius; in vita autem intellectiva regreditur in se cum obiecti imagine intellectuali ad solam intellectivam potentiam a materia vacuam.

In quo negotio etiam triplex ipsius immanentiae gradus videri potest. Primus est, ut terminus actionis vitalis sit in materia in organismum totum intussuscepta. Secundus est, ut actio recipiatur in organo, quod est potentiae subiectum ex potentia et materia compositum, non autem in sola potentia. Tertius est, ut actio sit principiative in sola potentia.

144. *Arg. III* (ex cognitione, quae est in viventibus). Gradus vitae essentialiter diversus cognoscitur ex appetitu naturali essentialiter diverso. Sed appetitus naturalis cognoscitur ex cognitione, quae ipsi adiuncta est. Multis autem modis apparet, habitudinem cognitionis ad vitam esse triplicem. a) In vita vegetativa bonum appetitur, nec ullo modo cognoscitur. In vita sensitiva cognoscitur bonum ut delectabile in concreto. In vita intellectiva cognoscitur in abstracto et secundum se.

b) In vita vegetativa ens agit per se et erga se sine ulla sui conscientia. In vita sensitiva ens agit erga se cum imperfecta sui conscientia. In vita intellectiva ens agit erga se cum perfecta sui conscientia.

c) In vita vegetativa ens quaerit sese perficere acquirendo materiam solis viribus materialibus sine ulla vitae fruitione. In vita sensitiva ens quaerit sese perficere quaerendo satisfacere tactui animali cum imperfecta vitae fruitione, ita ut cognitiones quidem sint praesto, neque tamen ipsae quaerantur. In vita intellectiva ens quaerit sese perficere appetendo cognitiones ipsas (praecipue investigando causas) et agendo secundum ordinem rationis (praecipue in ordine ad honestatem).

Confirmatur (ex triplici ordine obiectorum, in quibus vita versatur). Tot sunt vitae, quot sunt ordines obiectorum formalium. Sed tria sunt obiectorum genera.

Primum genus corpore viventis proprio constituitur, quod intussusceptis rebus conservandum est. In quo genere versantur vires vegetativae, quae agunt corporeis qualitatibus.

Secundum genus omnia sensibilia sive corpora complectitur. Ad quae referuntur vires sensitivae, quae agunt in organis corporeis.

Tertium genus ad omnia entia sive intelligibilia extenditur. Quae cuncta apprehendi possunt viribus intellectivis; et hae quidem agunt ab organis intrinsecus non pendentes.

Quod aliis verbis sic dixeris: Est una actio vitalis, quae quoad obiectum est finita. „Alia actio de sui ratione habet infinitatem vel simpliciter vel secundum quid. Simpliciter quidem, sicut Intelligere, cuius obiectum est verum, et Velle, cuius obiectum est bonum; quorum unumquodque convertitur cum ente; et ita Intelligere et Velle, quantum est de se, habent se ad omnia, et utrumque recipit speciem ab obiecto. Secundum quid autem infinitum est Sentire, quod se habet ad omnia sensibilia, sicut *visus* ad omnia visibilia.“ [1]

Vel sic: Actio viventis transcendit actionem naturae tum quoad modum agendi, tum quoad id quod agitur. Quoad modum agendi omnis actio vitalis, quippe quae sit immanens, actionem naturae inanimae transcendit. Quoad vero id, quod agitur, actio vegetalis actionem naturae inanimae non transcendit. Quapropter vires animae vegetativae naturales vocantur. Sed actiones vitae cognoscitivae transcendunt actiones naturales etiam quantum ad id, quod agitur, quatenus in cognoscente sunt repraesentata alia. Sunt vero huius repraesentationis in homine duo gradus. Unus gradus est, quum in cognoscente sunt res secundum conditiones individuales et extensas tantum, atque is est gradus sensus. Tertius gradus est intellectus, qui recipit species omnino a materia et conditionibus materiae abstractas et universales [2].

Vel etiam hoc modo: „Esse vitale omnino materiale est, per quod res est solum id quod est et non aliud, et operatur pure ad hunc finem, ut conservet et augeat Esse secundum individuum; ac propaget secundum speciem illud Esse, quod habet. . . . Esse vitale omnino immateriale est, per quod res non est solum id quod est, sed etiam quodammodo omnia alia, et operatur ad hunc finem, ut habeat Esse etiam aliarum rerum separatum a materia et a conditionibus materialibus ac non receptum in organo materiali. . . . Esse vitale quodammodo medium inter omnino materiale et omnino immateriale est, per quod res ita est id quod est, ut sit etiam quodammodo alia, non omnia, sed quaedam, et operatur ad hunc finem, ut habeat etiam Esse rerum aliarum, receptum quidem in organo materiali, sed non cum omnibus conditionibus materialibus.“ [3]

Confirmatur (ex triplici extensione finis operationum vitalium). Finis totus vitae vegetativae non est in subiecto ut in individuo, sed ut in specie. Finis vitae sensitivae est quidem in subiecto ut in individuo, attamen in toto, quod ex anima et corpore compositum est. Finis autem vitae intellectivae est in sola anima, quae est pars compositi prior et nobilior, et ad eam compositum totum refertur.

145. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Non is erat animus, ut omnes ordines phaenomenorum vitalium vel potentiarum statueremus, sed ipsius vitae genera indicanda erant, ad quae omnes potentiae et modi vivendi reducantur. Potentia locomotiva sive contractibilitas, i. e. potentia comprimendi et dilatandi organa,

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 54, a. 2.

[2] Ita S. Thomas Quaest. disput. q. un. de an. a. 13.

[3] Sylv. Maurus, Quaest. philos. l. 4, q. 24.

propria est omnium animalium, quin immo in gradu remissiore omnium rerum viventium [1].

Consimiliter de appetitu arbitrandum est; qui in rebus omnibus sequitur naturam cognoscitivam eius, cui inest.

(Ad 2.) Ab iis, qui principium vitae proximum, i. e. solas potentias attendunt, quattuor ista viventium genera distincta sunt. Si vero attendatur principium vitae primum, i. e. ipsa substantia, huic distinctioni nullus locus est. Progressivum si quid constituit, constituit divisionem subalternam; at secundum sententiam probabiliorem ne hanc quidem; quia locomotio aliqua ratione (saltem secundum dilatationem et compressionem) in omnibus viventibus sensitivis reperitur.

(Ad 3.) Multa si placet vitae genera excogitari possunt, prout dividendi ratio diversa accipitur. Sed id quaeritur, quaenam divisio sit aptior et naturae rerum maxime accommodata.

(Ad 4.) Etsi vita intellectiva et sensitiva in genere vitae cognoscitivae conveniunt, discrimen tamen inter intellectivam et sensitivam certe non minus est, quam inter cognoscitivam et vegetativam. Discrimen autem istud, quum sit gravissimum, in ipsa divisione principe est exprimendum.

(Ad 5.) Vita est triplex, distincta realiter in rebus viventibus realiter distinctis. Ex iis, quae diximus, non sequitur tres vel duas animas esse in ea re, in qua reperiuntur tres vel duo gradus vitae generici. Numerus animarum ex aliis principiis iudicandus est. Sed multiplicitas tantum virtualis animarum ex distinctione quam posuimus concludenda est. Distinctio, quam probavimus, fundamenta habet in generica diversitate operationum vitalium; quam ob rem est distinctio rationis cum fundamento in re. Distinctio realis poni non potest nisi inter vitam unice vegetativam, et vegetativam cum sensitiva coniunctam, et vegetativam cum sensitiva et intellectiva coniunctam. Verum hac de re postea.

146. Scholion. Divisio, qua vita dividitur in intellectivam, sensitivam, vegetativam, non est analogi in analogata, sed generis in species. Nam differentia, qua vivens contrahitur ad vegetativum, sensitivum, intellectivum, est extra conceptum ipsius viventis (Log. n. 1203).

Quaeritur secundo:

quae differentia sit inter plantas, bestias, homines.

147. Introducitur quaestio. Abhinc omni tempore natura duce et scientia comprobante omnibus hominibus persuasum erat discrimen essentiale esse inter bestias et homines. „Quum saepe", ut est apud Lactantium, „philosophi per ignorantiam veritatis a ratione desciverint . . ., illud tamen nullus philosophus asseruit, nihil inter hominem et pecudem interesse; nec omnino quis-

[1] Cfr. Brentano, Psychologie des Aristoteles p. 60.

quam . . . rationale animal cum mutis et irrationabilibus coaequavit, quod faciunt imperiti atque ipsis pecudibus similes.“ [1]

Et totum hominem natura iis exornavit bonis, quae usui vitae intellectivae opportuna essent. Qua de re Tullius: „Ipsum hominem“, inquit, „eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus tanquam satellites attribuit ac nuntios: et rerum plurimarum obscurarum necessarias intelligentias enodavit, quasi fundamenta scientiae: figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam quum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad caelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur; et is, qui appellatur vultus, qui nullus in animante esse praeter hominem potest, indicat. . . . Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis.“ [2]

148. Magna vero de hac differentia dubitandi ratio ex similitudine ab adversariis petitur, quae multiplici ratione inter organismum humanum et beluinum intercedat. Quod si declaratur maximam etiam dissimilitudinem intercedere, hanc adversarii multis adductis rebus diluere conantur.

Ita magnitudo cerebri humani, inquiunt, non tanta est, quantam dixit Aristoteles. Cerebrum elephantis absolute maius est cerebro humano; immo cerebrum quarundam avium relative etiam maius est, si videlicet cum pondere totius corporis conferatur. Corpus simiae sub respectu morphologico, anatomico, physiologico, pathologico ad corpus humanum perfecta similitudine accedit. Conformitatem et constitutionem organorum internorum quod attinet, tantam Galenus docet esse inter sues et homines similitudinem, quanta maior esse non possit. Quis igitur dubitet, quin homo, simia, porcus sint in una eademque specie?

Sed contra responsum est, similitudine, qua homo cum reliquis animantibus coniungatur, ostendi quidem eum cum bestiis convenire in genere animalium propter vitam vegetativam et sensitivam: minime vero declarari hominem esse etiam in specie pecudum. Responsum est deinde, praeter similitudines etiam ingentem dissimilitudinem esse.

Unumquemque musculum, nervum, os quodlibet usque ad partes minutissimas apud simias et homines reperiri prorsus diversa idque a capite usque ad pedes [3]. Apud hominem alterutri cerebri hemisphaerae alteram tantum corporis partem subditam esse (unde apud solos homines hemiplegiam accidere

[1] L. de ira Dei c. 7.

[2] Cicero l. 1 de legg. c. 9. Et extensius de re eadem l. 2 de nat. deor. c. 56 sqq.

[3] Burmeister, Geschichte der Schöpfung p. 371.

posse); apud bestias corpus totum toti subdi cerebro. Sescenta alia sunt, quae enumerare ad anatomicos et physiologos spectat [1].

Etiam discrimen essentiale, quo separantur facultates humanae a facultatibus beluinis, ab adversariis in dubium trahebatur [2].

Verum id frustra. Sole enim illustrius et clarius est vitam intellectivam a vita sensitiva essentialiter separari; id quod ex supra disputatis apertum est satis.

149. Plurima etiam indicia reperta esse videbantur, ex quibus concluderetur hominem olim ex aliqua pecudum specie revera originem duxisse.

Ossa hominum reperta ex tempore praehistorico multo magis ad typum beluinum accedere dicebant. Et quolibet fere decennio usque ad nostrum tempus clamore percellimur alicuius hominis, qui gloriatur se invenisse ossiculum, ex quo evidenter appareret fuisse animalia media inter hominem et simiam. Per

---

[1] De musculo orali dicit Hyrtl (Anatomie des Menschen p. 391): „Bei keinem Thiere, selbst bei dem menschenähnlichsten Affen nicht, besitzt die Mundspalte eine so zahlreiche Musculatur wie im Menschen. Der Mund der Thiere kann deshalb nie jene verschiedenen Formen annehmen, welche ihn im Menschen zu einem so wichtigen und sprechenden Factor der Miene machen. Das ganze Spiel der Lippen beschränkt sich bei den Thieren auf das Ergreifen des Futters, auf das Fletschen der Zähne, auf die Hervorbringung einer Grimasse, welcher man es oft nicht ankennt, ob Freude oder Leid ihre Veranlassung ist."

[2] Dicit Volkmann: „Selbst die Berufung auf die complicirtesten Seelenvermögen, wie etwa die Sprachfertigkeit (Bonnet), Selbstperfectibilität (Rousseau), das Reflexionsvermögen (Reimarus), die Selbstschau des Geistes (C. G. Carus) u. s. w. langen nicht dazu hin, die Grenzlinie zwischen menschlichem und thierischem Seelenleben zu bestimmen, weil eine genaue Beobachtung zu dem Zugeständnisse nöthigt, dass auch an ihnen das Thier, wenngleich nur fragmentarisch, participirt. Dann haben auch umsichtige Forscher es vorgezogen, den Unterschied entweder in eine gradweise Erhebung innerhalb jedes einzelnen Seelenvermögens (Flemming) oder in gewisse quantitative Vorzüge des menschlichen Vorstellungslebens im ganzen zu verlegen (Tetens, Beneke). Herder hat es versucht, die Erhebung des Menschen über das Thier hauptsächlich aus der Vielseitigkeit der menschlichen Sinnlichkeit abzuleiten. Der Herbart'schen Psychologie gebührt das Verdienst [?], der Abgrenzung des thierischen Seelenlebens von dem Menschen nach absoluten Differenzen erfolgreich entgegengetreten zu sein. Herbart . . . führt die Begünstigung des menschlichen Vorstellungslebens vor dem thierischen lediglich auf somatische Vorzüge, namentlich in der Organisation der Hand und der Sprachwerkzeuge, zurück. Steinthal entscheidet sich gegen Herbart für eine ursprüngliche Differenz der Seelenqualitäten, weil es bei der Wechselbeziehung zwischen Seele und Leib unbegreiflich erscheine, wie eine Thierseele sich einen menschlichen Leib anzubilden vermöge."

ipsum tempus historicum intelligentiam hominum incredibiliter crevisse; hodie fabrum quemlibet vel rusticum acumine ingenii anteire Aristoteli. Reperiuntur homines microcephali, qui cerebrum habent, quale est canibus vel simiis, ex quo concludunt eos per atavismum in statum anteriorem recidisse evolutionis suae. Evolutio embryonis humani ontogenetica nonnullas formas vel gradus habet, quorum nulla esset causa, nisi poneretur hanc hominis individui evolutionem ontogeneticam esse repetitionem evolutionis phylogeneticae, per quam universum genus humanum ex protozois, amoebis, piscibus, ursis, lemuridibus ortum traxisset. Quae res confirmari eo videntur, quod in corpore humano rudimenta reperiuntur, i. e. formationes nullius prorsus utilitatis quarum exsistentia animum cogitantis offendere non potest, si ponatur eas res ex prioribus conditionibus piscium, simiarum residuas esse.

Sed contra hos responsum est, etiamsi homines, quales nunc sunt, ex aliqua beluarum specie sese evolvissent, nunc tamen propter acceptam forinsecus animam spiritualem ab omnibus beluis speciali ratione diversos esse. At nullo argumento ostensum est homines primos ex beluis originem traxisse [1].

Ossa quod attinet, fatentur omnes, qui harum rerum sunt peritissimi, etiam ea, quae ex temporibus sint antiquissimis, ad unguem convenire cum iis, quae ex nostro tempore noverimus.

Microcephali non reciderunt in statum ullum maiorum, sed propter deformitatem cranii vel aliam affectionem morbidam sive pathologicam recta evolutio cerebri in iis est impedita.

Inter evolutionem ontologicam embryonis humani et scalam viventium inferiorum est quidem aliqua proportio; sed haec similitudo est tantummodo generica, minime vero specifica.

---

[1] Recte observat C. E. von Baer: „Ich begreife nicht, wie sich der Körper des Menschen aus einem affenartigen Thiere hätte entwickeln können. Wie ich die Affen betrachten mag, immer scheinen sie mir für das Leben auf den Bäumen organisirt, der Mensch dagegen für den aufrechten Gang auf festem Boden. Man sagt, beide Befähigungen hätten sich erst im Laufe der Zeit durch Anpassung entwickelt; aber wofür soll denn die problematische Stammform organisirt gewesen sein? Waren es etwa Kletterthiere, von denen einige Nachkommen, von Fortschrittsideen ergriffen, sich Jahrtausende und Jahrmillionen lang des Kletterns und der Bäume enthielten, bis ihre hintern Extremitäten die passende Form für den aufrechten Gang erhielten? Eher könnte ich mir noch denken, dass jene Urform plantigrad war, einige Nachfolger aber aus Nahrungsgier die Bäume nicht verlassen wollten und so aus ihnen unsere verbummelten Vettern wurden. Denn offenbar wäre es keine vortheilhafte Lage im Kampfe ums Dasein gewesen, von den Bäumen herabzukommen und das Gehen zu lernen, erst hockend auf den Hinterbeinen, dann unermüdlich sich übend, gerade zu stehen und zu gehen. Dann sollen sie bei dieser Gelegenheit allmählich auch das Ohrenspitzen verlernt haben. Offenbar waren aber die gehenlernenden Zukunftsmenschen so vielen Gefahren ausgesetzt, dass sie wohl nothwendig hatten, ihre Ohren nach allen Seiten zu richten und das Ohrenspitzen nicht zu verlernen."

Incredibili progressu scientia nobis manifestat finem et usum, cui singulae partes et dispositiones corporis humani subserviant. Plurima de his rebus hodie sciuntur, quae ante ignorabantur. Ex quo sperare licet fore, ut posteri plura etiam de his rebus cognoscant, quae a nobis hodie ignorantur. Sapientis vero est iudicare etiam ea alicuius finis gratia esse instituta, quorum fines nos interim non cognoscimus. Accedit, ut in hac natura rerum visibili res non solum propter utilitatem sive mechanicam sive physiologicam institutae sint, sed plurimae etiam propter symmetriam, harmoniam, pulchritudinem.

150. Haec de discrimine quod est inter homines et beluas. Praeterea communis est hominum opinatio, speciali discrimine discerni etiam plantas et animalia. Neque parum laborant, qui rebus botanicis et zoologicis navant operam, ut discrimen istud certis rationibus definiant.

Aliqui illud ex locomotione petierunt. Verum frustra; nam polypis deest locomotio, quae in algis reperitur.

Alii contractibilitatem attendunt. Sed in protoplasmate plantarum contractiones similes insunt, atque in sarcoda animalium imperfectissimorum.

Alii ex irritabilitate discrimen petunt. Sed etiam plantis haud raro permagna inest irritabilitas.

Alii diversitate chemica contenti sunt, qua animalia a plantis separentur. Texturas plantares constitui compositionibus ternariis ex hydrogenio, oxygenio, carbonico; in texturis animalibus accedere nitrogenium. Sed nitrogenium reperitur etiam in protoplasmate plantari.

Alii id discriminis ponunt, ut dicant plantam constitui posse cellula una; in unoquoque vero animali reperiri necessario cellulas multas. Sed infusoria sunt, quae una cellula constituuntur eodem fere modo, quo algae.

Alii structuram cellularum in auxilium vocant, arbitrantes in plantis cellulas propter membranas permanere separatas, in animalibus cellulas in tecturis evanescere. Sed haud paucas contra hanc regulam exceptiones esse docent physiologi [1].

Neque desunt, qui modum digestionis attendant. Sed sunt plantae carnivorae, inter quas dianaea, aldrovandia, nepenthes, urticulariae, quae modum digestionis sectantur a digestione animali non absimilem.

Alii discrimen inter animalia et plantas indicant multis rebus enumeratis simul [2].

151. **Rationes dubitandi.** (1.) Discrimen, quod videtur esse inter plantas et animalia, non videtur ex essentia harum rerum provenire; nam animalia ex plantis, quas protistas vocant, ortum duxisse certum est.

---

[1] Cfr. Gutberlet, Lehrbuch der Philosophie II (Monast. 1885), c. 3.

[2] Claus: „Man muss das Thier definiren als den frei und willkürlich beweglichen, mit Empfindung begabten Organismus, welcher seine Organe im Innern des Leibes durch innere Flächenentfaltung entwickelt, einer organischen Nahrung bedarf, Sauerstoff einathmet, unter dem Einfluss der Oxydationsvorgänge im Stoffwechsel Spannkräfte in lebendige Kräfte umsetzt und Kohlensäure nebst stickstoffhaltigen Zersetzungsproducten ausscheidet“ (Lehrbuch der Zoologie p. 8).

(2.) Discrimen deinde totum, quod intercedere videtur inter homines et pecudes, ad id reducitur, ut pecus prudenter agat in paucioribus, homo in pluribus.

(3.) Inter hominem et animalia reliqua ingens intercedit similitudo organica, quae magis usque progrediente in dies scientia a nobis cognoscitur. Unde concludendum est hominem non magis differre a simia, quam simia differt a pulice [1].

(4.) A naturalibus, qui sunt ex schola Darwini, aperte ostensum est genus humanum per descendentiam a bestiis originem duxisse. Nihil ergo homo aliud est, quam bestia nobilior [2].

(5.) Et occulta quaedam superbia esse videtur, quod homo sibi videatur nobilius quidpiam esse quam pecus.

(6.) Atque etiam distinctio omnis inter plantas et animalia, quae specialis sit vel essentialis, abdicanda esse videtur. Plurimi enim sunt organismi, quos quis eodem iure animalibus annumerare possit atque plantis.

152. Thesis: Recte statuitur specialis quaedam differentia inter plantas et animalia, atque etiam inter bestias et hominem.

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Vox ista „differentiae essentialis" quum ambigua sit, hoc loco adhibetur, ut significetur differentiam illam, quae sit inter plantas et animalia, atque etiam inter pecudes et homines, non esse tantum gradu maiorem, quam qua species variae sive plantarum sive beluarum inter se distinguantur, sed esse prorsus aliam et specialem.

Praenota 2°. Hac thesi id explicatis verbis ponitur, quod in thesibus ante positis implicitum iam probavimus. Sed propter rei gravitatem nunc hoc modo ponimus.

Adversarios igitur eosdem habemus quos antea.

Primo monistas, qui attribuentes rebus omnibus vitam, intelligentiam, quin immo moralitatem et religionem, bestias omnes ad conditionem generis humani elevant. Deinde materialistas, qui (aliud monismi genus sectantes) intelligentiam et moralitatem ad sensum caecum et instinctum deprimunt, hinc

---

[1] Hac de re Haeckel: „Der Unterschied zwischen Faulthieren, Gürtelthieren, Hunden, Affen ist viel grösser als zwischen letztern und den Menschen" (Anthropogenie p. 701).

[2] Ex Haeckelii sententia haec sunt generis humani stemmata: „Aus den Moneren entstanden in der frühern Silurzeit die Röhrenherzen (Lanzettfischchen). In der spätern Silurzeit waren die Voreltern des Menschen bereits echte Haifische; diese entwickelten sich zu Lurchfischen, Kiemenlurchen, Schwanzlurchen, ähnlich den noch heute lebenden Wassermolchen; dann im Anfang der secundären Periode zu Schnabelthieren, Beutelthieren, ähnlich den Känguruhs; im Anfang der tertiären Zeit zu den Halbaffen, dann zu schmalnasigen Schwanzaffen mit Backentaschen (Katarrhinen), dann mit Wegfall des Schwanzes zu Menschenaffen, von denen nur ein Schritt ist zu Affenmenschen, ähnlich dem wollköpfigen Papuaneger. Dieses geschah wahrscheinlich in Süd-Asien in der Pliocänzeit."

differentiam omnem inter homines et bestias inde repetunt, quod casu nescio quo brutae voces in vocabula transformatae sint; ex vocabulis deinde natum esse intellectum, inde ortam necessitatem incedendi statu erecto; quod homo forte fortuna habeat pollices inter se opponibiles; quod cerebrum per usum frequentiorem longissimis temporum intervallis ad maius pondus et structuram complicatiorem evolutum sit; ex rebus in hoc genere aliis.

Praenota 3°. Thesis duas partes habet, quarum prior discrimen spectat, quod est inter plantas et animalia; altera est posita ad statuendam differentiam inter homines et beluas.

153. Argumenta. *Argumenta partis prioris* (qua statuitur differentia inter plantas et animalia).

Arg. I (ex defectu vitae sensitivae in plantis). Inter illa viventia est specialis quaedam differentia essentialis, in quibus reperitur aliud genus sese movendi, elevatio supra brutam materiam essentialiter altior, immanentia omnino alia. Atqui id obtinet de plantis et animalibus. Ergo plantae et animalia speciali ratione inter se differunt.

Prob. min. Omnia haec de vita sensitiva confirmata sunt, id quod colligitur ex argumentis thesis antecedentis. Sed in omnibus animalium speciebus vita sensitiva habetur, in plantis vero non, id quod ostensum est supra.

Arg. II (ex diversitate organica). Inter illorum viventium essentias debemus supponere differentiam specialem, quae tum psychologice, tum morphologice, tum etiam physiologice sese diverso plane modo habent. Atqui id locum habet in plantis et animalibus.

Prob. min. Ad investigandam naturam alicuius speciei attendenda potissimum sunt ea individua, in quibus ratio istius speciei manifeste et perfecte reperitur. Sed in plantis perfectis et in animalibus perfectis reperitur:

a) Diversitas psychologica. In plantis vita vegetalis apparet ut aliquid in suo genere perfectum sibique sufficiens; in animalibus vero subordinata est vitae cognoscitivae: in beluis quidem, ut animal fruatur quodammodo sua vita; in homine, ut haec vitae fruitio ordinetur ad finem supra materiam positum. Unde in animantibus organismus est eiusmodi α) ut magis ipsa laborent sibi, hinc adsit et complicatior organorum apparatus et tamen maior in toto vivente unitas; β) ut vegetatio essentialiter indigeat vita sensitiva, in homine etiam vita intellectiva.

b) Diversitas morphologica interna. In plantis habentur cellulae, quae perdurant cum quadam independentia mutua, subordinata tamen. In animalibus vero non sunt cellulae nisi transeundo; in his alias formas suscipiunt et coguntur ad formanda organa maxime varia et maxime inter se dependentia: sic formatur systema musculare cum suis fibris, fasciculis carneis, tendinibus, ossibus, quod quidem potissimum motioni locali inservit ope contractibilitatis; praeterea systema nerveum et animale cum cerebro, et vegetale cum

gangliis (in animalibus imperfectissimis fila quaedam sive pili motui spontaneo inserviunt).

c) Diversitas morphologica externa. In plantis schema fundamentale est axis verticalis, ex quo radii horizontales egrediuntur, et in eo novae partes secundum eundem typum acquiruntur multaque organa inter se omnino similia habentur; in animalibus vero schema fundamentale varium omnino est pro varietate motus spontanei ab ipsis exercendi, organa inter se omnino differunt, partium vero et organorum numerus plane determinatus est.

d) Diversitas physiologica. In plantis activitas uniuscuiusque cellulae multo magis independens ac sui iuris est, quam id in animantibus evenit. Praeterea plantae situm suum et formam externam immutatam servant; contra animantia perpetuo dispositionem externam vi contractibilitatis mutant.

e) Diversitas physica et chemica. In plantis vix est electricitas; in nervis vero animalium haec continenter circulatur. — Plantae utuntur elementis non organizatis (quod etiam de parasiticis est putandum); animantia contra tamquam nutrimenta proprie dicta sola elementa organizata adhibent. — Plantae ex nutrimento accepto oxygenium exhalandum segregant; animalia contra oxygenio indigent. — Per plantae activitatem copia „caloris“ minuitur, augetur vero copia „tensionis chemicae“; per activitatem animalium contrarium obtinet [1].

154. *Argumentum partis alterius* (in qua ponitur discrimen esse speciale inter homines et beluas; ex defectu vitae intellectivae in beluis). Illa viventia speciali ratione inter se differunt, in quibus est aliud se movendi genus, elevatio supra materiam brutam essentialiter altior, immanentia omnino alia. Atqui id obtinet in bestiis et hominibus.

Prob. min. Ea omnia de vita intellectiva confirmata sunt; id quod ex rationibus pro thesi antecedente allatis colligitur. Sed in hominibus vita intellectiva habetur, in beluis vero non; id quod supra ostensum est. Atque ita haec res, quae est gravissima, unius argumenti conclusione tota comprehenditur.

Confirmatur 1° (ex diversitate organica) [2].

---

[1] Dicit Gorup Besanez:

Die Pflanze	Das Thier
erzeugt (durch Synthese und unter Austritt von Sauerstoff) Kohlenhydrate, Aluminate, Fette etc.;	verzehrt Kohlenhydrate, Aluminate, Fette etc.,
zersetzt (d. h. trennt vom Sauerstoff) Wasser, Kohlensäure, Ammoniak, Salpetersäure;	bildet (als Endproducte seines Zerfalls) Wasser, Kohlensäure, Ammoniak etc.,
entwickelt Sauerstoff;	entwickelt Kohlensäure;
ist ein Reductionsapparat.	ist ein Oxydationsapparat.

(Lehrb. der physiolog. Chemie p. 49.)

[2] Quum vita intellectiva, qua homo praecellit ante cetera animantia, minime organis absolvatur, invictum argumentum pro essentiali differentia inter

In bestiis vita organica apparet ut aliquid in suo genere perfectum sibique sufficiens; in homine vero apparet:

1. Ut inserviens vitae intellectivae:

a) Homo per staturam rectam et idoneam sensuum organorumque dispositionem aptus evadit, qui dominium exerceat in materiam amplissimum; qui utatur sensu non tantum ad providendum sibi de victu, sed ad cognoscenda omnia sensibilia, coelestia et terrena et inde concludendam veritatem intelligibilem et capiendam ipsius Dei cognitionem. Sunt enim homines (Tullii verbis utimur) non solum terrae incolae atque habitatores, sed quasi spectatores aeternarum rerum atque coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Omnisque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum.

„Primum enim oculi in iis artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis caelatisque formis, in corporum etiam motione atque gestu, multa cernunt subtilius; colorum etiam et figurarum tum venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam oculi iudicant; atque etiam alia maiora: nam et virtutes et vitia cognoscunt: iratum propitium, laetantem dolentem, fortem ignavum, audacem timidumque cognoscunt. Auriumque item est admirabile quoddam artificiosumque iudicium, quo iudicatur et in vocis et in tibiarum nervorumque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio et vocis genera permulta: canorum fuscum, leve asperum, grave acutum, flexibile durum; quae hominum solum auribus iudicantur. Nariumque item et gustandi pariter et tangendi magna iudicia sunt.“ [1] „Ad usum autem orationis, incredibile est, ubi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet, per quam vox principium a mente ducens percipitur et funditur. Deinde in ore sita lingua est finita dentibus. Ea vocem immoderate profusam fingit et terminat, atque sonos vocis distinctos et pressos efficit, quum et ad dentes et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.“ [2] „Quam vero aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est, admotione digitorum. Atque haec oblectationis: illa necessitatis, cultus dico agrorum exstructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta, omnemque fabricam aeris et ferri: ex quo intelligitur, ad inventa animo, percepta sensibus adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus; urbes, muros, domicilia, delubra haberemus.“ [3]

---

bestias et hominem ex diversitate organica peti non potest. Adsunt tamen momenta, quae rem magnopere confirmant.

[1] Cicero l. 2 De nat. deor. c. 58.

[2] Ibid. c. 59. [3] Ibid. c. 60.

Atque his rebus et sescentis similibus praerupto intervallo ab omnibus beluis separatur homo.

b) Quum vita sensitiva in homine debeat praebere vitae intellectuali phantasmata, ingenti intervallo superat reliqua animantia praesertim quoad sensus internos.

Id patet:

α) ex diversa magnitudine et structura cranii (apud hominem continet cranium ad minimum 66 digitos cubicos, apud bestiam — gorillam — vero ad summum $34^1/_2$);

β) ex diversitate anguli facialis (apud hominem continet 75—85°, apud bestias — adultas — ad summum 50°, ut plurimum 35°);

γ) ex copia cerebri, praesertim substantiae nigrae (apud hominem massa cerebri saltem quadragies maior est, quam medulla spinalis, apud bestiam vero ad summum novies maior est). Si longitudo cranii supponitur = 100, cerebrum Europaei obtinet 89,1, Australici 78,7, orang-utang 47,7, gorilla 45,9 [1].

δ) Ex multitudine gyrorum et sulcorum eorumque complexione mirabili.

c) Quum organismus hominis patiatur quasi impressionem facultatis superorganicae, facile apparet, cur inter homines adeo multi morbi psychici accidant.

2. Ut indigens vita intellectiva:

a) Instinctus apud homines est debilissimus, ita ut eos ne ad finem vitae sensitivae quidem satis dirigat; caret nimirum homo magna ex parte illis prudentiis naturalibus, quibus reliqua animalia abunde instructa sunt.

b) Neque quoad reliqua vitae adiumenta homini a natura satis provisum est; dum enim natura cetera animalia omnibus ad vitam necessariis instruxit, ut tegumentis, armis, cibo praeparato, homini dedit rationem, qua haec omnia sibi praepararet.

c) Varii appetitus naturales in homine fortiores sunt, quam qui a vivente unice sensitivo vinci possint. Vita sensitiva in homine frenis caret; inde est, quod belua numquam naturam violare possit (saltem in circumstantia rerum ordinaria), quod tamen in homine facile accidere potest.

Confirmatur 2° (ex communi totius generis humani persuasione).

155. Respondenda. *(Ad 1.)* Etiamsi constaret animalia olim ex plantis nata esse, certum tamen est ea nunc a plantis speciali ratione differre. Si adversarii vera dicerent, propter novum vivendi genus oporteret ponere novum

[1] Unde dicit Aeby: „In der ganzen Reihe der Säugethiere findet sich keine Lücke, die auch nur von ferne sich vergleichen liesse mit derjenigen, welche den Affen vom Menschen trennt“ (Die Schädelform des Menschen und des Affen p. 82).

in organismis principium vivendi ortum esse. Sed adhuc nondum ostensum est animalia ex plantis originem duxisse.

(Ad 2.) Bestia respectu finis et motivi formalis non se agit, sed agitur. Contra homo conscientia teste ipse sibi finem cum libero voluntatis arbitrio praestituere potest, qui omnem ambitum rerum sensibilium superat, sibique conscius est, ex quo agat motivo.

Dices 1°: Discrimen psychologicum inter rudem Australem et Stagiritam maius est, quam inter Australem illum et gorillam. — *Resp.:* Est fortassis maius secundum quid et secundum aliquam apparentiam, non vero simpliciter et in rerum realitate. Ea enim omnia, quae narrantur, ad fallendum quidem aptissima sunt, ipsa tamen falsa, si modo testibus fide dignissimis credere velimus.

Dices 2°: Reapse unusquisque homo evolvitur ex infantulo; sed infantulus non est belua superior. Ergo ex belua etiam homo originem trahere potuit. — *Resp.:* Non potuit. Nam inde, quod reapse ex infantulo evolvitur homo, concludendum est esse differentiam essentialem inter bestiam et infantulum vel minutissimum [1].

(Ad 3.) Incredibilis illa analogia sive similitudo inter corpus humanum et beluinum numquam ab ullo sanae mentis homine in dubium est vocata. Ubi eadem est vita organica, ibi eadem organa inveniri debent; sed vita organica est eadem apud animalia rationalia et irrationalia, non solum vegetationem quod attinet, sed etiam sensationem. Quis vero, quaeso, putet discrimen speciale, quo separantur homines a beluis, primo trahi posse ex discrimine ullo organico? Est enim in vita intellectiva fons et ratio huius discriminis posita, quae vita non organica est, sed superorganica.

(Ad 4.) Ab Haeckel nihil prorsus de origine hominum ex bestiis effectum esse iam diximus et dicemus iterum.

(Ad 5.) Qui censent superbiae esse, si quis dicat hominem nobiliorem esse bestiis, hi pingue quiddam proferunt et sibi ipsi contrarium. Numquid ipse homo dicitur auctor esse suae nobilitatis et praestantiae? Et haec quidem nobilitas hominem non supra modum extollit, sed potius graviter monet, ut sese pro naturae suae dignitate perficiat. Ex sententia vero adversaria sequitur omnis vitae humanae eversio [2].

---

[1] „Wir müssen schon von Anfang an bei dem naturgemässen, für das Hineinwuchern in die Culturgemeinschaft befähigten Menschenkinde selbst in jenem frühesten Zustande ganz andere apriorische Anlagen wirksam annehmen, als bei solchen thierischen Lebewesen, welche jenen Zustand niemals verlassen. Ohne solche Voraussetzung wäre die Entwicklung des kindlichen Seelenlebens, besonders das schon im zweiten Lebensjahre hervortretende Bilden von Gemeinvorstellungen und das Erlernen der Sprachen, nicht denkbar“ (Otto Schneider, Transcendentalpsychologie [Leipzig 1891] p. 28).

[2] Scite hac de re C. E. von Baer: „Man verspottet es in unsern Tagen gern als hochmüthig, den Menschen als Ziel der Erdgeschichte zu betrachten. Aber es ist ja nicht sein Verdienst, dass er die am meisten entwickelte organische Form besitzt. Auch darf er nicht verkennen, dass damit für ihn die Aufgabe nur begonnen hat, seine geistigen Anlagen mehr zu entwickeln, da er das einzige Geschöpf ist, welches schon durch seine körperliche Anlage die Befähigung

156. Corollarium. Ergo inscienter dicunt illi historiae naturalis cultores, qui, efficientes classificationem animalium, hominem collocant in classe inferiore. Inter quos Linné hanc ponit divisionem: A. Mammalia; 1. Primates; a) Homo; *α*) Homo diurnus sive bimanus; *β*) Homo nocturnus sive quadrimanus (orang-utang); b) Simia; c) Lemur; d) Vespertilio, atque ita deinceps. Quum enim divisio prima constituenda sit ex discrimine, quod est princeps, animalia distribuenda sunt primo in rationalia et irrationalia.

Quaeritur tertio:

quae sit differentia inter singulos plantarum et beluarum ordines.

157. Introducitur quaestio. Quum alio loco (Phil. nat. n. 577 sqq.) abunde de diversitate rerum organicarum dixerimus, nunc breves esse possumus. Communis fert hominum opinio genus beluarum atque etiam plantarum per multos ordines stabiles et inter se specifice diversos distributum esse. Theoria, quae hanc specierum multitudinem gravi rationum pondere defendere conatur, theoria stabilitatis vocata est. Haec vero sententia iam antiquo tempore a nonnullis in dubium adducta, nostro tempore plurimos adversarios nacta est, qui censent omnes istos diversos ordines per descendentiam vel transmutationem ex paucissimis formis primitivis et tandem ex materia anorganica ortos, hinc accidentaliter tantum inter se diversos esse.

Adversariorum opinationes, quum plurimae sint et admodum inter se discrepantes, ad tres tamen classes revocari possunt:

Prima est theoria Darwinismi. Ex qua dicunt omnem organismorum varietatem propter individuorum variabilitatem et

---

zur geistigen Entwicklung erhalten hat, da der kategorische Imperativ des Sollens ihn antreibt, den thierischen Associationstrieb zu höhern socialen Verhältnissen zu entwickeln. Ist es nicht menschenwürdiger, gross von sich und seiner Bestimmung zu denken, als nur auf das Niedere gerichtet, allein die bestiale Grundlage in sich anzuerkennen? Von dieser nach dem Niedrigen strebenden Richtung ist leider die neue Lehre sehr gefärbt. Ich möchte lieber hochmüthig als niederträchtig sein, und ich erinnere mich des Ausspruches von Kant: ‚Der Mensch kann nicht gross genug vom Menschen denken.‘ Bei diesem Ausspruche hatte der tiefe Denker vorzüglich wohl im Sinne, dass die Menschheit grosse Aufgaben sich zu stellen habe. Die neuern Ansichten dagegen sind mehr eine Beschönigung aller thierischen Regungen im Menschen“ (Studien II, p. 463).

divergentiam quandam indolis specificae per continuam transmutationem ortam esse sine ullo tendentiae finalis sive evolutionis internae principio. Casu orta esse permulta formarum, operationum, habitudinum genera; inter haec quae aptiora fuissent, mansisse; quae ineptiora, periisse. Hoc „Survival of fittest" Darwinus per vanam metaphoram vocavit „pugnam pro existentia" [1]. Hac perpetua rerum aptiorum conservatione, haereditaria transmissione, apta accumulatione omnes rerum organicarum „species" effectas esse. Darwinum secuti sunt plurimi, inter quos eminet E. Haeckel, qui titulo „Darwini germanici" insignitur.

Id discriminis inter Darwin et Haeckel reperitur, ut Darwin in condendo suo systemate varietatem, quae reperiatur in ipsa transmissione haereditaria, magis adhibeat, Haeckel autem insistens vestigiis Lamarckii et Geoffroy-St-Hilaire varietatem specierum censeat potius inductam esse varietate influxuum externorum. Tertium ab Haeckel confictum est genus rerum organicarum, „protistas" vocat, quod ante plantas et animalia fuerit, unde utraque ortum traxerint.

Secunda est theoria evolutionis continuae ex principio aliquo interno, quod tamen sit indeterminatum. Hi dicunt omnes organismorum species per continuam quidem transmutationem ortas esse, sed impellente interno tendentiae finalis principio. Illas differentias, quibus diversi viventium ordines inter se distinguantur, omnes ex adaptatione ad externas conditiones repetendas esse. Etsi igitur hi scriptores aliquam evolutionem admittunt: quia tamen omnium variarum classium varietatem solis istis impulsibus mechanicis eventibusque externis, qui organismis continenter et pedetentim sese transmutantibus contigerint, effectam esse volunt, species proprie dictas omnes e medio tollunt.

Inter hos A. R. Wallace lege continuitatis innixus (Phil. nat. n. 310) perfectiora docet per continuam transmutationem ex imperfectioribus orta esse, atque id fieri lege quadam interna, qua res ad „discrepantiam" tendant.

---

[1] Cuius rei exemplum sit hoc: „Ursprünglich existirten ebensoviel Amphibien, deren Lauf durch ein plötzlich in den Weg gelegtes Hinderniss nicht modificirt wurde, als solche, bei welchen eine Modification eintrat in dem Sinne, dass sie dem Hindernisse auswichen. Im Kampfe ums Dasein hatten die letztern Thiere entschieden einen Vortheil, indem bei diesen infracorticale Mechanismen der Grosshirnrinde eine Arbeit abnahmen, indem also schon tiefere Centren zweckmässig fungirten. Diese zweckmässige Eigenschaft wurde vererbt und durch Vererbung gezüchtet, während die anders angelegten Thiere allmählich ausstarben" (Th. Ziehen, Physiol. Psychologie [Jena 1893] p. 11. Similia reperies apud Romanes, Darwin and After-Darwin. Ribot, Psychologie de l'attention. Paris 1889; Les maladies de la volonté. Paris 1891. G. H. Schneider, Der thierische Wille. 1880; Der menschliche Wille. 1882).

C. Nägeli nisum quendam ad „statum perfectiorem“ ponit, ex quo factum sit, ut ex anorganicis orti sint organismi et ex organismis imperfectioribus perfectiores. Is igitur varios organismorum ordines nihil esse asseverat nisi varias stirpes serierum sese evolventium, quarum serierum unaquaeque ex cellula primitiva et admodum simplici orta fuerit; has cellulas ex chemice mixtis diversis temporibus originem duxisse. Progressio vero seriei ex duplici principio pendere dicitur: ex principio adaptionis mechanicae, qua fiat, ut res per transmutationem continuam ad varias conditiones externas sese adaptent; atque ita oriri proprietates ad usum physiologicum accommodatas; deinde ex principio perfectibilitatis sive ex nisu quodam interno et indeterminato ad perfectiorem exsistendi modum, ex quo factum sit, ut organismi (etiam per saltus minores maioresve) interveniente haereditaria proprietatum transmissione ad praesentes typos morphologicos pervenerint [1].

Tertia est theoria generationis heterogeneae. Hi dicunt species, quae nunc sint, perfectiores ex imperfectioribus per saltus quasi et gradatim natas esse; velut quum dicunt plesiosauros subito ortos esse ex transformatis piscibus, vel aves ex transformatis pterodactylis vel archaeopterygibus, eo fere modo, quo *papiliones* ex transformatis erucis oriri videmus. Qui quidem aliquod (sub hoc vel illo nomine) principium internae finalitatis admittunt, quod sit directum ad certos typos, in quos, excitatum a causa vel interna vel externa, transire possit.

Inter hos A. Kölliker [2] generationem aequivocam in organismis simili ratione ex principio interno evenisse docet; qua in natura accidant polymorphismi, metamorphoses, metageneses.

Similem sententiam proposuerat W. Hofmeister [3], qui praecipue monstruositatibus nititur, quibus fiat, ut in nonnullis individuis alicuius speciei oriantur organa vel instinctus, quae ad diversam speciem pertineant.

Atque hae tres theoriae sunt, quibus negantes stabilitatem specierum statuunt specierum inter se descendentiam. Prima reicienda est ut falsa et absurda (qua de re satis diximus in Phil. nat. n. 97 et n. 598); altera pugnat cum iis, quae per observationem certo constant, et hinc ad explicandam ordinum diversitatem est inutilis; tertia non est probata et est improbabilis.

---

[1] Alii adhibent voces velut „Differenzirung der Keimanlage“, „Correlation der gesamten organischen und psychischen Entwicklung“, „Kaleidoskopische Umbildung“, alias.

[2] Ueber die Darwinistische Schöpfungstheorie. 1864; Morphologie und Entwicklungsgeschichte des Penatulidenstammes. Frankfurt 1872.

[3] Handbuch der physiologischen Botanik I, 563—579. De aliis cfr. Phil. nat. n. 600,

158. Sed praeter has theorias descendentiae aliae a sapientibus theoriae excogitatae sunt, quae a sanae philosophiae principiis non adeo abhorrent, vel etiam cum iis componi posse videntur.

Prior est eorum, qui docent, auctorem naturae ad producendam speciem superiorem specie inferiore usum esse, ita ut huic speciei vel principium vitale speciei proxime superioris indiderit, vel in ea quasi germina altiora posuerit, vel in ea ovula speciei superioris produxerit. Qui igitur est in hoc genere ortus specierum, non est descendentia nisi forte „secundum quid“ [1].

Altera est eorum, qui speciem perfectiorem transiisse defendunt per certa stadia inferiora, in quibus futurae perfectio speciei virtualiter contenta fuerit. In quo negotio nulla evolutio sive descendentia unius speciei ex alia specie locum habet, sed est transformatio tantum stadii inferioris in stadium superius intra unam eandemque speciem, peracta sive per transmutationem continuam sive per saltus; ita ut limites, quibus species, quae vere species sunt, inter se separantur, usque manserint intacti.

Haec de sententiarum varietate satis.

Ab Aristotelicis haec quae est de speciebus separatis quaestio ad unguem tractata non erat. Species stabiles admittunt fere omnes. Quo vero gradu stabilitas specierum locum haberet, accurate non definierunt. Inter optimae notae scriptores reperies, qui transmutabilitatem aliquarum specierum admiserint.

159. **Rationes dubitandi.** (1.) Omnes diversi beluarum atque plantarum ordines, etsi nomine specierum insigniri solent, inter se tamen distingui non videntur nisi accidentaliter. Certum est enim haec omnia rerum organicarum genera ex uno genere primitivo per descendentiam realem orta esse. Id etiamsi observatis rebus et expertis probari non possit, tamen certum est; secus enim ortus specierum ex miraculis trahendus esset; id quod sanae rationi et verae scientiae est contrarium [2].

[1] Sunt qui impulsus istos extraneos non a Deo, sed, monistarum errore irretiti, ex ente uno universali deducant. Inter quos E. de Hartmann „metaphysische Impulse des Unbewussten“ in auxilium vocat. C. Ch. Planck haec dicit: „Die erste Ausbildung eines Nervensystems lässt sich ihrer ganzen Natur nach weder als ein allmählicher durch Generationen hindurchgehender Uebergang denken, noch als Folge der blossen Anpassung und ihrer von aussen her wirkenden Zuchtwahl, sondern nur als einwirkender Act des innerlich (und schöpferisch) centralen Entwicklungsstrebens des Erdganzen“ (Wahrheit und Flachheit im Darwinismus p. 57). „Nur ein selbständig neuer und die äusserlich vorhandenen Formen durchbrechender centraler Anstoss erklärt die neuen Stufen“ (ibid. p. 75).

[2] Dicit Gustav Jäger: „Die Abstammungslehre wurzelt weniger in der Kenntniss der naturwissenschaftlichen Thatsachen als vielmehr in der Methode unseres Denkens“ (Die Darwinistische Theorie [Stuttgart] p. 4).

(2.) Mirabili convenientia et similitudine omnes viventium ordines inter se coniunctos esse videmus. Ergo omnes hi ordines ad unitatem aliquam revocandi sunt et connexionem essentiae, ita ut accidentaliter inter se differant tantum.

(3.) Omnis differentia, quae dicitur specifica, commode per selectionem quandam, quae in natura acciderit, explicatur. A selectione enim artificiali ad naturalem licet concludere.

(4.) Quidquid est imperfectum, ad id tendit, ut perficiatur; ergo classes viventium omnes tendunt ad classem perfectissimam.

(5.) Res confessa est omnes homines non obstante diversitate illa, ob quam in complures distinguuntur varietates, unius esse speciei et ex una stirpe duxisse originem. Idem ergo de omnibus organismis est arbitrandum.

(6.) A geologis iam plurimae inventae sunt species intermediae, quibus theoria descendentiae comprobatur.

160. **Thesis I.** **Theoria descendentiae, secundum quam species omnes perfectiores ex speciebus imperfectioribus simpliciter ortae esse dicuntur, fundamentis, quae satis sint, non nititur; neque ea cum sanae philosophiae principiis satis componi potest.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Qui descendentiam admittunt, eam aut per saltus vel generationes heterogeneas effectam esse volunt, aut per transmutationem continuam; atque hanc transmutationem continuam explicant aut adhibito aliquo evolutionis principio interno et indeterminato, aut per solam adaptationem mechanicam.

Transmutationem continuam quod spectat, hanc in thesi, quae sequetur, reiciemus ut falsam, quippe quae rebus et eventibus in natura observatis omnino contraria sit. Transmutationem hanc, a darwinistis ad adaptationem mechanicam restrictam, in thesi tertia demonstrabimus in se esse absurdam. Hoc loco contenti sumus, ut descendentiam specierum omnium, utcunque proponatur, ut non probatam et improbabilem reiciamus.

Praenota 2°. Hac thesi omnem theoriam, qua statuitur „descendentia simpliciter“, reiectam haberi volumus; non igitur tangimus eam, quam diximus „descendentiam secundum quid“, neque „transformationem progredientem intra unamquamque speciem“, de quibus supra (n. 158) diximus. Agitur vero de descendentia reali et genealogica, non autem de descendentia ideali (secundum quam architecti credunt germanicum structurae genus ex romanico, hoc autem ex basilicarum structura ortum esse); ea enim unitate formas rerum omnes in mente divina comprehendi concedimus.

Praenota 3°. Nolumus dicere ordines rerum organicarum omnes, quos varias species dicere solent, hoc modo essentialiter inter se differre. Inter hos multos esse fatemur, quae non sunt species proprie dictae sive substantiales, sed apparentes tantum

sive systematicae. Sed plurimi sunt ordines, qui quin sint species proprie dictae nemini dubitare licet. Contra eos igitur adversarios dicimus, qui sine haesitatione affirmant observatis omnibus rebus naturalibus dubium esse non posse, quin omnes organismi perfectiores per formas inferiores simpliciter transire debuerint, ita ut unusquisque ordo superior in stadiis illis prioribus eiusdem plane speciei fuerit cum ordinibus inferioribus.

Praenota 4°. Neque omnes quibus ordines inter se differunt diversitates ex indole specifica trahendas esse volumus. Sed multae sunt, quae, ex adaptatione mechanica et impulsibus forinsecus advenientibus exortae, accidentalibus annumerandae sunt (Phil. nat. n. 616).

161. Argumenta. *Argumentum partis prioris* (in qua negatur esse fundamenta, quae ad statuendam theoriam satis sint).

1. Nihil valet palaeontologia. Quae nullo modo docere potest perfectiora ex imperfectioribus orta esse. Docet quidem saepe perfectiora post imperfectiora orta esse. Sed saepius docet imperfectiora et perfectiora exstitisse simul (Phil. nat. n. 603).

2. Nihil valet anatomia morphologica. Hac quidem docemur esse inter varias organismorum species conformitatem aliquam sive cognationem quasi idealem, secundum quam ad systema naturale componi possint. Cuius conformitatis certe causa est. At quis probabit similitudines istas ortas esse non posse nisi cognatione genetica? Inde quod cognata sunt similia, non licet concludere omnia similia esse cognata. De cetero similitudines illae non tantae sunt, quantas fingunt adversarii; neque raro eae sunt, quae omnem genealogiam realem excludant (Phil. nat. n. 604).

3. Nihil valet scientia embryonalis. Dicunt causam evolutionis embryonalis sive ontogeneticae aliunde peti non posse nisi ex quadam repetitione immutationum, quibus species perfectiores ex imperfectioribus per descendentiam ortae sint; quam evolutionem palaeontologicam sive phylogeneticam dicunt. Historiam igitur evolutionis ontogeneticae esse historiam phylogeneticae; id comprobari mirabili illo parallelismo, qui inter stadia evolutionis ontogeneticae et seriem sive scalam specierum viventium intercedat. Atque haec est illa nostro tempore adeo celebrata „lex biogenetica“, quae primo proposita a Fred. Müller (1863) nominis famam debet Haeckelio. At vero turpiter errant, qui ita dicunt. Ab initio enim diversorum organicorum exordia observantur omnino diversa.

Deinde organismi perfectiores, quamdiu in evolutione ontogenetica versantur, sunt res ex tota sua natura destinatae, ut ab organismo antiquiore eiusdem speciei pendeant neque ullo modo solae esse possint. Certum est igitur evolutionem ontogeneticam esse non posse eam, cui evolutio aliqua phylogenetica ulla ratione congruere possit [1].

Accedit, quod plurima in ontogenesi occurrunt, quorum causa nullo modo ex repetita phylogenesi trahi potest. Hanc difficultatem ut effugiat Haeckel fingit naturam ex adaptationis studio percurrere seriem falsificationum, quam ut lectoribus suis commendet, novo nomine insignit vir astutus „cenogenesis". Hoc modo probatum esse vult ontogenesim componi ex palingenesi et cenogenesi.

Et si qua est similitudo exterior inter stadia embryonis et varias classes organismorum inferiorum, ea non est specifica, sed generica tantum. Nemo autem non videt individuum quodlibet speciei superioris, quum ex statu embryonis imperfectissimo sit evolvendum, pro variis evolutionis periodis habere eos characteres universaliores sive genericos, qui etiam organismis inferioribus conveniant. Qua de re Aquinas: „In his, quae generantur, invenimus, quod primo unumquodque est imperfectum et postea perficitur. Manifestum est autem, quod commune se habet ad proprium et determinatum, ut imperfectum ad perfectum; et ideo videmus, quod in generatione animalis prius generatur animal quam homo vel equus." [2]

Huic loco adversantur, qui ad aliqua vitae foetalis phaenomena provocant, quae primo intuitu ad species inferiores pertinere videbantur incautis, nunc tamen ab prudentibus quibusque putantur esse indoles genericae. Id de formationibus istis embryonalibus est arbitrandum, quas dicebant esse branchias piscibus proprias. Et lanugo illa, qua foetus per mensem sextum tegi solet, non est beluae alicuius propria, sed nisui illi debetur, quo animal certo tempore sibi debitum tegumentum procurat. Simili ratione de foramine illo iudicandum est, quod supracondyloideum vocant.

Itaque similitudo illa generica, quae est inter embryones animalium perfectorum et animalia imperfecta, non probat id, quod volunt adversarii; si quid probat, ostendit, quam scite Aquinas docuerit materiam, priusquam ad formas perfectiores perveniat, formas imperfectiores percurrere: „Quanto aliquis actus est posterior et magis perfectus, tanto principalius in id ipsum appetitus materiae fertur. . . . Anima vegetabilis est in potentia ad sensitivam, sensitiva

[1] Cfr. Kölliker, Entwicklungsgeschichte des Menschen (Leipzig 1879) p. 391 sqq.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 119, a. 2.

vero ad intellectivam, quod processus generationis ostendit; primo enim in generatione est foetus vivens vita plantae, postmodum vero vita animalis, demum vero vita hominis." [1]

Tandem quod reliquum est, etiamsi olim evolutio phylogenetica facta esset, nulla esset ratio, ob quam eadem ab unoquoque individuo tota esset repetenda.

De aliis rationibus petitis ex rudimentis, ex rationibus geographicis, ex atavismo, ex phaenomenis metamorphosis, dimorphismi, metagenesis, ex monstruositatibus, in Philosophia naturali (n. 605. 606. 608. 609) breviter indicavimus, quae satis sunt.

4. Nihil valent argumenta philosophica (Phil. nat. n. 610). Primo *dicunt adversarii:* In prima institutione naturae non quaeritur miraculum, sed quid natura rerum habeat (Phil. nat. n. 565). Sed praetermissa theoria descendentiae, iam ortus specierum organicarum a miraculis divinis vel a creationibus divinis petendus erit.

Resp. 1°: Id quod Deus in natura agit propter naturalem rerum creatarum indigentiam, non est miraculum.

Resp. 2°: Per experientiam universalem constat speciem quamlibet sui ipsius conservationi studere; illi ergo descendentiae, qualis fingitur ab adversariis, nomen veri miraculi utique competit. Quomodo, quae naturaliter non nisi ex suae speciei semine nascuntur, ex semine ordinis inferioris sine miraculo nata esse possunt?

Resp. 3°: Quod si tibi minus placet opinari Deum ipsum procedente tempore iterum et saepius in condendis organismis speciali ratione occupatum fuisse, arbitreris species omnes plantarum et beluarum ab initio fuisse determinatas et separatas; et unamquamque earum ex statu aliquo infimo, transformatione paullatim sive gradatim peracta, ad eam perfectionem, quam nunc habet, sese evolvisse. (De homine id credere, ob peculiares rationes nefas est.)

Secundo *dicunt adversarii:* Oportet, si aliquid unum in pluribus invenitur, quod ab aliqua una causa in illis causetur: non enim potest esse, quod illud commune ex se ipso utrique conveniat, quum utrumque, secundum quod ipsum est, ab altero distinguatur, et diversitas causarum diversos effectus producat [2]. Ergo propter multiplicem organismorum convenientiam dicere oportet organis-

[1] Summa c. gent. l. 3, c. 22. Cfr. Phil. nat. n. 219.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 5.

mos omnes ab uno organismo primitivo per descendentiam realem traxisse originem.

Resp.: Recte de unitate. Verum convenientia ista non solum proprietates quasdam specierum organicarum spectat, sed ipsum Esse omnium rerum naturalium penitus complectitur. Necesse est igitur dicere omnem omnium rerum causam communem esse, quae omnibus rebus secundum diversitatem specificam, accidentalem, numericam ipsum Esse dederit, ex qua igitur, quum ipsa sit Esse primum, absolutum, infinitum, res omnes non generatione, sed creatione et formatione descenderint. Est Deus, creator rerum omnium, qui diversas rerum species secundum ideas praeconceptas effecerit: sive putatur species magis magisque perfectas, variis temporum intervallis interpositis, ex materia anorganica eduxisse; sive in producendis speciebus perfectioribus species inferiores adhibuisse; sive statuisse putatur, ut species perfectiores intra unamquamque speciem pro diversa externarum conditionum circumstantia ex stadiis inferioribus quasi ex suo germine sponte sese evolverent.

Tertio *dicunt adversarii* nisu ad perfectionem altissimam in natura regi cuncta.

Resp.: Intra suam speciem unumquodque individuum imperfectum suam quaerit perfectionem, velut *vitulus*, qui appetit fieri taurus. Numquam tamen inventus est asinus, qui appetierit ut fieret equus.

162. *Argumentum partis alterius* (in qua declaratur theoriam descendentiae esse improbabilem). Res certa est, species superiores, ut prae inferioribus perfectiore indole excellant, ita ab eis nunc esse ex parte potissima separatas. Cuius rei causa esse debet. Haec ut indicetur, aut recurritur ad Deum, qui speciali efficientia species inferiores ad gradum rerum superiorum elevaverit; aut ad influxum rerum naturalium, quae externae sunt; aut ad ipsos organismos, de quibus agitur. Neque ulla positio alia cum aliqua veritatis specie excogitari potest.

Si recurritur ad Deum, deseritur theoria descendentiae propriae dictae. Si recurritur ad impulsus rerum externarum, causa ponitur, quae, quum indeterminata sit, producendis effectibus certis et determinatis impar est. Si recurritur ad ipsas res organicas, via duplici incedi potest. Aut enim ponitur in speciebus primitivis fuisse principium evolutionis indeterminatum, quod tamen

satis fuerit omnibus rerum speciebus, quae in hac rerum universitate reapse inveniuntur, ita ut unaquaeque species inferior virtualiter in se habuerit perfectiones omnium specierum superiorum. Aut ponunt illis tantum rebus, quae reapse ad speciem altiorem emerserint, huius speciei dotes inditas fuisse. Si prius, ponitur, quod a naturae ordine alienum est; huic enim ordini adversatur, qui dicit specierum inferiorum individua, exceptis paucis, perfectionem suam naturalem nullo modo attigisse, sed ex naturae instituto mansisse manca et mutilata quasi et monstra. Si alterum, habemus quam volumus differentiam specificam inter individua ad altiorem speciem evecta vel evehenda et reliqua, quae ut in gradu suo persisterent erant destinata. Neque dicere fas est, speciem altiorem ex inferiore ortam esse, quae simpliciter „diversa“ fuerit.

Neque tamen obsumus, ne putaverit quispiam ordines aliquos diversos, qui aequali fere perfectione sint (velut *lepores* et *cuniculi*), ortum suum ex uno ordine duxisse, qui virtute illos ordines continuerit. Neque tamen haec est descendentia ex mente adversariorum concepta; neque admittimus hanc descendentiam moderatiorem pro lege universali statui posse [1].

163. Scholia. *Schol. 1.* Etsi permitti potest aliquas illarum classium, quae „species“ vulgo hactenus habitae sunt, veras species non esse, sed potius „varietatibus“ esse annumerandas [2], inepte tamen dicunt classes omnes organismorum per „hybridismum“ ex paucissimis tantum speciebus ortas esse.

Schol. 2. Etiam illa quae a nonnullis ponitur „descendentia secundum quid“ nobis improbabilis esse videtur. Nam summae sapientiae parum congruere videtur, ut ad efficiendas species superiores adhibitae sint species, quae in inferioribus quidem gradibus positae, sed in Esse suo specifico absolutae fuerint atque

---

[1] Hoc modo aliquid in sententiam virorum doctissimorum (Calmet, C. a Lapide) concedimus, qui quum explicarent opus creationis diei sexti vel arcam Noë, putarunt haud raro accidere, ut species plures ex paucioribus orirentur. Dicit C. a Lapide: „Hybrides, i. e. animalia, quae ex congressu diversarum specierum generantur, uti mulus ex equa et asino, lynx ex lupo et cervo, ex hirco et ove tityrus, ex leaena et pardo leopardus, haec inquam non necesse est dicere hoc die esse creata. In Africa in dies novae oriuntur monstrorum species, atque oriri possunt ex nova aliarum et aliarum specierum sive animalium commixtione“ (lect. 24).

[2] Si Rütimeyer credere volumus, „bos primigenius“ et „brachyceros“ stirpes sunt, quarum ex commixtione „bos taurus“ tempore praehistorico ortus sit.

perfectae. Nemo certe artifex, qui sapiens sit, ad conficiendum artificium superius huius formam conatur induere artificio inferiori, quod in sua specie perfectum est. Vel quis umquam constructurus microscopium perspicillum in microscopium convertere est periclitatus?

164. **Thesis II.** **Descendentia illa, quae facta dicitur per transmutationem continuam universalem, ex variabilitate infinita, nullo pacto admitti potest.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Thesis haec contra eos est posita, qui utcumque defendunt transmutationem continuam tamquam unum ordinum viventium principium; sive eam explicant ex sola adaptatione mechanica, id quod faciunt darwinistae; sive ad eam explicandam internum quoddam evolutionis principium sumunt, quod tamen ex se plane indeterminatum sit, id quod faciunt evolutionistae.

Praenota 2°. Concedimus varietates multas, quae non ita stabiles sint in variis viventium ordinibus, causam habere posse in evolutionis internae principio indeterminato atque etiam in externa ad conditiones alienas adaptatione mechanica (i. e. seclusa omni tendentia finali). Sed negamus fieri potuisse, ut typi illi omnes, qui in hoc rerum ordine reapse exsistunt, per transmutationem continuam orirentur.

165. **Argumenta.** *Arg. I* (ex observatione et experientia). Res, de qua agitur, sola diligenti rerum observatione expediri potest (Phil. nat. n. 581). Sed plurima sunt facta, quae cum transmutatione continua componi non possunt.

1. Res temporis praesentis. a) Reapse sunt in natura collectiones certae et determinatae formarum inter se similium tum in essendo tum in agendo, quae a reliquis eiusdem generis collectionibus certis et praeruptis quasi intervallis seiunguntur, et sub conditionibus maxime diversis per generationes plurimas typum suum indolemque servant, defendunt, restituunt. Posita autem transmutatione continua nihil videremus hodie nisi formas quam maxime varias inter se commistas et confusas varietate in omni genere sensim et continenter diversa. Qualis enim causa est, talis effectus erit.

b) Diversitas, qua classes illae inter se secernuntur, tum quoad modum essendi tum quoad modum operandi, ab impulsionibus externis non solum non pendet, sed ab ipsis viventibus

potius contra vim tactusque forinsecus advenientes non sine summo conatu defenditur. Qui autem transmutationem continuam ponunt, diversitatem, de qua quaeritur, regi dicunt impressionibus foris advenientibus.

c) Classes viventium omnes, quas hodie in natura deprehendimus, non solum quoad Esse, sed etiam quoad Agere in suo genere perfectae sunt, neque ullo modo in via sunt ad speciem aliam. Et omnis mutatio sive in formis et organis, sive in operationibus vitalibus, speciatim in instinctibus, in organismorum damnum cederet[1]. Qui autem transmutationem continuam defendunt, ponere debent nullam organismorum saltem imperfectiorum classem esse in se absolutam et perfectam, sed omnes inter viam esse ad ulteriorem transmutationem; ponere quoque debent formas, operationes, instinctus, quae nunc conspiciuntur perfecta et absoluta, tum etiam fuisse utilia, quum in via transmutationis posita, nondum hanc absolutam et quasi typicam perfectionem habuerint.

2. Accedunt res temporis praeteriti. Qui transmutationem continuam defendunt, hi credere debent: a) per longiora tempora classes aliquas in rebus magis praecipuis aliquid transmutatas esse. Sed huius rei ne unum quidem exstat vestigium (Phil. nat. n. 586).

b) Classes novas, ubi appareant, non repente, sed transmutatione paullatim procedente ex inferioribus ortas esse; neque nullas exstare species intermedias, quae transmutationum illarum continuarum testes haberi possint. Sed apud palaeontologos res certa est, species proprie dictas apparere subito, nullis praeeuntibus individuis, in quibus aliquod transmutationis signum appareat (Phil. nat. n. 588)[2].

c) Numerum classium servata proportione debita crevisse. Id vero nullo modo locum habet (Phil. nat. n. 589).

---

[1] Cfr. hac de re I. H. Fabre, Nouveaux souvenirs entomologiques. Paris, Delagrave, 1891. E. Wasmann, Der Trichterwickler, und Die zusammengesetzten Nester und gemischten Kolonien der Ameisen. Monast. 1891.

[2] Etiam de instinctibus ex palaeontologia praesto sunt argumenta saltem indirecta. Cfr. Stimmen aus Maria-Laach 1885, XXVIII, 481; XXIX, 248. 383. „Die Thatsachen beweisen, dass schon die ältesten Insecten ebenso vollkommen organisirt waren und ebenso vollkommene Instincte besassen wie die Insecten der Gegenwart. . . . Die Insectenfamilien der Vorzeit bekunden bereits bei ihrem ersten Auftreten sich im vollkommenen Besitze ihrer eigenthümlichen Instincte und Instinctwerkzeuge."

Accedunt alia, quae in hac re non sine aliquo momento sunt. Qui theoriam transmutationis defendunt, reddere rationem nesciunt: a) cur mutationes potius in proprietatibus physiologicis quam morphologicis contingant, quum hae tamen, utpote ex se omnino indifferentes, maxime variationi obnoxiae esse deberent[1].

b) Quo iure ponatur organismis inesse nisum ad variabilitatem. Omnes enim organismos, quos novimus, simul atque orti sunt, ad se in sua natura conservandos videmus esse applicatos, et natura duce abhorrere a commistione cum alius speciei animalibus. Qua de re Aquinas: „Inest unicuique desiderium ad conservandum suum Esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam; unde nulla res, quum sit in inferiore gradu naturae, potest appetere superioris gradum, sicut asinus non appetit esse equus; quia si transferretur in gradum superioris naturae, ipsum non esset.“[2]

c) Cur hybridae in indefinitum propagari non possint.

d) Cur formae inferiores, quippe quae omnes „imperfectae“ sint, non iam pridem plane evanuerint.

e) Cur ipsae mutationes pathologicae natura speciei contineantur[3].

Arg. II (ex defectu rationis sufficientis). Causa, quae ex se indeterminata est, satis esse non potest ad explicandum effectum determinatum, quale est discrimen, quod inter ordines viventium reapse intercedit. Sed adversarii nihil habent nisi causas indeterminatas. Dicunt formas primitivas impressionibus externis et rebus similibus mechanicis expositas fuisse. Sed impressiones illae quum fuerint variae et diversae, neque raro inter se oppositae, rem modo in hanc traxerunt partem, modo in aliam, modo in oppositam. Non igitur apparet, quomodo variationes impulsionibus illis externis alienisque effectae per longissima tempora inter se addi atque ad efficiendas classes novas coniungi potuerint (Phil. nat. n. 591). Id igitur, quod ex transmutatione continua nasci

[1] „Die Nützlichkeitstheorie verlangt die Annahme, dass indifferente Merkmale variabel, die nützlichen dagegen constant seien. Die rein morphologischen Eigenthümlichkeiten der Gewächse müssten demnach am leichtesten, die durch eine bestimmte Verrichtung bedingten Organisationsverhältnisse am schwierigsten abzuändern sein. Die Erfahrung zeigt das Gegentheil“ (Nägeli, Entstehung und Begriff der naturhistorischen Art p. 26).

[2] S. theol. 1, q. 63, a. 3. Etiam a Tullio observatum est: „Est tanta vis naturae, ut homo non velit nisi hominis similis esse. Et quidem formica formicae“ (l. 1 de nat. deor. c. 28).

[3] Dicit Virchow: „Selbst das krankhafte Erzeugniss ist an die einmal gegebene Art geknüpft. . . . Alle physiologische und pathologische Bildung ist nur die Wiederherstellung, die bald einfache, bald mehr zusammengesetzte Reproduction bekannter, einmal gegebener Vorbilder. Der Plan der Oganisation ist unveränderlich; Art lässt nicht von Art“ (Vier Reden über Leben und Kranksein [Berlin 1862] p. 28).

potest, nihil est nisi confusa quaedam moles formarum, quae transmutationibus continuis et non interruptis inter se coniunctae et finitimae sint. Nullo autem modo inde ordo ille ortus esse potest, quo singulae rerum classes determinatis intervallis constanter et immobiliter distinctae sunt, idque ex infinito quasi tempore (Phil. nat. n. 592).

Arg. III (ex inutilitate transmutationum minutiorum). Qui transmutationem factam esse defendunt, organa et instinctus et reliquas consuetudines psychicas, quae specierum inferiorum propria sunt, ponere debent sensim atque paulatim transmutata esse in organa, instinctus, consuetudines psychicas, quae ad species superiores spectant. Atqui id nullo modo effici potuit. Quia enim res omnes, quae classibus vel infimis sunt propriae, suo modo perfectae sunt et absolutae, per mutationem quamlibet, qualem ponunt adversarii, evasissent inutiles: quin immo saepissime impedivissent, ne organismi illi vitam pergere potuissent (Phil. nat. n. 593). Neque ulla causa esse potuit, ob quam in organismo inferiore, qui id tantum quaerat retineatque, quod sibi accommodatum atque utile sit, oriantur instinctuum, consuetudinum, nervorum, vertebrorum, organorum certo motui vel sensui inservientium initia vel additamenta[1].

---

[1] Dicit I. H. Fabre p. 48 sqq.: „Je vois bien de grands mots, on invoque la sélection, l'atavisme, la lutte pour la vie, mais je préférerais quelques tout petits faits. Ces petits faits, depuis bientôt une quarantaine d'années, je les recueille, je les interroge, et ils ne répondent pas précisément en faveur des théories courantes.“ — „L'art d'apprêter les provisions de la larve ne comporte que des maîtres et ne souffre pas des apprentis; l'hyménoptere doit y exceller du premier coup ou ne pas s'en mêler. Deux conditions, en effet, sont de nécessité absolue: possibilité pour l'insecte de traîner au logis et d'emmagasiner un gibier qui le surpasse beaucoup en taille et en vigueur; possibilité pour le vermisseau nouvellement éclos de ronger en paix, dans l'étroite cellule, une proie vivante et relativement énorme. L'abolition du mouvement dans la victime est le seul moyen de les réaliser, et cette abolition, pour être totale, exige des coups de dard multiples, un dans chaque centre d'excitation motrice. Si la paralysie et la torpeur ne sont pas suffisantes, le ver gris bravera les efforts du chasseur, luttera désespérément en route et ne parviendra pas à destination; si l'immobilité n'est pas complète, l'œuf, fixé en un point du ver, périra sous les contorsions du géant. Pas de moyen terme admissible, pas de demi-succès. Ou bien la chenille est opérée suivant toutes les règles, et la race de l'hyménoptère se perpétue; ou bien la victime n'est que partiellement paralysée, et la descendance de l'hyménoptere périt dans l'œuf“ (Nouveaux souvenirs entomologiques p. 48 sqq.).

166. **Thesis III.** **Magis etiam absurdus est darwinismus, in quo, ut explicetur descendentia et transmutatio continua a nobis supra reiecta, adhibetur sola adaptatio mechanica, sine ulla tendentia finali.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Darwinistae omnes in eo conveniunt, quod omnem tendentiam finalem negant, omniaque repetere conantur ex causis unice mechanicis (Phil. nat. n. 84). Id efficere sibi videntur, quod ponunt infinitam rerum transmutationem continuam, in qua regente casu oriantur propter rerum variabilitatem apta atque inepta simul; inepta interire, res aptas superstites esse: in hac quasi pugna pro exsistentia peracta res superstites per quandam quasi selectionem perfici, hasque perfectiones per haereditatem transmitti in posteros. Atque haec omnia non solum de certis essendi modis, sed etiam de certis operandi modis, velut de animalium instinctibus, qui singulis speciebus sunt proprii, asseverant[1].

167. **Argumenta.** *Arg. I* (ex defectu causae ad effectum explicandum necessariae). Absurde dicit, qui causam ponit, quae ex se explicando effectui par esse non potest. Id vero obiciendum est darwinistis. Utcumque enim rem suam novis in dies inventis nominibus occultant, nulli alii causae, nisi impressionibus extraneis, quae casu regantur, immutationes illas generationum iterum ac saepius ac centies millionies repetitas et ex longo ordine inter se additas ascribere possunt ad efformanda illa organa et facultates vitales, quae in natura mirabili ordine distincta conspiciuntur (Phil. nat. n. 87. 92). Quamvis autem impressiones forinsecus advenientes mirabiles effectus in organismis quoad res secundarias

[1] Recte hac de re E. Wasmann: „Zwei Factoren sind nach der darwinistischen Descendenztheorie für die Entwicklung der Instincte massgebend: 1 Die Variabilität der angeborenen Fähigkeiten, wodurch bei den Nachkommen eines Elternpaares verschiedene kleine individuelle Abänderungen des elterlichen Instinctes auftreten können. 2. Die Vervollkommnung der angebornen Instinctabänderungen durch neue individuelle Fertigkeiten, die das Thier im Laufe seines Lebens erwirbt. Sowohl für die angebornen Variationen des Instinctes, sowie die durch Uebung erworbenen Modificationen desselben ist vor allem erforderlich, dass sie sich auf die Nachkommenschaft vererben; sonst können sie zur Entwicklung der Instincte nichts beitragen. Der natürlichen Zuchtwahl fällt bei dem ganzen Vorgange nur die negative Aufgabe zu, die minder zweckmässigen Instinctabänderungen auszuscheiden und unschädlich zu machen, indem die mit mangelhaftern Fähigkeiten ausgestatteten Individuen im Kampfe ums Dasein unterliegen. Die ganze positive Aufgabe ist durch obige zwei Factoren zu lösen" (In libro: Die zusammengesetzten Nester und gemischten Kolonien der Ameisen p. 217).

producere possint, ad immutandos tamen ipsos characteres specificos nihil efficere possunt.

Arg. II (ex selectionis naturalis ineptitudine). Concedimus certis positis conditionibus fieri, ut res aptiores sint superstites, ineptiores intereant. Negamus autem hanc rem ad explicandum ortum ordinum organicorum adhiberi posse.

a) Inepte dicunt in unaquaque specie et spectata unaquaque conditionum circumstantia fuisse innumerabiles varietates ineptas aptasque permixtas omnis generis[1]. Quae apta erant, perdurare quidem potuerunt; quum autem saepenumero primam aptitudinem habeant ex incredibili complicatione, de eorum ortu integra redit quaestio. Quae vero inepta ponuntur, haec ne ab initiis quidem exsistere potuerunt.

b) Deinde positis etiam formis, quae magis vel minus aptae sint, putari nullo modo potest minus aptis propter magis aptas intereundum esse. Bellum enim istud, quale ab adversariis pro exsistentia ineundum fingitur, a natura nullo modo pro lege universali institutum est. Unde minus aptas formas cum magis aptis simul in natura in pace exsistere videmus. Potius contra intuenti cuique rerum realitatem apertum est omnes rerum classes, tanquam partes unius universi, inter se amice iuvare atque supplere. Quod si bellum in natura locum habet, eius effectus non est specierum immutatio, sed magis efficitur, ut sublatis individuis minus apte dispositis species omnes in sua perfectione conserventur. Si autem interdum in natura numerus individuorum, qui nimium excreverit, ad modum redigitur, bellum istud ab adversariis confictum nullius fere momenti est; nam vix non semper casus eveniunt, quibus perfectiora simul cum imperfectioribus intereunt.

c) Variationes minutissimas (velut oculorum, pulmonum, instinctuum prima initia), quales ab adversariis ponuntur, inutiles potius quam utiles esse iam supra notavimus.

---

[1] Dicit Hehnle: „Nehmen wir die Theorie beim Wort: Der Löwe hat sich durch natürliche Zuchtwahl die gelbe Farbe erworben, weil sie ihm nützlich ist, um auf dem gelben Wüstensande unentdeckt seine Beute zu erlauern. Also hätten einst blaue, rothe, grüne Löwen existirt, deren Andenken sich in Wirtschaftsschildern erhalten zu haben scheint; sie mussten elend verhungern, weil die Antilopen ihnen von weitem aus dem Wege gingen, und nur die gelben blieben übrig, um das Geschlecht zu erhalten“ (Anthropologische Vorträge [Braunschweig 1880] fasc. 2, p. 75).

d) Inepte dicunt adversarii characteres variarum specierum omnes ideo in rebus inveniri, quia aptiores et utiliores sint. Reapse enim characteres permulti eius generis sunt, ut ad facilitandam exsistentiam nihil prorsus conferant. Inter quas proprietates praecipuae illae sunt, quas morphologicas vocant [1]. Dicunt quidem proprietates has morphologicas in animalibus pro causa habere selectionem sexualem. Verum haec selectio, si homines excipias, vix ulla in natura reperitur, neque locum habere potest in theoria, qua causae omnes praeter mechanicas negantur.

e) Quum adversarii primis temporibus simplicissimos tantum organismos sub iisdem conditionibus externis exstitisse faciant, causam omnem de medio tollunt, propter quam variationum aliquae utiles fuisse putari possint [2].

Arg. III (ex aliis ineptis illius theoriae positionibus). a) Selectionem naturalem selectioni artificiali aequiparari volunt. Sed naturalis quae dicitur selectio tendentiam omnem finalem excludit. Unde naturalis non dicitur selectio nisi metaphorice.

b) Legem correlationis statuunt, qua efficiatur, ut mutata per selectionem naturalem re una etiam sescentae aliae mutentur simul modo congruenti. Sed quae est in hoc genere lex, aperte causam habere non potest nisi in principio interno teleologico, a quo darwinistae abhorrent. Deinde lex ista organismos iam in sua specie constitutos supponit; unde nullo modo ad ipsas formandas species quidquam conferre potuit.

c) Ex darwinistis nonnulli usui et non-usui membrorum atque instinctuum in formandis speciebus magnas partes tribuunt, velut quum dicunt manducando formari dentes, ambulando pedes. Sed facile quidem perspicitur fieri posse, ut propter usum organum perficiatur, propter non-usum aliquid minuatur. Nemo autem

[1] Id fatetur Darwin, The descendant of man I, 132. 134.

[2] Id fatetur Claus, darwinismo ceteroquin admodum addictus: „Im Anfange konnte es nur wenige Arten einfacher aus Protoplasma und Sarcode bestehender Organismen von einzelligen Protophyten und Protozoen geben. Bei der Beschränktheit der Concurrenz, bei der Gleichmässigkeit der äussern Bedingungen auf der ganzen Erdoberfläche fehlte es an Hebeln, welche die Entstehung nützlicher Abänderungen bedingen mussten. . . . Die Wirkung der natürlichen Zuchtwahl setzt eine bereits vorhandene Mannigfaltigkeit im Bau und in der Lebensweise der Organismen voraus, wie sie die ausschliessliche Existenz von wenigen und sehr einfach gestalteten Arten, wenn auch unendlich zahlreichen Lebewesen unter gleichförmigen äussern Naturbedingungen nicht zu bieten vermag“ (Kl. Lehrbuch der Zoologie p. 143).

videt, qui fieri possit, ut hac ratione organum vel instinctus ipse efficiatur. Ante enim usus rei esse non potest, quam res ipsa ad operationes speciei congruentes destinata et determinata sit.

168. **Thesis IV.** **Post reprobatam theoriam descendentiae non est dubium, quin permulti inter plantas et beluas ordines sint, qui ratione specifica, i. e. iacente in ipsa essentia, inter se differant.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* In hac re caput est, ut dicamus multos ordines, quibus plantae et beluae inter se distinguantur, differre specie. Nonnulli dicunt illa differre specie, quae ex prudentium iudicio notabiliter inter se diversa sint. Alii eas res specie differre volunt, quae sint inaequales in perfectione essentiali et entitativa. Sunt quoque, qui ea secundum speciem differre dicant, quae differant in praedicato praecipuo et nobilissimo. Alii paulo aliter. Quae sententiae alio loco (Log. n. 945, 10) satis sunt reprehensae. Ex communi Aristotelicorum sententia ad notionem differentiae specificae requiritur et satis est, ut ea sita sit in ipsa rerum essentia (Log. n. 959). Quam ob rem ea est notio speciei, ut dicatur per modum praedicati substantivi et essentialis solam et totam rei essentiam exprimentis (Log. n. 944); velut quum quis dicit: *Melchior est homo,* exprimit speciem, sed quum dicit: *Melchior est Aethiops,* speciei addit quidpiam, quod non in essentia Melchioris fundamenta habet, sed in rebus accidentalibus.

Praenota 2°. Non dicimus ordines omnes, qui vulgo dicuntur species organismorum, reapse species esse. Plurima enim sunt inter individua unius speciei discrimina, quae „accidentibus inseparabilibus“ (Log. n. 972, 2) annumeranda sunt, sive ex naturae instituto (velut discrimen inter marem et feminam, inter puerum et senem, inter varios apum, formicarum ordines, inter individua per polymorphismum, metagenesim, metamorphosim orta) sive ex quibusdam rerum externarum appulsionibus acquisita et per haereditatem transmissa et nunc stabilita sunt (in quo genere varietates canum et quas species systematicas vocant reperies). His „accidentibus inseparabilibus“ annumeramus etiam novas illas formas, quas organismi per accommodationem ad novas vitae conditiones per subitam transformationem fortasse nacti sunt et nunc firmiter retinent.

Praenota 3°. Non est nostrum definire, quinam organismi speciebus essentialiter diversis, qui varietatibus vel speciebus accidentaliter diversis annumerandi sint. Tanta est enim multorum

ordinum propinquitas, ut distributio ista homini vel peritissimo indicatu sit difficillima. Nobis satis est dicere permultos esse rerum organicarum ordines, qui inter se differant ex interno principio essentiae indito.

169. Argumenta. *Arg. I* (ex natura istarum differentiarum). Ex iis, quae supra sunt disputata, manifesto apparet differentiarum, quibus ordines viventium inter se discernuntur, aliam rationem indicari non posse nisi certam quandam diversitatem et differentiam ipsis rebus insitam, quocunque nomine ea significetur (modo sit secundum diversas species determinata). Si autem res ob internam differentiam determinatam toto suo habitu differunt, differentiae specificae sunt verique nominis species.

Unde sequitur scite a Suaresio dictum esse: „Omnis forma substantialis habet propriam entitatem distinctam in re ipsa a materia vel aliis formis; ergo necesse est in illa entitate intelligere ultimam et propriam differentiam sive rationem, per quam distinguitur essentialiter ab aliis formis habentibus diversam essentiam, cum quibus convenit in communi ratione formae substantialis. Ergo omnis forma substantialis est necessario constituta secundum suam entitatem in aliqua ultima specie formae substantialis. Sed omnis forma communicat cum composito totum Esse totamque essentiam suam. Ergo consistit illud in aliqua ultima specie substantiae compositae.“ [1]

Arg. II (ex indole classium in natura exsistentium). Experientia et observatione constat a) esse in natura collectiones certas et determinatas formarum inter se similium, quae a reliquis eiusdem generis collectionibus certis et praeruptis quasi intervallis seiungantur; b) collectiones illas sub conditionibus maxime diversis perque plurimas generationes typum suum indolemque servare, defendere, restituere. Atqui harum rerum alia ratio indicari non potest, nisi certa quaedam diversitas et differentia ipsis collectionibus insita. Eae autem res, quae ob internam differentiam toto suo habitu inter se differunt, eae certe in diversis veri nominis speciebus collocandae sunt.

Dices 1°: Conceptus ille speciei, ex quo individua eiusdem speciei sint, quae in indefinitum inter se propagari possint, iam exoletus et a disciplinis naturalibus est exterminatus. — *Resp.:* Haec speciei descriptio ante Köllreuter et Buffon fere ignorabatur. Neque ab ullo ipsa specierum indoles in indefinita ista propagatione est posita; sed contenti erant, ut dicerent ex hac propagationis virtute indolem specificam commode dignosci posse. Qui igitur negant criterium hoc verum esse, non eapropter negant ullas esse species. De cetero iam Aristoteli notum erat, quasdam hybridas non esse omnino steriles [2].

[1] Disp. metaph. disp. 13, sect. 3, n. 16. [2] L. 2 de generat. animal. c. 7—8.

Dices 2°: Ingens est usque ad nostra tempora de criterio speciei disputatio. Ex quo apparet esse dubium, sintne revera species necne. — *Resp.:* Extra controversiam est ipsam rationem speciei in collectione proprietatum principalium collocandam esse. Difficile tamen est in multis rebus definire, quae ad eam collectionem pertineant. Ita fieri potest, ut ne a sapientibus quidem nonnullae res quoad speciem inter se facile discerni possint. Praeterea pro diversitate rationum consideratarum criteria specierum diversa recte indicari possunt (Phil. n. 597).

170. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo inepta est sententia eorum, qui varias organismorum species eo dumtaxat modo admittunt, ut dicant species esse complexus individuorum, quae quamdiu hominibus fuerint nota, eadem semper phaenomena exhibuerint.

Coroll. 2. Ergo neque putari possunt species organismorum esse sola naturae tentamina imperfecta ad formandum hominem, qui sit unus viventium typus perfectus. Unusquisque enim typus in sua specie perfectus est. Atque mirabili hac specierum diversitate nititur ordo et harmonia mundi visibilis.

Coroll. 3. Ergo discrimen est inter species et „varietates" illas, quae haud raro inter individua alicuius speciei reperiuntur. Quae diversitates interdum magnae sunt et constantes et per innumerabiles generationes transmittuntur. Varietatum diversitas magis in exterioribus proprietatibus haeret. Ex quo fit, ut individua diversae varietatis, quum sint intra unam speciem, in indefinitum propagari possint.

171. *Coroll. 4.* Ortum specierum quod attinet, ex reiectis theoriis falsis et ex stabilitis hactenus veritatibus sequitur tres esse theorias, secundum quas origo organismorum locum habuisse possit. Prima est theoria „descendentiae secundum quid", secundum quam specierum variarum origines petuntur ab impulsibus metaphysicis sive divinis, iterum ac tertio secundum terrestris evolutionis conditionem factis, ita ut in efficiendis speciebus superioribus inferiores adhibitae sint. Hanc theoriam licet habeamus ut omnino improbabilem (n. 163, 2), tamen non reicimus ut absurdam.

Secunda est theoria stabilitatis purae sive absolutae, sive productionis. Hanc qui sequuntur, docent auctorem mundi unamquamque speciem ea indole et eo ornatu produxisse ex materia anorganica, sicut hodie inveniatur.

Nonnulli de theoria creationis dicunt. Sed non est creatio nisi vi vocis latiore. Qua de re Suarez: „Quamvis", inquit, „productio istorum animalium interdum creatio dicatur, nihilominus non fuit ex nihilo, sed ex praeiacente

materia, modo tamen proprio auctoris naturae. . . . Ultima pars assertionis intelligitur de productione quoad praeviam alterationem et organizationem; nam haec non est facta modo ordinario et communi, sed divina virtute. Et ob eam rem creatio appellatur lato modo, ut et ab ordinaria generatione distinguatur, et ut denotetur fuisse quendam modum productionis auctoris naturae proprium. Nihilominus tamen substantialis generatio talium viventium, quae in instanti facta est, eiusdem speciei fuit cum simili generatione ordinario modo facta. Nam in se utraque productio est per veram eductionem de potentia materiae prius natura ultimate dispositae ad talem formam." [1]

Certum est hanc theoriam a vero minime abhorrere. Quod si quis ita interventum creatoris sine necessitate multiplicari putet, is meminerit ex principiis metaphysicis non esse dubium, quin Deus operatus sit omnia in omnibus, et usque modo operetur; cuius operatio perpetua et omnimoda ex variis effectibus varia nanciscitur nomina. Operatur autem Deus eo moderamine, quod naturae rerum est conveniens. Et ille quidem interventus iteratus a formatione mundi minime alienus fuit (Phil. nat. n. 574).

172. Tertia est theoria stabilitatis mixtae sive moderatae, in qua retinetur specierum stabilitas, admittitur tamen intra singulas transformatio sive per saltus sive (in nonnullis rebus) per transmutationem continuam.

Hoc modo nonnulli opinantur a palaeotherio, quod sub initium temporis tertiarii vixerit, anchitherium ortum esse, ex anchiterio, quod sub finem periodi eocaenae exstiterit, hipparion genus traxisse; ad hipparion autem, cuius vestigia ad medium tempus tertiarium spectant, equos nostros originem suam referre. Alii (Marsh) hanc seriem ponunt: equum, pliohippum, protohippum (hipparion), miohippum (anchitherium), mesohippum, orohippum, echippum, qui ineunte periodo eocaena exstiterit. Bos ab antracotherio, hyopotamo, aliis descendisse putatur. Verum nulla est in his rebus apud peritos consensio.

Neque haec theoria stabilitatis mixtae, cui transformatio adiungitur, a naturae moribus aliena est. „Est enim", ut monet Aquinas, „naturalis ordo, ut aliquid gradatim de potentia reducatur in actum; et ideo in his, quae generantur, invenimus, quod primo unumquodque est imperfectum et postea perficitur." [2] „Ad liberalitatem dantis non solum pertinet, ut cito det, sed etiam, quod ordinate det et quod convenienti tempore det unumquodque. . . . Unde ad ordinis convenientiam conservandam Deus in quadam imperfectione creaturas primo instituit, ut sic gradatim ex nihilo ad perfectum pervenirent [3]. Reperiuntur praeterea, sicut in rebus

[1] L. 2 de op. sex dierum c. 10.

[2] S. theol. 1, q. 119, a. 2. Cfr. Quaest. disp. q. 4 de pot., a. 1. 2.

[3] L. c. a. 1 ad 8. Consimiliter Suarez: „Deus ea tantum immediate

creatis omnibus, ita etiam in rebus organicis earumque formationibus res tam mirabiliter fictae, quas quis potius ab operatione et evolutione ipsarum creaturarum quam ab immediata activitate Dei sola repetere malit.

Saltus sive transformationes subitae, quae secundum hanc theoriam evenisse putantur, indolem ipsam rerum specificam non affecerunt, sed accidentalem tantum organismorum habitum spectarunt; quam ob rem phaenomenis metamorphosis, dimorphismi, metagenesis, quae reapse in natura accidunt, aliqua ratione comparandae sunt.

Neque putare debemus formas antecedentes fuisse larvarum imperfectarum instar, fuisse igitur tum temporis frustra in natura. Sed pro istorum temporum conditione perfectae erant et toti naturae erant accommodatae.

Transmutationes continuae, quibus etiam in hac theoria stabilitatis mixtae amplus locus est, commode a causis mechanicis (ut sunt caeli temperies, aëris qualitas, similia) peti possunt. Et ad iuvandas transmutationes convenientes causis mechanicis et reliquis rebus a darwinismo celebratis haud exiguae partes a natura commissae putari possunt. Ubique enim naturam vires inferiores ad fines ulteriores prosequendos adsciscere videmus (Phil. nat. n. 616).

173. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Rectissime ab Aquinate praeceptum legimus: „In prima institutione naturae non quaeritur miraculum.“ [1] Supra satis significavimus, neque nobis esse in animo, ut ortum specierum revocemus ad miracula. Sed *dices:* Omne vivum ex ovo et omne ovum ex ovario. — *Resp.:* Transformatio ovi in ovario speciei inferioris non minus a rerum natura aliena est quam productio primigenia speciei perfectioris (Phil. nat. n. 614).

(*Ad 2* supra satis responsum est.)

(Ad 3.) Selectionem artificialem quod attinet, nullum exemplum afferri potest, quo ostendatur transmutatione ullam effectam esse varietatem, qua non modo res accidentariae affectae sint, sed etiam primariae (Phil. nat. n. 584).

(Ad 4.) Quum de rebus imperfectis dicitur, distinguere oportet. Alio modo res imperfecta dicitur, quae nondum ad illum evolutionis gradum pervenit, ad quem ex naturae intentione pervenire debet. Alio modo imperfecta vocatur, quae in sua quidem specie perfecta est, sed non iis perfectionibus instructa est, quibus species altiores sunt conspicuae. Ita *inter* imperfectior

---

producit, quae nonnisi per ipsius actionem in rerum naturam introduci poterant quoad species suas; nam cetera, quae per causas secundas produci poterant, convenientius fuit per illas fieri, et hoc ipsum magis ad perfectionem universi pertinet“ (l. 2 de op. sex dierum c. 10, n. 12).

[1] S. theol. 1, q. 67, a. 4 ad 3.

est navi vi vaporis acta; at quis unquam eapropter lintri vel lintris aedificatori ausus est tribuere nisum, quo in huius rei aedificatione intenderetur navis vapore vecta?

(Ad 5.) Diversitas est inter varietates, in quas genus humanum distinguitur, et inter species, quibus universum genus organicum distinguitur. Varietates enim illae nihil sunt nisi numerus typorum, ad quos varietates innumerabiles plus minusve accedunt. Hae vero species omnino inter se diversae sunt et certis intervallis disruptae.

(Ad 6.) Certum est a geologis species detectas esse atque detectum iri, quae sint intermediae „secundum quid" sive materialiter, quatenus tanquam species in se absolutae suoque modo perfectae et quasi consolidatae inter species remotiores interiacent, quas saepissime comprobatum est exstitisse simul cum illis formis, inter quas mediae esse putantur. Nunquam autem repertae sunt species, quae sint intermediae „simpliciter" sive formaliter, i. e. formae transitoriae, quae dent quasi transitum coniungantque hoc modo species remotiores (Phil. nat. n. 396).

Quaeritur quarto:

sintne homines omnes unius speciei.

174. **Rationes dubitandi.** (1.) Tanta videtur esse inter hominum stirpes sive varietates diversitas, quanta non esset, si omnibus hominibus inesset natura eadem. Si enim haec diversitas a sola vi et contagione rerum externarum inducta esset, ea etiam hodie induci posset. Atqui id minime fieri potest.

(2.) Nemo adhuc declaravit, qua ratione colores varii hominum atque etiam variae linguae ad unum typum primitivum reduci possint.

(3.) Sicut sub diversa caeli temperie diversas species beluarum et plantarum videmus, quae diverso aëri conveniunt, ita etiam alios homines videmus sub serenioris aëris temperie vitam degere, quam in locis, quae sunt exusta solis ardoribus, et in terris septentrionalibus. Sicut igitur plantae et beluae in species proprie dictas divisae sunt, ita etiam inter homines varietas specierum est orta.

175. **Thesis: Homines omnes unius sunt speciei, ita ut universum genus ab una stirpe originem ducere potuerit.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* In scientia naturali quum de rebus viventibus agitur, definiri scimus speciem, ut sit complexus illorum individuorum, quae determinatis proprietatibus in qualibet identidem generatione redeuntibus insignita, et ab individuis aliis extra illum complexum exsistentibus constanter et praeruptis intervallis diversa sunt, et ita quidem diversa sunt, ut inter se quidem in indefinitum, sed non cum aliis per generationem propagari possint. Videndum nunc est, sintne omnes omnino quas novimus humani generis varietates ita unius speciei, ut homines omnes ex uno coniugio ortum ducere potuerint. Id affirmant celebriores scientiae naturalis cultores, inter quos Linné,

Buffon, Cuvier, Blumenbach, Prichard, A. de Humboldt, Owen, Ioh. Müller, Flourens.

Qui igitur omnes profitentur monogenismum contra polygenistas. In hac re conveniunt darwinistae omnes, qui non solum omnes homines, sed etiam elephantos et formicas ab una stirpe originem duxisse volunt.

Praenota 2°. Reperiuntur in genere humano plurimae diversitates cum quadam constantia et stabilitate redeuntes, quae fixo nomine „varietatum" insigniri solent. Varietas quae dicitur ea individua complectitur, quae in quibusdam proprietatibus conveniunt, firmis quidem et per haereditatem transmissibilibus, sed accidentariis tantum.

Et admodum diversus indicatur harum varietatum numerus, prout differentia petitur aut a diverso colore et diversa structura cranii, aut a diversitate linguae, aut a diversa magnitudine cerebri, aut a diverso habitu totius corporis.

Blumenbach numeravit quinque: caucasicam, mongolicam, aethiopicam, americanam, malaicam. Lacépède et Duméril assignant sex, alii undecim, quindecim alii; Desmoulins sedecim. Agassiz indefinitum numerum vult esse. Retzius homines dividit in dolichocephalos et brachycephalos; utramque classem iterum dividit in orthognaticos et prognaticos. Aeby stenocephalos distinguit et eurocephalos. Alii aliter.

Et difficile est statuere, quaenam ex tam multis distributionibus ceteris praeferenda sit. Nullo enim modo variae hae diversitates coloris, cranii, cerebri coincidunt. Neque cum ulla diversitate physiologica convenit diversitas linguarum. Neque ulla varietas ab aliis sibi coordinatis praerupto intervallo separatur. Unde varietates quas dicunt potius typos dixeris, ad quos innumerabiles varietates plus minusve accedunt. Id vero, quod in unaquaque varietate pro insigni eius proprietate statuitur (velut *color*, vel *figura vultus*), haud raro etiam in individuis aliarum varietatum deprehenditur. Videmus homines, qui structura cranii differunt, convenire in colore, et contra.

Praenota 3°. Adversarii, qui igitur polygenismum profitentur, sunt e schola, quam Americanam vocant (Knox, Morton, Agassiz); praeterea Oken, Carus, C. Vogt, Giebel, Strauss, Burmeister.

176. Argumentum (ex dependentia humani corporis a contagione rerum externarum). Conveniunt omnes, qui rebus naturalibus navant operam suam, ex se fieri posse, ut individua omnia, quae sint in eadem specie, ex uno coniugio deriventur. Sed homines

omnes in una eademque specie sunt; conveniunt enim in essentialibus; ea vero omnia, quibus inter se differunt, accidentalia sunt.

a) Conveniunt eo, quod eodem modo, eademque in singulis individuis diversitate habent intelligentiam, usum liberi arbitrii, patiuntur insultus passionum, sunt capaces religionis, moralitatis, vitae socialis, sunt in his et aliis rebus vere dociles.

Et conveniunt non solum in omnibus facultatibus vitalibus, sed etiam in iis rebus omnibus, quae in individuis eiusdem speciei esse solent, in structura corporis externa et interna, non solum in organis omnibus maioribus, sed etiam in omni nervo, osse, musculo vel minutissimo; in vitae duratione, in calore corporis interno, in arteriarum motu, in morbis, quibus individua omnia subiecta sunt, in sescentis aliis. Quibus in rebus illud etiam notandum est, omnes vel diversissimarum stirpium homines per fecunditatem indefinitam propagari posse.

b) Ea omnia, in quibus differunt, accidentalia sunt. Sunt enim haec cuncta in eo genere, ut a coeli temperie, a temperatura, a modo vivendi, a variis occupationibus, a rebus similibus oriri et haereditate transmitti augerique potuerint.

α) Id patet ex natura rei. Etenim in plasmando corpore organismus non agit solus, sed pendet a viribus materiae et rebus externis: calore, aëre, nutrimentis, occupationibus.

β) Patet ex experientia. Mirum est enim, quantum labores, variae occupationes, nutrimenta, morbi, res aliae similes indolem hominum mutare potuerint.

γ) Praeterea non sine ratione putant corpus humanum sub initiis temporum flexibilius fuisse tactuique rerum externarum ampliorem dedisse aditum.

177. **Respondenda.** *(Ad 1.)* In minore gradu etiam hodie inter homines diversitas induci et haereditate transmitti potest. Fatendum est id non fieri eo gradu, qui ad formandas fixas illas et stabiles varietates erat necessarius. Sicut autem individua initio exsistentiae suae molliora sunt et impressionibus externis magis exposita, ita etiam universum genus humanum quondam multo tenerius atque flexibilius fuisse putandum est, quam nos nostro tempore id experiri possumus. Plurimae conditiones, gestus, figurationes, mores per diuturna tempora, per longissimas consuetudines ita in natura humana firmata atque impressa et insculpta quasi sunt, ut nulla iam vi forinsecus adveniente nunc expelli vel superari possint.

Dices: Sed non satis est temporis praeteriti, ut tam grandis varietas paullatim inducta esse possit. — *Resp.:* Non desunt rationes, quae suadeant mutationes olim citius peractas esse.

(Ad 2.) Plurima sunt tum quoad res ipsas tum quoad rerum conditiones, quae qua ratione orta sint ignoramus. Ostendant adversarii nullo modo fieri posse, ut colores, linguae, formationes cranii aliaque, quibus homines inter se differunt, ex una re primitiva per transmutationem orta sint.

Colores quod attinet, ostensum est pigmentum illud, unde varietas colorum oriatur, apud omnes homines prorsus idem esse, licet in diverso gradu.

Linguas hominum omnes iam ostensum est reduci posse ad familias quasdam communes, has ad classes pauciores. Neque in his desunt vestigia unitatis cuiusdam primitivae [1].

(Ad 3.) Quis unquam sanae mentis posuit homines una vice migrasse in regiones dissitissimas; et semel et subito ex hominibus eiusdem plane conditionis evasisse Aethiopes, Patagonios, Eskimo?

Dices: Sed non apparet, qua via homines in Americam, Australiam transmigrare potuerint. — *Resp.:* Haec dubitatio, quae olim gravissimum pondus habere putabatur, hodie a nemine serio movetur.

Urgebis: Sed numerosius esse videtur universum genus humanum, quam quod ab una stirpe ortum habere potuerit. — *Resp.:* Id commode fieri potuisse a nonnullis adhibita mathesi declaratum est [2].

SECTIO QUINTA.

De substantialitate vitae sive de anima.

178. Quid voce animae hoc loco intelligatur. Res, de qua nunc dicturi sumus, in tota psychologia est gravissima. Plurimi ex iis, qui hac recenti aetate de natura principii vitalis sunt philosophati, revera in opinationem illorum relapsi sunt, qui principium vitae in aliqua elementorum harmonia collocaverunt. Persuasio de vitae substantialitate ex permultorum mente evanuit; et vita nihil aliud esse putatur quam complexus operationum, quae in organismis conspiciantur. Contra hos nonnulli praeclari nominis physiologi, vana huius erroris ludibria contemnentes, firmiter tenent praeter vitam secundam sive effectam esse vitam primam sive substantialem, quae sit Esse viventibus et causa phaenomenorum vitalium [3].

Principium vitae, de quo quaerimus, vocari solet „anima". Et haec quidem vox adhiberi solet ad significandum principium vitae cuiuscunque, sive illa reperitur in homine sive in belua sive in planta. „Anima dicitur esse primum principium vitae in iis, quae apud nos vivunt; animata enim viventia dicimus, res vero inanimatas vita carentes." [4] Haec consueta dicendi ratio retinenda videtur; quamvis hodie nonnulli vocem animae ad significandam vitam cognoscitivam in homine et belua vel etiam in solo homine restringi velint.

---

[1] Cfr. Kaulen, Die Sprachverwirrung zu Babylon.

[2] Cfr. Burdach, Anthropologie p. 704. Wagner, Gesch. der Urwelt II, 278.

[3] Cfr. Venturoli, Della sostanza viva come concetto fondamentale del vitalismo ippocratico. Fano 1857. F. Frédault, Physiologie générale. Paris 1863.

[4] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 1.

Quum probatum sit (n. 190 et n. 196), ea corpora, in quibus insit operatio vitalis, secundum essentiam ontologicam speciali ratione differre ab aliis corporibus, quae facultate vivendi careant, nunc haec differentia accuratius est exprimenda. „Primum necessarium est videre, in quo genere collocetur et quid sit anima, utrum sit substantia (*τόδε τι καὶ οὐσία*) an in qualitate vel in alio quodam praedicamentorum genere collocetur.“ [1] Dicemus igitur hanc differentiam ontologicam substantialem esse eo, quod principium vitale sive anima ut speciale quid ad ipsam substantiam pertineat.

„Vita enim maxime manifestatur duplici operatione, scilicet cognitionis et motus. Horum autem principium antiqui philosophi, imaginationem transscendere non valentes, aliquod corpus ponebant, et quod non est corpus, nihil esse; et secundum hoc animam aliquod corpus esse dicebant.“ Huius autem opinationis falsitas aperte eo patet, „quod non quodcunque operationis principium est anima . . ., sed primum principium vitae dicimus esse animam. Quamvis autem aliquod corpus possit esse quoddam principium vitae . . ., tamen non potest esse primum principium vitae aliquod corpus. Manifestum est enim, quod esse principium vitae vel vivens non convenit corpori ex hoc, quod est corpus; alioquin omne corpus esset vivens aut principium vitae. Convenit igitur alicui corpori, quod sit vivens vel etiam principium vitae per hoc, quod est tale corpus. Quod autem est actu tale, habet hoc ab aliquo principio, quod dicitur actus eius. Anima igitur, quae est primum principium vitae, non est corpus, sed corporis actus; sicut *calor*, qui est principium calefactionis, non est corpus, sed quidam corporis actus.“ [2]

Nunc vero inquirendum nobis erit, utrum actus sive qualitas, quam vidimus esse animam, sit actus corporis accidentalis an substantialis, vel quod idem est, utrum sit accidens an substantia.

179. Communis de natura animae sententia. Si scepticos, pantheistas (monistas), materialistas, empiristas sive positivistas (quos merito hac in re scepticis annumeraveris) excipias, universo generi humano inde ab omni tempore persuasum erat in unaquaque re vivente, vel saltem in homine, esse substantiam, quae esset anima. Quomodo enim a primis generis humani initiis firma esse potuisset persuasio, post hanc hominis vitam alteram solius animae vitam futuram esse, nisi mentibus omnium alte insedisset sententia, esse in homine aliquid, quod ex se subsistere possit?

Inter Graecos (n. 4) ab initiis plurimos animae humanae rationem substantiae tribuisse scimus, quamvis de natura huius animae haud raro quae inepta sint protulerint. Pythagoras suspicatus est animam esse partem invisibilis aetheris et effluvium

[1] Arist. l. 1 de an. c. 1, 402a, 22; cfr. l. 2 anal. post. c. 13, 96b, 19.
[2] S. Thomas l. c.

divini solis. Xenocrates animum dixit esse numerum, cuius vis, ut iam antea Pythagorae visum erat, in natura maxima esset. Plato (n. 6) triplicem finxit animum; cuius principatum, i. e. rationem, in capite sicut in arce posuit, et duas partes parere voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit: iram in pectore, cupiditatem super praecordia locavit. Et censuit quidem Plato animam praeesse corpori velut nautam navi, illique uniri velut hominem vesti, qua indueretur, vel velut motorem mobili per contactum quendam virtutis.

Quod si Plato (in Timaeo) dixit animum esse numerum vel circulum (numerum se moventem propter diversas actiones internas, quibus se ipsum in actum reduceret; circulum propter actiones reflexas, quibus reflecteretur in se ipsum se suasque operationes contemplans), symbolice tantum locutus esse videtur.

In hoc Platonici fere omnes conveniunt, quod anima sit substantia distincta et completa, quae regat corpus per assistentiam ut sessor equum.

Aristoteles (n. 7), quum quattuor illa nota elementa esset amplexus, ex quibus omnia orirentur, aliam quandam naturam censuit esse, ex qua esset mens. Cogitare enim et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia: meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari, haec et similia eorum in horum quattuor generum inesse nullo putat.

Et recte contra Empedoclem posuit Aristoteles eam esse in unoquoque vivente unitatem, quae ex sola elementorum congerie vel ex accidentium complicatione trahi non posset, sed causam huius unitatis petendam esse ex unitate substantiae [1].

Ex mente igitur Aristotelis non solum in homine esse animam ut substantiam putandum est propter vitam intellectivam, sed etiam in beluis propter vitam sensitivam atque in ipsis plantis propter vitam vegetativam. Et de vita vegetativa non facile iudicium ipsi visum est esse; concludebatur tamen ex argumentis, quae ad affirmandum satis firma esse putabantur. Activitatem illam unam, internam, immanentem, viribus materiae superiorem, quae esset in quolibet organismo, ex elementis materialibus solis utcunque dispositis procedere non posse; et operationes rerum anorganicarum ne inchoative quidem quidquam tribuere posse ad incipiendam actionem immanentem, qualis esset intussusceptio, generatio [2]. Quam ob rem ponit Aristoteles animam esse substantiam

[1] Arist. l. c. c. 4, 408 a, 14; c. 5, 410 b, 10 sqq.

[2] Hanc in evolutione gallinae ex ovo praeclare exponit Aristoteles in l. 6 de historia an. c. 3.

quam comparat prudenti oeconomo, qui nihil agat frustra, sed dispenset cuncta modo necessitati partium accommodato [1].

Magistrum suum Peripatetici omnes secuti sunt. Qui uno ore docuerunt animam esse substantiam. Est enim, inquiunt, naturae necessitas, ut operationibus vitalibus subsint potentiae vitales, potentiis vitalibus subsit substantia vitalis.

180. Sed restat, ut quaeratur, quae sit animae cum corpore unio. „Obscurum est enim," ut est apud Stagiritam, „sitne anima actus corporis eo modo, quo gubernator est actus navis." [2] Aristoteles quum omnem ordinem complexum et constantem, qui reperiretur in rebus identidem recurrens, peteret e causa finali, in rebus praecipue organicis principium tendentiae finalis in rebus ipsis quaerendum esse praecepit.

„Si natura gratiaque alicuius hirundo nidulum exstruit, araneus araneam texit, plantae denique frondes tegendorum fructuum gratia explicant, radicesque non sursum, sed deorsum emittunt sumendi causa nutrimenti, patet esse causam talem in hisce, quae natura fiunt et constant. Atque quum natura duplex sit, altera quidem materia, altera autem forma, et haec sit finis, finis vero gratia cetera fiant, haec ea est profecto causa, cuius gratia cetera fiunt. . . . Etiam in plantis ipsis id inest, quod est alicuius gratia; minus autem est distinctum et manifestum." [3] Quibus ex dictis manifestum est non solum esse partem substantiae viventi internam, sed etiam „animam non subire rationem eorum, quae potentia sunt, sed esse actum" [4].

Atque ita docuit animam esse formam substantialem (Phil. nat. n. 137), corpus autem in vivo organismo habere rationem potentiae substantialis [5].

Itaque ratio entis simpliciter neque animae competit neque corpori, sed toti, quod est ex anima et corpore compositum [6]. Non anima vivit, sed totum, in quo corpus habet suum Vivere propter animam [7]. Neque oritur anima, sed oritur totum [8].

181. **Apud veteres sententiae adversariae.** Vix non omni tempore erant, qui scepticorum vel sophistarum vel academicorum more ita dicerent: Latent ista omnia crassis occulta et circum-

---

[1] Arist. l. 2 de generat. an. c. 6.

[2] L. 1 de an. c. 1, 413 a, 8. Cfr. l. 8 physic. c. 4, 254 b, 27.

[3] L. 2 physic. c. 8, 199 a, 25 sqq.

[4] L. 1 de an. c. 1, 402 a, 25; 412 a, 7; 414 a, 4.

[5] L. 6 metaph. c. 3, 1029 a, 23. Locos alios collectos habet Brentano, Psychol. des Aristoteles p. 46.

[6] Arist. l. 2 de an. c. 1, 412 a, 6. [7] Ibid. c. 4, 415 b, 12.

[8] Id. l. 6 metaph. c. 8, 1033 b, 5 sqq.; l. 7, c. 1, 1042 a, 30; l. 11, c. 3, 1070 a, 21.

fusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae penetrare possit.

Corpora nostra, ut est apud Tullium, non novimus; qui sint situs partium, quam vim quaeque pars habeat, ignoramus. Itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut viderentur. Nec eo tamen notiora sunt illa, quia potest fieri, ut patefacta et detecta mutentur. Satisne ea nota sunt nobis, quae nervorum natura sit, quae venarum? tenemusne, quid animus sit? ubi sit? sitne an ne sit quidem ullus? Si est, tresne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis; an simplex unusque sit? si unus et simplex, utrum sit ignis, an anima, an sanguis? an mens nullo corpore? et quidquid est, mortale sit an aeternum? nam utramque in partem multa dicuntur. Horum aliquid quod certum sit, nihil occurrit, ita sunt in plerisque contrariarum rationum paria momenta [1].

Monistas vel pantheistas scimus unam dumtaxat pronuntiare substantiam esse. Ex quo consequens est, ut singulas animas istius unius substantiae phaenomena esse dicant sive modos sive accidentia realia.

Alii animas esse admiserunt, sed vim omnem eam, qua vel ageremus quid vel sentiremus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam nec separabilem a corpore esse, quippe quae nulla esset, nec esset quidquam, nisi corpus ita figuratum, ut temperatione naturae vigeret et sentiret.

Hoc modo Galenus animum in certo quodam partium, humorum, qualitatum temperamento posuit. Aristoxenus musicus illos veteres secutus est, qui ipsius corporis intentionem quandam animum esse dixerant; velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Dicaearcho visa est anima esse mixtio certa vel harmonica elementorum secundum quattuor qualitates primas, neque quidquam nisi corpus ipsum unum et simplex ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat. In sententiam similem lapsus est Strato, Theophrasti discipulus, omnia phaenomena vitalia dicens esse varios motus corporis, omnisque vitae causam in calore positam esse. Critolaus et Diodorus Tyrius animam ex quinta essentia sive aethere confici voluerunt.

Et plurimae erant apud veteres opinationes, quae apertius etiam ad materialismum accederent sive ad illam doctrinam, quae tenet animam nihil esse praeter accidentalem quandam materiae affectionem [2].

De quibus haec fere Tullius [3]: Quid sit ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur. Alii, inter quos Critias,

[1] Ita fere Tullius, Acad. prior. l. 2, c. 39. De veterum opinationibus cfr. Seneca, Ep. 95 et Quaest. nat. l. 8, c. 24.

[2] De his extensius Aristotelis l. 1 de anima.

[3] L. 1 Tuscul. c. 9.

animum sanguinem esse dixerunt. Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem. Et hunc quidem animum ex quattuor elementis compositum esse voluit eo, quod animus cognoscere posset omnia. Democritus vero levibus et rotundis opusculis ignitis efficit animum concursu quodam fortuito. Ipsum secutus est Epicurus. Putaverat Heraclitus, quum anima mundi esset exhalatio substantiae humidae, ex qua fierent omnia, animam cuiuslibet viventis esse vaporem maxime fluxilem. Vel etiam ignem esse animum opinatus est. Quam sententiam etiam Zeno Stoicus posuisse videtur. Aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere. Aliis nec cor ipsum placet nec cerebri quandam partem esse animum; sed alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum. Animum autem alii animam sive halitum esse quendam dicunt; inter quos Diogenes Apollonius, qui secutus Anaximenem animum esse aërem dixit, eumque ex hoc trahere virtutem cognoscendi et movendi.

182. Sententiae adversariae posteriore tempore prolatae. Sicut inter veteres, ita quolibet fere tempore reperies, qui inquirentes in naturam animae aut in scepticismum aut in pantheismum aut in materialismum relapsi sint, quos enumerare est supervacaneum.

Nonnullos breviter indicare liceat speciminis causa.

Spinoza docet animam esse cogitationem, quae sit accidens Dei.

Ex Hegelii mente dices animam esse apparentiam vanam in evolutione absoluti logica.

Qui ad materialismum concedunt, dicunt animam esse accidens quoddam corpori inhaerens sive materiale sive psychicum vel etiam accidentium summam.

Lockius [1], Hume [2], Condillac [3] docent animam nihil esse praeter affectionum vel sensationum congeriem.

Benecke dicit animam esse ipsum complexum potentiarum sive facilitatum acquisitarum.

183. Sed etiam inter eos, qui ab his erroribus abhorrent, ingens cernitur sententiarum varietas.

Aristotelem aperte docuisse audivimus animam esse quidem substantiam, sed incompletam dumtaxat, quae ipsi materiae tanquam causa formalis det, ut sit et vivat. Haec sententia hodie a multis **animismus** vocatur.

Postquam vero philosophia aristotelica apud plurimos recentiores oblivioni vel derisui est tradita, finxerunt multi animam esse substantiam eamque completam, quae esset in corpore tanquam in substantia alia eo modo, quo dixerat Plato, animam in corpore esse sicut nautam in navi. Inter hos eminent Cartesius [4], Leibnizius.

---

[1] De intellectu humano l. 2, c. 23.

[2] Tract. de natura humana l. 2, pars 4, c. 6.

[3] Traité des systèmes part 2, c. 10, a. 1; Traité des sensations part 1, c. 1, § 2.

[4] Princ. philos. pars 4, n. 189. 190; Medit. l. 6.

Alii finxerunt animam esse „vim activam“, quae vel se sola, vel simul cum viribus naturalibus operationes omnes vitales exsequeretur. Hanc sententiam vitalismum vocant.

Sed magno pondere hoc loco commemorandum est satis multos ex nostrae aetatis doctoribus propter incertum suum et ambiguum dicendi modum sibi meruisse, ut in numero vitalistarum collocarentur, etsi non rebus, sed nominibus tantum ab Aristotelicis (animistis) dissentiunt. Cuius rei ut exemplum sit, a Ioanne Müller (nobili berolinensi physiologo, † 1858) haec praecepta legimus: „Sunt qui dicant vitam nihil esse nisi motum quendam ex motibus bene ordinatis resultantem in machina illa, quam corpus vivum vocant. Nemo dubitat, quin praeclara multorum motuum societas atque harmonia in unoquoque corpore vivo revera reperiatur. Verum hic ordo multarum partium et organorum, quae ad bonum totius sunt necessaria, exsistere non potest nisi ex aliqua vi, quae organismum totum quodammodo comprehendit neque pendet a singulis partibus. Atque haec vis prior est quam membra in toto per harmoniam composita. Potest sane organismus comparari artificio alicui mechanico, mirabili arte composito. Sed organismus ipse suum mechanismum producit in germine, eumque per generationes propagat. Et ipsa corporis organici operatio non solum pendet ab organorum harmonia, sed haec harmonia ab ipso corpore organico effecta est.“ [1]

Ponunt igitur in organismo moleculas multas viribus chemicis et physicis instructas; huic substantiarum congeriei addunt vim unam altioris ordinis, quae sit vitalis, in toto organismo simplex atque omnis activitatis quasi centrum; hanc solam se ipsa dirigere volunt omnes vires materiales ad effectum unum toti organismo immanentem. Et quamvis hi a nomine substantiae in hac re statuenda abhorreant, tamen eam vim vitalem dotibus exornant,

[1] Handbuch der Physiologie des Menschen I, 21. 23. Inter eos, qui eandem sententiam defendunt, memorandi sunt: Flourens: „Ce n'est pas la matière qui vit, une force vit dans la matière et la meut et l'agit et la renouvelle sans cesse.“ Car. Schmidt (physiol. dorpat.): „Die Lebenskraft ist zwar aus der Mode gekommen, sie ist zur ‚metabolischen Kraft der Zelle‘ geworden. Damit hat sie im Grunde nur den Namen gewechselt, da die umbildend gestaltende Kraft der Zelle eben doch eine besondere in der unorganischen Natur nicht vorkommende Kraft ist“ (Zur Vergleichung der Physiologie der wirbellosen Thiere p. 15). Th. Bischoff (physiol. monac.) requirit „eine individuelle Ursache, welche den ganzen Körper schafft und baut“ (Wissenschaftliche Vorträge). Iust. Liebig: „Unsere Vernunft erkennt, dass in dem lebendigen Leibe eine Ursache bestehe, welche die chemischen und physikalischen Kräfte der Materie beherrscht und sie zu Formen zusammenfügt, die ausserhalb des Organismus niemals wahrgenommen werden.“ Ios. Hyrtl: „Die organische Kraft entwickelt nach einem ihr eingebornen Plane den Organismus, entborgt der Aussenwelt den Stoff, aus welchem sie ihn aufbaut. . . . Sie vervielfältigt und theilt sich in dem Masse, als das Material zunimmt, in welchem sie wirkt und mit welchem sie eins ist“ (Anatomie des Menschen p. 5).

quales soli substantiae competere possunt. Unde confirmatur id quod diximus, hos viros rerum physiologicarum peritissimos, qui in vitalistarum numero haberi solent, si perpauca in istis docendi formulis mutata essent, esse revera germanissimos Aristoteleos.

Neque nulli ex vitalistis, in errorem quorundam veterum relapsi, animam subtilem nescio quam materiam corpoream esse dixerunt, quae aetherea esset et tenuissima et ad modum ignis vel electricitatis partes omnes permearet. Ita Baco Verulamius [1], Petrus Gassendi [2] aliique ex atomistis aetatis nostrae [3].

Quae opinatio re vix differt a sententia antiquorum philosophorum, qui „imaginationem non valentes transcendere" aliquod corpus ponebant, sola corpora res esse dicentes, et quod non sit corpus, nihil esse; et secundum hoc animam aliquod corpus esse dicebant [4].

Reperiuntur quoque, qui admittentes animam spiritualem in homine in reliquis corporibus vivis ponant animam ut principium materiale, quod subtilius sit. In quorum numero reperies Paracelsum, Helmontium.

Alii inter organismos animatos et non animatos distinguunt. In hominibus atque bestiis animas esse, non autem in plantis. His speciales quasdam vires vitales permittunt, quae tamen nihil sint praeter effectus ex operationibus materialibus speciali ratione dispositis resultantes [5].

Neque non reperies inter vitalistas, qui animam tanquam principium vitae nomine admittunt, re negant; qui igitur hoc nomine occultant aut materialismum aut pantheismum.

---

[1] De augm. scient. l. 4, a. 3. [2] Physic. l. 3, c. 3.

[3] Inter hos Rud. Wagner, qui confessus quidem est: „Die Lebensprocesse der organischen Körper sind zwar an die allgemeinen Gesetze der physikalischen und chemischen Kräfte gebunden, involviren die letztern, gehen aber nicht in ihnen auf" (Der Kampf um die Seele [Göttingen 1857] p. 209. 211). Sed hanc animam aequiparavit fluido cuidam sive „der unsichtbaren und unwägbaren Flüssigkeit, welche durch den Contact zweier heterogener Metalle zur Erscheinung kommt, d. h. in Bewegung gesetzt wird" (ibid. p. 159). Simili modo locutus Rud. Virchow: „In der Sache selbst möchte es schwer sein, eine Vergleichung der Seele mit dem Lichtäther abzuweisen, und ich erinnere namentlich an das Beispiel von den Muskeln, die neben und mit ihren eigenthümlichen Functionen der Contraction noch Wärme frei werden lassen, deren Substrat nicht als ein integrirender Theil der Muskelsubstanz betrachtet werden kann" (Gesammelte Abhandlungen p. 17). H. Lotze animam aliquam esse atomum iudicavit (Seelenatom mit mannigfaltigen Zwischenorganen). H. Ulrici fluidum quoddam posuit, quod esset substantia continua (eine continuirliche, ungetheilte Seelensubstanz [Leib und Seele I, 205 sqq.]).

[4] S. Thomas l. c.

[5] Cfr. Bouillier, Le principe vital et l'âme pensante (2e ed. Paris 1873) p. 48 sqq.

Ex his exemplo sit Guil. Wundt, qui excogitata „theoria actualitatis“ solas activitates inter se nexu causali cohaerentes ponit; animam humanam esse actum quendam apperceptionis, qui actus nostros omnes comitetur, vel potius esse ipsam actuum psychicorum summam. Similia profert Fr. Paulsen[1].

---

[1] Dicit Wundt: „Unsere Seele ist nichts anderes als die Summe unserer innern Erlebnisse selbst, unseres Vorstellens, Fühlens und Wollens, wie es sich im Bewusstsein zu einer Einheit zusammenfügt und in einer Stufenfolge von Entwicklungen schliesslich zum selbstbewussten Denken und zum freien sittlichen Wollen erhebt. Nirgends wird uns in der Erklärung des Zusammenhangs der innern Erlebnisse ein Anlass gegeben, diesen actuellen Seelenbegriff auf etwas zurückzuführen, das nicht immer wieder dieser Zusammenhang des Vorstellens, Fühlens und Wollens selbst wäre. Die Fiction einer transcendenten Substanz, welche diesen Inhalt unseres Seelenlebens nur als eine äussere Wirkung hervorheben soll, die gleich einem vergänglichen Schattenbilde an dem uns unbekannt bleibenden Wesen unserer Seele vorüberziehe — diese Fiction verkennt nicht bloss den wesentlichen Unterschied unserer innern von der äussern Erfahrung, sondern sie droht auch alles, was unserem geistigen Sein Werth und Bedeutung verleiht, in blossen Schein zu verwandeln. Was in unserem Bewusstsein geschieht, ist unmittelbares Erlebniss. Als solches fordert es nirgends jene Unterscheidung eines von unserer subjectiven Auffassung unabhängigen Substrates, welches für die Naturbetrachtung durch den Begriff der Natur als des uns gegebenen und unabhängig von uns existirenden Inbegriffs der wirklichen Dinge gefordert wird. Die seelischen Erlebnisse in uns sind uns als das gegeben, was sie sind. Jene Unterscheidung zwischen Erscheinung und Wirklichkeit, die für die Auffassung der Aussenwelt gefordert ist und zum Begriff der materiellen Substanz als eines aus den Erfahrungsthatsachen zu construirenden hypothetischen Hilfsbegriffs führt, verliert so in der Anwendung auf die Selbstauffassung des denkenden Subjectes jeden Sinn“ (Menschen- und Thierseele [2. Aufl.] p. 492). De subiecto reflexionis perfectae dicit Wundt (ibid. p. 269): „Der Begriff des Ich ist für sich allein genommen vollkommen inhaltsleer, wie er denn auch thatsächlich niemals getrennt und von den besondern Bestimmungen, die seinen ganzen Inhalt ausmachen, in unserer innern Wahrnehmung vorkommen kann. Psychologisch betrachtet ist daher das Ich keine Vorstellung neben der andern, ja nicht einmal eine Nebenbestimmung, die etwa allen unsern Vorstellungen oder einer grössern Anzahl derselben gemeinsam zukäme, sondern einzig und allein die unsere innern Erlebnisse begleitende Wahrnehmung ihres Zusammenhanges. Dass solche Wahrnehmungen, die sich auf das Stattfinden von Vorgängen, die Art ihres Ablaufs und ähnliches beziehen, durch die nämliche festgewurzelte Neigung zur Hypostasirung alles psychischen Geschehens, welche die Vorstellungen zu dauernden Objecten stempelt, gelegentlich noch einmal in Vorstellungen umgewandelt werden, haben wir ja früher schon gesehen. So wird denn vor allem das Ich zu einer solchen angeblichen Vorstellung, obgleich es doch in Wirklichkeit nichts anderes ist als die Art und Weise, wie die Vorstellungen und die andern seelischen Vorgänge zusammenhängen. Da

Quinque ex hac tractatione quaestiones propter rei gravitatem in promptu sunt: 1° habeatne anima rationem substantiae; 2° quae sit habitudo animae ad corpus; 3° quae sit animae recta definitio; 4° quae sit animae in corpore sedes; 5° qua ratione elementa materialia in composito vivo perdurent.

Quaeritur primo:

habeatne anima rationem substantiae.

184. **Introducitur quaestio.** Postquam ante multis argumentis ostendimus vitam vitaeque principium inesse in hominibus, in beluis, in plantis, nunc videndum est, sitne principium vitale accidens an substantia.

Ut ea, quae supra de adversariis dicta sunt, paucis comprehendamus: sunt nobis in hoc negotio adversarii (si scepticos vel empiristas excipias): a) qui dicunt vitam saltem vegetativam praetermissa anima substantiali explicari posse; b) qui vitam sensitivam, quam agnoscunt in animalibus, negant esse ex anima substantiali; c) qui ipsam vitam intellectivam hominis sine anima substantiali esse posse affirmant. Qui igitur omnes vitam repetunt vel ab accidentibus unice materialibus, vel ab accidentibus vitalibus vel psychicis, quae in solis rebus organizatis reperiantur.

---

nun aber weiterhin dieser Zusammenhang in einem gegebenen Augenblick immer durch die vorangegangenen Erlebnisse bestimmt wird, so fassen wir in dem Ich die Gesamtheit der Wirkungen zusammen, die von diesen Vorerlebnissen ausgehen. Das Ich wird uns zu einer Totalkraft, welche in allen den Fällen die eintretenden Ereignisse bestimmt, wo diese nicht sichtlich durch den Zwang äusserer Eindrücke oder solcher innerer Vorgänge, die wir ähnlich wie die äussern Eindrücke passiv erleben, verursacht werden. Da nun das Auftreten und Klarwerden bestimmter Vorstellungen die Hauptwirkung ist, in der jene Vorbedingungen des Bewusstseins sich äussern, so setzen wir das Ich hinwiederum in die nächste Beziehung zu dem Vorgang der Apperception. Das Ich ist das Subject, das wir zu dieser hinzudenken." — Simili in sententia versatur Fr. Paulsen: „Es gibt keine für sich seiende, beharrliche, immaterielle Seelensubstanz; das Dasein der Seele geht in dem Seelenleben auf; hebt man die psychischen Vorgänge auf, so bleibt kein Substantiale als Rückstand. Das Seelenatom ist nichts als ein Rückstand überlebter Metaphysik" (Einleitung in die Philosophie [2. Aufl. Berlin 1893] p. 133). „Dass die Anheftung eines Gefühls oder eines Gedankens an einen ausgedehnten Körper sich nicht vollziehen lässt, ist ohne Zweifel wahr. Aber nun mache man mit der unausgedehnten Substanz denselben Versuch. . . . Ich denke, man wird genau dieselbe Unvollziehbarkeit finden" (ibid. p. 134).

d) Qui vocantur monistae, his accidentibus unum fundum vivum tanquam substantiam unam et universalem substernunt, quae in omnibus et singulis hominibus, beluis, plantis atque in rebus omnibus appareat secundum diversum essendi gradum.

Rationes dubitandi. Videtur (1.) sapientis esse animum ab hac re certo iudicanda avocare. Latent enim ista omnia. Unde videmus inter summos viros eam esse dissensionem, qua maior vix esse possit. Cur cogimur eos sequi, qui inter se dissident? Ergo qui sceptici in hac re sunt, recte sapiunt.

(2.) Maxime probanda videtur esse eorum opinatio, qui censent unumquodque corpus vivum esse partiale quid, i. e. partem inferiorem ad unam substantiam universalem pertinentem. Nam ipsa rerum „species" vel potius „genus" est, quod per activitatem immanentem quaerit sui perfectionem in singulis individuis tanquam sui partibus. Ergo adhaerendum est monistis.

(3.) Neque ulla videtur esse necessitas ponendi in organismo atque in ipsa planta principium vitae, quod substantiale sit. Nam unitas, quae est in organismo, nihil est nisi unitas finis et ideae archetypae in mente artificis. Ergo principium vitae extra organismum reperies.

(4.) Si principium vitae internum habere vis, contemplare incredibilem elementorum harmoniam. Haec satis est; neque ullum praeterea principium substantiale vitae requiritur. Vita enim organismi vegetativa non est causa organismi, neque est causa phaenomenorum vitalium, sed effectus est peculiaris, qui ex illis resultat.

(5.) Non sine ratione Locke dixisse videtur animam esse solum complexum sive fasciculum activitatum psychicarum. Kant: Nonnisi per subreptionem, inquit, effectum est, ut ipsum Ego phaenomenale putaretur esse subiectum reale actuum nostrorum, quum revera tantum constet istud Ego esse subiectum actuum logicum. Et Fichte hoc Ego phaenomenale perspexit esse vanam apparentiam unius Ego absoluti. Hegel conscientiam, quae videretur esse uniuscuiusque hominis propria, revera esse apparens quoddam stadium transitorium spiritus absoluti. Benecke animam nihil esse voluit nisi complexum habituum acquisitorum, quam ob rem in schola praecipue a ludimagistris produci animas hominum asseveravit. E. de Hartmann animam dixit esse fasciculum quasi radiatum ex activitatibus entis inconscii collectum. Atque alii aliis verbis animam humanam satis expresserunt omissa omnis substantialitatis specie.

(6.) Scitius fortasse alii dixerunt substantiam anorganicam speciali quodam accidenti vestitam valere, ut principium vitae esse possit.

(7.) Ad quid tantus in omni organismo apparatus, si est anima, a qua omnes motus vitales efficiantur?

(8.) Sed demus homini esse animam, quae sit rationalis vitae principium, certe tamen a beluis atque plantis omnis anima substantialis abesse videtur. Secus enim homo non satis ab aliis rebus distinctus esset.

(9.) Id quod inest in materia et desinit tamen exsistere corruente materia, est accidens sive materiae modificatio. Sed anima beluae vel plantae ita a materia pendet. Ergo est accidens et non substantia.

185. **Thesis I.** **Nullum corpus vivum, sive est homo, sive bestia, sive planta, ullo modo est pars vel accidens unius substantiae, quae omnia viventia in se complectatur; sed unumquodque est una integra individua substantia habens in se principium totale vitae suae.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Adversus monistas negamus omnes organismos esse partes vel accidentia unius substantiae sive unius fundi vivi. Unitatem quandam abstractam sive universalitatem admittimus. Omnes enim res vivae uno conceptu comprehendi possunt. Est praeterea aliqua unitas similitudinis, quia per omnia haec corpora reperiuntur eadem elementa, eaedem vires, eaedem leges naturales. Multi deinde organismi in iisdem typis fundamentalibus conveniunt. Est quoque unitas ordinis, quo res omnes certo modo inter se subordinatae et coordinatae sunt.

Praenota 2°. Haec thesis omnibus illis argumentis probatur, quae aliis locis per philosophiam universam contra diversas monismi formas copiose proponi solent. Quae hoc loco repeteremus, si res postularet. Sed uno argumento res tota confici potest.

186. **Argumentum** (ex multiplicitate activitatis). Res, quae in actionibus suis intrinsecus ab aliis non pendent, et ideo actiones habent ita sibi proprias, ut rei alii eae tribui non possint, sunt substantiae multae, i. e. sunt supposita per numerum distincta. Atqui qui in hoc mundo vulgo putantur organismi, hoc modo habent actiones sibi proprias. Ergo hae res viventes revera sunt substantiae multae, integrae, individuae.

Prob. min. a) Homines actiones ponunt, quae nec enti uni, omnes homines ut sui partes comprehendenti, nec alii rei tanquam supposito tribui possunt. Conscientia teste actiones meae a me egrediuntur, et multae quidem cum meae voluntatis arbitrio, ita ut ego mearum actionum auctor sim. Quae actiones ab aliorum actionibus segregatae sunt atque iis haud raro oppositae ita, ut omnes hae actiones a principio uno proficisci non possint[1].

b) De animalibus res certa est reperiri cognitionem, sicut in unoquoque homine, ita in unaquaque belua ab aliis separatam, aliis oppositam, cum separato et opposito appetitu coniunctam. Videmus enim hominem insidere invito equo; pecudem vesci reluctante pecude. Quot igitur sunt cognoscentia, tot sunt supposita.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 2.

c) Videmus deinde organismos omnes, homines, beluas, plantas, habere proprium ortum, evolutionem propriam, proprium interitum, qui organismo convenit, ut est suppositum unum, individuum, integrum. (Cf. Log. n. 642. Phil. nat. n. 262).

Dices 1°: Ex similitudine et analogia, quae omnes viventium ordines complectitur, apparet unitas illius naturae et substantiae, quae in organismis omnibus tanquam tentaminibus imperfectis ad hominem tanquam ad typum perfectum conscientia exornatum pertingere vult. — *Resp.: 1°.* Unitas similitudinis et analogiae, quae reperitur in rebus naturalibus, satis explicatur ex unitate creatoris, unde omnes istae res originem duxerunt. 2°. Organismi singuli non sunt tentamina; nam unusquisque in sua natura specifica subsistit. 3°. Multo minus sunt tentamina imperfecta; sed unusquisque organismus in sua specie perfectus est, neque sine sui corruptione ex proprietatibus specificis egredi potest; quamquam in accidentariis perfici potest.

Dices 2°: Ex somniis res certa est conscientiam unam scindi posse in conscientias multas, ita ut plures inter se colloquantur, obluctentur, summis inimicitiis inter se adversentur. — *Resp.:* In somniis non multiplicantur conscientiae, sed propter oppressas quasdam cerebri partes sine ordine repetuntur repraesentationes, quas unusquisque in statu vigiliae ante habuit.

187. **Thesis II.** **Ratione vitae intellectivae, quae est in homine, oportet ponere animam humanam non esse accidens, sed substantiam.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* In solvenda quaestione de animae substantialitate exordiendum est ab illo corpore vivo, quod est perfectissimum, ab homine, non vero a planta, in qua vita est imperfectissima. De belua et planta dicemus postea.

Praenota 2°. Anima est primum principium, quo vivimus, sentimus, intelligimus. Nos hoc loco ad vitam intellectivam animadvertimus; sensitivam et vegetativam omittimus. Non negamus inesse in homine accidentia tanquam vitae principia secundaria. Sed his subesse volumus principium substantiale tanquam principium potentiarum et operationum vitalium.

Praenota 3°. Nos in thesi more illorum loquimur, qui animam vocant principium vitale, quodcunque illud est, sive accidentale sive substantiale, probaturi hoc principium esse substantiale. Alii animae nomen restringunt ad significandum principium substantiale; secundum hanc loquendi formam in homine inesse animam probabimus.

Praenota 4°. Adversantur nobis in hac thesi materialistae, qui ipsam animam humanam dicunt esse accidens corporis, sive vim aliquam accidentalem.

188. **Argumenta.** *Arg. I* (ex notione accidentis et substantiae). Vita intellectiva, quae est in homine, aut est ab accidenti, quod corpori inhaeret, aut est a substantia. Atqui non est ab accidenti corporis sive materiae. Ergo est a substantia.

Prob. min. Agere non est accidentis, sed substantiae. Si quis igitur animam sive principium primum activitatis intellectivae esse accidens corporis sive materiae diceret, id non secus est, ac si diceret non hoc accidens, sed ipsam materiam esse id, quod in operationibus intellectivis ageret. Atqui haec pugnantia sunt (n. 131).

Neve *dixerit* quispiam, ab accidenti spirituali vitam intellectivam repetendam esse. Speciosa quidem causa, sed f a l s a est. Nam accidens quodlibet naturam sui subiecti sequitur. Quam ob rem accidentia, quae inhaerent materiae, materialia sunt. Quae quidem possunt indolem materiae modo connaturali modificare, iuvare, perficere; nullam tamen aliam addere possunt activitatem, quae materiae non sit connaturalis.

Vel sic: Accidentis est non ipsam actionem producere, sed esse instrumentum naturale substantiae, accipiens a substantia hanc suam indolem, ut eam in producenda actione iuvet. Atqui Vivere ex conceptu suo non est iuvare actionem substantiae, sed novum et aliud actionis genus significat.

Arg. II (ex appetitu humano). Est in homine praeter appetitum sensitivum etiam appetitus intellectivus. Hic appetitus, qui ex naturae necessitate fertur in bonum in genere, quum ab homine elicitur, saepissime fertur in bona immaterialia, ut est honestas, Dei complacentia, immortalitas; et pro bono immateriali parvi pendere potest cuncta bona sensibilia; necnon bonis sensibilibus ad fines libere sibi praestitutos vel bene uti vel male abuti potest. Atqui nulla substantia, quae est materia, his effectibus par esse potest. Ergo praeter elementa materialia inest in homine substantiale quid, quod illorum appetituum sit principium.

Prob. min. a) Quoad obiecta quae appetuntur ab homine. Id satis est manifestum, quum quis obiecta, quae modo indicata sunt, perpendere velit.

b) Quoad modum, quo ab homine appetuntur bona finita. Per experientiam enim ineluctabilem constat, hominem multas volitiones elicere cum libero voluntatis arbitrio. Sed nulla esse potest substantia corporea, quae eius libertatis capax sit. Omnis enim, quae est in hoc substantiae genere, ex essentia sua iners est, ita ut suam motus vel quietis conditionem mutare ex se non possit; quae mutatio, si ab aliqua causa externa cieatur, semper sequitur leges necessarias et immutabiles, ita ut calculis mathematicis determinari possit.

189. *Arg. III* (ex cognitione humana). In homine debet esse substantia, quae sit principium primum cognoscendi ea, quae cognoscit homo. Atqui elementa materialia hoc principium esse

non possunt. Ergo est in homine aliud principium substantiale, quod sit ratio cognitionis humanae.

Prob. min. a) Homo cognoscit etiam obiecta inextensa et immaterialia, velut Deum, spiritum, veritatem, unitatem, scientiam, virtutem, eaque distinguit a rebus materialibus omnibus. Sed omnis facultas materialis ad obiecta extensa et materialia restricta est. Accedit, ut homo de rebus illis immaterialibus cogitet per discursus varios, et proprias illarum rationes intelligere conetur, et proprietates corporibus repugnantes illis convenire assequatur. Quae certe per actionem corpoream effici non possunt.

b) Hominis cognitio natura duce tendit ad cognoscenda universalia, eaque cognoscit reiecta omni nota individuante. Sed nulla substantia materialis ullo actu potest hoc modo cognoscere universalia.

c) Hominis cognitio extenditur ad latitudinem obiectorum infinitam. Sed nulla est substantia corporea, quae tantae extensionis facultatem habere possit.

d) In homine est facultas iudicandi et ratiocinandi. Sed nulla substantia corporea iudicare potest vel ratiocinari. Nam ad has operationes requiritur, ut res multae concipiantur simul, ut ab uno comparante instituatur inter multos conceptus comparatio, ut ex comparatione hac resultet perceptio identitatis vel discrepantiae.

Confirmatur (ex comparatione principii vitae intellectivae cum materia). Adversarii non dubitant materiae signatae attribuere rationem substantiae, quae materia principium ultimum est extensionis et impenetrabilitatis. Sed multo plures profecto rationes sunt, ut principio intelligentiae ratio substantialitatis adiudicetur.

Obicit Fr. Paulsen[1] *1°:* Atomus est immutabilis; anima autem sine intermissione multis mutationibus obnoxia est. Ergo ratio substantiae, quae competit atomo, animae competere non potest. — *Resp. 1°:* Multi sane fingunt atomos immutabiles esse, sed nemo scit, qua se res ratione habeat. — *Resp. 2°:* Atomus, si exsistit, est substantia completa; nos animam substantiam incompletam esse concedemus. — *Resp. 3°:* Anima humana quoad se immutabilis magis est quam atomus; mutationibus sane accidentalibus pluribus obnoxia est quam atomus.

Obicit idem *2°:* Animam humanam dicunt esse immaterialem et indivisibilem; sed nulla res negationibus constituitur[2]. — *Resp.:* Substantia animae

[1] Einleitung in die Philosophie. Berlin 1892.

[2] „Nun so möchte ich wohl wissen, worin der gedachte Inhalt dieser

est ens per se subsistens, quod cogitationis et volitionis principium est et subiectum. Haec substantia perfectionem habet positivam, ut sit spiritualis et simplex; quam quidem perfectionem haud raro vocabulis negativis exprimunt.

190. Corollaria. *Coroll. 1.* Ergo turpiter deceptus est Locke, quum diceret (in libro, cui titulus: Tentamen de intellectu humano) res pure materiales a Deo facultatem cogitandi acceptam habere posse.

Confessus est Locke animam humanam reapse quidem substantialem esse; verum nos id scire cum plena certitudine ex revelatione christiana tantum; ex ratione nihil praeter aliquam probabilitatem hauriri posse.

Fatendum est, inquit Locke, nos non videre, qua ratione materia cogitans esse possit. At inde non licet concludere, eam revera esse non posse. Multa enim sunt et esse possunt, velut *attractio universalis*, quarum internam rationem nos ignoramus. Vel quis dicet omnipotentiam divinam non extendi ultra angustos mentis nostrae limites? — Sed *respondendum* est, nos non solum ignorare, qua ratione materia cogitans esse possit, sed etiam clare perspicere nulla ratione fieri posse, ut materia facultatem cogitandi accipiat; id quod ex argumentis supra positis apertum est.

Deinde affirmat Locke materiam innumerabilibus a Deo exornari posse facultatibus incognitis, inter quas reperiatur etiam facultas cogitandi. — Sed *respondendum* est facultatem cogitandi satis nobis esse cognitam, ut dicamus eam vitalem esse, hinc in substantia tantum vitali inesse posse. Id igitur, quod facultatem cogitandi accipit, simul accipere debet vitam substantialem, quae sit necessarium huius facultatis principium. Id autem, quod hanc vitam accipit, iam desinit esse res pure materialis.

Dicit Locke praeterea nemini esse posse dubium, quin Deus *lapidem* possit convertere in spiritum, hinc etiam lapidi tribuere facultatem cogitandi. — Sed *respondendum* est fieri quidem posse per miraculum, ut lapis transmutetur in spiritum per transsubstantiationem, i. e. ita ut tota substantia lapidis desinat et transeat in substantiam spiritus; non vero per conversionem (Phil. nat. n. 620). Nam nihil est substantiale, quod lapidi et spiritui commune esse possit [1].

Coroll. 2. In errore Lockiano etiam Th. Jouffroy aliquid haesisse videtur, quum scriberet certitudinem perfectam de animae humanae substantialitate ab ulteriore progressu scientiae psychologicae exspectandam esse [2]. Sunt sane plurima a progrediente hac scientia exspectanda, quae adhuc ignoramus. Sed nullo progressu opus est, ut clare videamus materiam et cogitationem inter se pugnantes esse.

Substantiale besteht? In der Immaterialität und Einfachheit? Aber das wären lauter Negationen, die etwas ablehnen, aber nichts beilegen; aus Negationen kann man doch nichts Wirkliches machen!"

[1] Ea de re extensius scripsit Gerdil, De l'immatérialité de l'âme.

[2] In libro, cui titulus: Delineationes philosophiae moralis. Esquisses de philosophie morale. Par Dugald-Stewart. Ed. 2. Préface du traducteur p. cxxiii sqq.

191. *Coroll. 3.* Ergo graviter erravit Cartesius, quum diceret essentiam animae humanae esse actualem cogitationem [1]. Cartesii hac in re dogma id est, ut docuerit, sicut essentia uniuscuiusque corporis sit ipsa geometrica extensio, ita essentiam animae humanae in actuali cogitatione sitam esse [2].

Itaque id, quod censere solent esse accidens, ipse Cartesius finxit esse substantiam. Quodsi, ut hunc gravissimum errorem stabiliant, omnes res viventes in actuali semper operatione ponunt occupatas esse, nihil prorsus efficiunt. Inde enim, si revera esset, nihil aliud sequeretur nisi tantam esse in viventibus ad actuales motus pronitatem, ut nunquam sine motu reperiantur. Demus igitur viventia omnia, quum ipsis res omnes ad ducendam vitam actualem necessariae in promptu sint, vivere vitam non solum primam, sed etiam secundam. Demus ipsum hominem, quando sensus ligati non sint vel minus ad ministranda phantasmata apti, vix non semper actuali aliqua operatione ad vitam intellectualem spectante occupatum esse. Minime tamen consequens est, ut in hac actuali cogitatione ipsa animae essentia posita esse possit. Nam cogitationes multae sunt, quarum aliae alias sequuntur, anima autem est subiectum manens et perdurabile accidentium. Deinde, quae res in hac quaestione est gravissima, cogitatio est accidens, anima autem est substantia. Post opinationem Cartesii (reponentis corpus in actuali extensione, et essentiam animae in actuali cogitatione) Spinoza per rectam consequentiam pantheismum introduxit. Nam a) si essentiae rerum sunt collocatae in solis accidentibus, facile erat his accidentibus substernere Deum ut substantiam. b) Ens, cuius Esse est Agere, est ultima sua actualitas et erit actus purus omnem potentialitatem excludens. c) Si cogitatio esset humanae mentis essentia, quum mens humana sit substantia, cogitatio humana per se subsisteret. Cogitatio autem per se subsistens non potest esse nisi Deus [3].

Sed praeterea falsum est hominem sine interruptione occupatum esse actuali cogitatione, sive accipitur cogitatio vi vocis propria et specifica, qua operationem intellectualem cum conscientia coniunctam significat [4], sive vi illa

---

[1] Contra Cartesium scripsit Locke Tentam. de intellectu humano l. 2, c. 1, § 11—14.

[2] „Necessarium videtur, ut mens semper actu cogitet, quia cogitatio constituit eius essentiam, quemadmodum extensio constituit essentiam corporis.“ Ita in epist. 4. „Cogitationis nomine intelligo illa omnia, quae nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est, atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire idem est hic, quod cogitare“ (Princ. philos. pars 1, n. 9).

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 54, a. 1.

[4] Dicit Wundt (Menschen- und Thierseele p. 395): „Das alte, aus speculativen Annahmen erwachsene Vorurtheil, dass der Mensch ‚immer denke‘, ist noch nicht ganz ausgerottet. Ich bin geneigt, im Gegentheil anzunehmen, dass der Mensch eigentlich selten und nur wenig denkt. Unzählige Handlungen, die in ihren Effecten Intelligenzäusserungen gleichkommen, verdanken ihren Ursprung zweifellos der Association. Dazu kommt, dass beim Menschen die Rückverwandlung logischer Denkacte in gewohnheitsmässige Associationen

vocabulo a Cartesio substrata; id quod unicuique per experientiam apertum est. Itaque alucinatus est Cartesius, quum affirmaret unumquemque hominem atque ipsos sopore et lethargia oppressos et „infantes adhuc in utero matris inclusos“ ineluctabili necessitate diu noctuque sine ulla interruptione cogitare.

192. *Coroll. 4.* Ergo errant, qui docent hominem sortiri speciem ab aliquo accidenti vitali. Accidentia enim comparantur ad substantiam ut actus secundi ad primum. Actus autem primus praecedit secundum. Ergo oportet ponere in homine aliquod principium, quod proprie det speciem homini, quod se habeat ad Intelligere sicut actus primus ad secundum.

Posuit Alexander Aphrodisias, animam esse determinatum mixtionis humani corporis modum, quo disponeretur homo ad recipiendum influentiam „intellectus agentis“, qui esset substantia separata [1]. Quod falsum est. Nam cognitio est actus hominis proprius. Impossibile est autem a commixtione elementorum causari aliquam virtutem cognoscitivam. Et ne anima vegetabilis quidem produci potest ex commixtione elementorum; multo igitur minus sensus et intellectus.

Posuit Galenus medicus, animam esse complexionem. „Ad hoc autem dicendum motus est per hoc, quod videmus ex diversis complexionibus causari in nobis diversas passiones, quae attribuuntur animae; aliquam enim complexionem habentes, ut cholericam, de facili irascuntur; melancholici vero de facili tristantur.“ Unde et per easdem rationes haec opinio improbari potest, per quas improbata est opinio Alexandri, et per aliquas proprias.

Ostensum est enim, quod operatio animae vegetabilis et cognitio sensitiva excedit virtutem qualitatum activarum et passivarum, et multo magis operatio intellectus. Complexio autem causatur ex qualitatibus activis et passivis. Non potest igitur complexio esse principium operationum animae. Unde impossibile est, quod aliqua anima sit complexio.

Adhuc, complexio quum sit quoddam constitutum ex contrariis qualitatibus quasi medium inter eas, impossibile est, quod sit forma substantialis; nam substantiae nihil est contrarium, nec suscipit magis et minus. Anima autem est forma substantialis et non accidentalis; aliter per animam non sortiretur aliquid genus vel speciem. Anima igitur non est complexio.

Adhuc, complexio non movet corpus animalis motu locali; sequeretur enim motum dominantis ex virtutibus materialibus.

Amplius, anima regit corpus et repugnat passionibus, quae complexionem sequuntur; ex complexione enim alii sunt magis aliis ad concupiscentias vel iras apti; qui tamen magis ab eis abstinent propter aliquid refrenans, ut patet in continentibus. Hoc autem non facit complexio. Non est igitur anima complexio.

---

nicht nur den Umfang der letztern, sondern auch ihre intellectuellen Erfolge verstärkt. Denn alles Eingeübte wird zur Association. Gedankenreihen, die bei ihrer ersten Entstehung eine bedeutende intellectuelle Arbeit voraussetzten, vollziehen sich, je häufiger sie wiederholt werden, mit wachsender Sicherheit und mit mechanischer Leichtigkeit.“

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 62.

„Deceptus autem fuisse videtur Galenus ex hoc, quod non consideravit aliter passiones attribui complexioni et aliter animae. Complexioni namque attribuuntur sicut disponenti et quantum ad id, quod est materiale in passionibus, sicut fervor sanguinis et huiusmodi; animae autem, tanquam principali causae, ex parte eius quod est in passionibus formale, sicut in ira appetitus vindictae.“ [1]

Posuisse videtur Empedocles animam esse harmoniam quandam, non quidem sonorum, sed contrariorum, ex quibus dicebat componi corpora animata. Quae opinio falsa est.

Omne enim corpus mixtum harmoniam habet et complexionem; nec harmonia potest movere corpus aut regere ipsum vel repugnare passionibus, sicut et complexio; intenditur etiam et remittitur, sicut et complexio. Ex quibus omnibus ostenditur, quod anima non sit harmonia, sicut nec complexio.

Adhuc, ratio harmoniae magis convenit qualitatibus corporis quam animae; nam sanitas est quaedam harmonia humorum, fortitudo nervorum et ossium, pulchritudo membrorum et colorum. Non autem potest assignari, qualium harmonia sit sensus aut intellectus et cetera, quae ad animam pertinent. Non est igitur anima harmonia.

Amplius, harmonia dicitur dupliciter; uno modo, ipsa compositio; alio modo, ratio compositionis. Anima autem non est compositio, quia oporteret, quod unaquaeque pars animae esset compositio aliquarum partium corporis; quod non est assignare. Similiter non est ratio compositionis, quia, quum in diversis partibus corporis sint diversae rationes seu proportiones compositionis, singulae partes corporis haberent singulas animas; aliam enim animam haberet os et caro et nervus, quum sint secundum diversam proportionem composita; quod patet esse falsum. Non est igitur anima harmonia [2].

193. **Thesis III.** **Ratione vitae sensitivae, quae est in unoquoque animali, oportet ponere animam non esse accidens, sed substantiam.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Non est nobis in animo, ut dicamus vitam sensitivam id sibi expetere, ut egrediatur ab anima sola tanquam a substantia completa et perfecta; sed contenti sumus, ut anima habeat rationem substantiae sive ut sit substantiale quid, quod unitum corpori constituat substantiam unam completam et perfectam.

Praenota 2°. Qui thesi adversantur, rationem substantiae in animali totam et integram attribuunt elementis materiae, ita ut anima nihil sit nisi accidens reale vel modale.

194. **Argumenta.** *Arg. I* (ex discrimine inter accidens et substantiam). Certum illud et formatum agendi genus, quod inest in vita sensitiva, aut radicem habet in accidente aut in substantia. Atqui in accidente habere non potest. Ergo habet in substantia.

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 63. [2] Ibid. c. 64.

Prob min. Si esset accidens, hoc accidens inhaereret materiae sive illis moleculis, ex quibus organismus animalis constructus est. Haec igitur materia esset proprie id, quod in vita sensitiva ageret. Verum id esse non potest. Nam

1. Animal in cognitione impressiones multas et diffusas a rebus externis acceptas in unitatem colligit, et repraesentationibus, quae positive unae sunt, exprimit, et sibi ut uni res externas repraesentat. Sed quae est huiusmodi activitas, facultatem materiae ex se diffusae vel per moleculas dispersae omnino praetergreditur.

2. Praeterea causa cognitionum sensitivarum esset in contactu quantitatis et in motu locali. Sed id esse non potest. Etenim

a) Saepissime sunt in uno eodemque subiecto eodem tempore sensationes multae et omnino diversae, velut luminis, soni, resistentiae, caloris, odoris, doloris, quae inter se neque excludunt neque turbant; et quo pluribus est intentus, minor est ad singula sensus. Ubicunque autem sunt plures affectiones materiales inter se diversae, hae ex natura sua ita inter se temperant, ut exsistat affectio unica resultans.

b) Et fieri potest, ut simul sint in eodem subiecto sensationes inter se oppositae et aequales, velut caloris et frigoris; neque tamen hae inter se destruunt. Sed affectiones materiales inter se oppositae et aequales ex natura sua inter se destruunt.

c) Praeterea ab eodem subiecto sensitivo cognoscuntur simul obiecta extensa diversae speciei, velut triangulum, polygonum. Sed haec diversarum rerum coniunctio in re materiali esse non potest.

Ex his rationibus aperte manifestum est praeter elementa materiae esse in ente sensitivo substantiale quid, cui elementa ista substernantur coniunganturque in substantiam unam, quae impressiones varias et multas recipiat hisque intervenientibus obiectas res sibi repraesentet, memoriam habeat praeteritorum, appetat, quae utilitatem habeant, fugiat, quae nociva sint.

Vel sic: Est in animali omni principium aliquod cognoscendi capax. Atqui id, quod cognoscit, elementa materiae esse non possunt. Ergo est in animali substantiale quid praeter elementa materialia, quod sit cognoscendi principium.

Prob. min. Nullum corpus alterius corporis formam in se recipere potest, nisi suam amittat. Atqui animal cognoscens non corrumpitur, sed eo magis perficitur, quod formas aliarum rerum in se suscipit.

Arg. II (ex appetitu, qui regit vitam sensitivam). In animali is est appetitus, ut animal cum aliqua sui conscientia fruatur aliquo modo sua exsistentia, ductum cognitione externa et interna, et exsequens secundum has cognitiones motus suos. Atqui principium appetitus, qui est in hoc genere, non potest esse corpus sive elementorum ulla constructio accidentibus nescio quibus exornatum. Ergo praeter materiam est substantiale quid, quod sit primum vitae sensitivae principium.

195. *Arg. III* (ex unitate sensationis). Illa substantia, quae sentiendi activitatem exserit, debet esse aut simplex entitative, aut saltem ita una, ut eius partes inter se compleant ad unam constituendam essentiam (Log. n. 1335, *schol.* 6). Atqui substantia corporis unice naturalis eam unitatem in organismo non habet. Ergo haec activitatem sentiendi habere non potest, sed praeter hanc debet esse in animali substantiale quid, quod sit istius unitatis ratio.

Prob. mai. Ut activitas, ita entitas, quae est activitatis ratio. Sed partes activitatis sensitivae se complent ad activitatem essentialiter unam. Ita quum manu supra lignum posita obiectum externum tactu percipitur, unum idemque est ens, quod omnes extensi partes percipit simulque diversas obiecti affectiones, velut duritiem, calorem, figuram, experitur. Et idem subiectum sentire potest calorem in parte dextera, frigus in parte sinistra. Idem perceptione una percipit rem in plurimis radiolis retinae a variis obiecti rationibus vario modo affectis. Et idem est, quod per phantasiam operatur in cerebro, et videt in oculo, et, si capitis discrimen contingat, ad salvandum caput aliam sui partem periculo obicit.

Prob. min. Substantia corporis unice naturalis ea quidem est, ut activitates partiales partium colligantur ad activitatem unam naturalem; non vero ea, ut colligi possint ad eam unitatem, quae est in sensatione. Quum enim ea substantia experitur obiectum extensum, in una sui parte experitur partem obiecti unam, in altera alteram.

Vel sic: Subiectum, quod aliquam rem corpoream cognoscit, in se habere debet principium, quo diffusio et compositio materiae in peculiarem unitatem colligatur. Atqui materiae elementa principium huius unitatis non habent. Ergo praeter elementa in subiecto sentiente esse debet principium substantiale aliud.

Prob. mai. Si abest principium uniens, totum cognitum aut est per varias partes sive elementa subiecti cognoscentis distributum, aut invenitur totum in

singulis partibus sive elementis, aut totum residebit in una dumtaxat parte sive elemento. Sed nullum ex his positis tribus evenire potest. Si primum, unaquaeque pars subiecti cognoscentis perciperet tantum unam partem obiecti cogniti, eo modo, quo accidit imagini vultus in speculo. Si alterum, tot essent subiecta cognoscentia, quot sunt partes sive elementa subiecti. Si tertium, iam reliqua elementa praeter unum ad subiectum sentiens non pertinerent; et de illo uno rediret tota argumentatio [1].

Confirmatur (ex indole organismi). In organismo non est ex parte constructionis materialis ea organorum concentratio, qualis ad vitam sensitivam requiritur. Ergo aliud substantiale quid esse debet, quo organismus illius concentrationis subiectum efficiatur.

Prob. antec. Unum centrum pro sensationibus omnibus non reperitur, sed aliud est centrum sensus optici, aliud sensus acustici, atque ita deinceps. At per experientiam tamen constat omnes quinque sensuum sensationes in uno subiecto sentiente exsistere.

196. **Thesis IV.** **Ratione vitae vegetativae, quae est in quolibet corpore organico, oportet ponere animam esse substantialem materiae determinationem.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Quid nomine vitae vegetativae veniat, ex alio loco (n. 41) recolendum est.

Praenota 2°. Hanc vitam vegetativam scimus inesse in homine, bestia, planta. In argumentis imprimis plantas prae oculis tenebimus, quia in his vita est obscurior.

Quod si probatum est, in ipsis plantis inesse principium vitae substantiale, id multo facilius concludetur in bestiis atque hominibus. In his enim unitas substantialis evidentior est et hinc etiam manifestior operationum vegetativarum immanentia.

Praenota 3°. Retinentes usum antiquorum „animam“ (ψυχήν) nominamus etiam principium vitae vegetativae. Sed nomen „psychicarum“ rerum vitae cognoscitivae reservamus, sequentes usum eorum, qui hanc vocem primi ut certum terminum in psychologia adhibuerunt.

Praenota 4°. Adversarii huius thesis praeter materialistas, qui negant in ulla re esse animam, multi sunt, qui in hominibus atque beluis esse animam agnoscunt propter vitam cognoscitivam, arbitrantur autem omnem vitam vegetativam ex qualitatibus corporeis certo modo dispositis repeti posse. Quorum nonnulli concedunt vitam vegetativam in homine et bestia reapse ab anima substantiali potendam esse propter incredibilem eius cum vita cognoscitiva cohaerentiam et harmoniam. Eum vero, qui affirmet

[1] Cfr. La Luzerne, Dissert. sur la spirit. de l'âme ch. 2, 1re preuve.

vitam vegetativam etiam in homine effici posse a solis materiae viribus (omissa prorsus anima substantiali), putant non dicere pugnantia. Nos contra dicimus ne vitam vegetativam quidem ex se oriri posse, nisi ex anima tanquam principio substantiali materiae unito.

Volunt igitur adversarii ad explicandam omnem vitam vegetativam satis esse, ut ponantur vires oxygenio, hydrogenio, carbonico propriae certo modo dispositae, aut ita ut inde resultet certa structura certusve atomorum situs tanquam accidens modale, aut ita ut inde resultet vis nova, quae vitalis vel plastica vocetur tanquam accidens reale.

Nos eius generis vires praesto esse cognoscimus, sed negamus eas ad explicanda phaenomena vitae vegetativae satis esse. „Anima vegetabilis habet operationem, cui quidem deserviunt qualitates activae et passivae organicae; sed tamen supra Posse huiusmodi qualitatum ipsa effectum proprium sortitur in nutriendo et augendo usque ad determinatum terminum, et alia huiusmodi complendo.“ [1]

197. Argumenta. *Arg. I* (ex natura accidentis et substantiae). Primum principium ordinatae illius et determinatae activitatis, quae ut interna et una in unoquoque corpore organico inest, aut ab accidente est, aut a substantia. Atqui non est ab accidente tanquam principio primo. Ergo est a substantia.

Prob. min. Si esset accidens, iam non hoc accidens, sed materia sive molecularum congeries, quae in organismo inest, id esset, a quo activitas illa interna et una repetenda esset. At id fieri non potest. Nam a) activitas, cuius tendentia activitatem materiae ab initio ad unum et altiorem finem dirigit, adhibet, cohibet, ab ipsa materia esse non potest; neque igitur ullo modo per quoddam accidens materiae vel resultantiam ex materia oriri potest; sed profluere debet ex principio superiore, cui materia ut sic subdatur; quod igitur, quum superius, perfectius, nobilius sit, non substantiale esse non potest.

b) Accedit, quod interna illa activitas, quum primo et per se ad bonum totius organismi [2] sit directa, positive una est. Unde ex materia, quae non sit una nisi per solam contiguitatem vel

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 2.

[2] „Jede Thiergestalt bietet uns eine Ganzheit, Einheit, Vollkommenheit und streng durchgeführte Harmonie aller Theile dar, die so ganz auf einem Grundgedanken beruht, dass beim Anblick selbst der abenteuerlichsten Thiergestalt es dem, der sich darin vertieft, zuletzt vorkommt, als wäre sie die einzig richtige, ja mögliche, und könne es gar keine andere Form des Lebens als eben diese geben“ (id fatetur Schopenhauer, Ueber den Willen in der Natur [3. Aufl.] p. 55). Quod aequo iure de organismo quolibet arbitrandum est.

continuitatem (Log. n. 1334), procedere non potest. Ergo principium, ex quo in rebus organica tendentia illa immanens proficiscitur, substantiale est.

Neve putet quis materiam ipsam viribus nescio quibus instructam activitati immanenti satis esse. Nam principium, cuius necessitas est demonstrata, non est principium accidentale iuvans dumtaxat exsecutionem, sed substantiale, i. e. pertinens ad fundum, ex quo ipsa ipsius activitas et determinatio egreditur. Accedit, quod omnes materiae vires naturales, quas adversarii in auxilium vocant, sibi relictae nihil adducunt nisi aequilibrium quoddam naturale neque ullo modo ex se ad unam organismi harmoniam consociantur. Vel quodnam accidens ex se solo efficere potest, ut corpus suas paulatim partes evolvat, eas per perpetuam ipsius materiae vicissitudinem conservet, reficiat, sanet, atque tandem sui similium fecundus sit procreator in indefinitum usque?

Et quaecunque sunt vires sive accidentia, quae adversarii fingunt: semper in corpore naturali viribus instructo actio totius ab actionibus partium pendet. Sed in organismo actiones partium actioni totius subordinatae sunt.

Arg. II (ex totius activitate supra partium activitatem superiore et dominante). Inest in unoquoque individuo vegetali actio una, quae ad unum finem intrinsecus directa est: ad perfectionem illam totius rei organicam, de qua non semel iam diximus. Quae totius actio multas multiplicisque generis actiones partium sibi intrinsecus subordinatas habet, et ad suum illum altiorem finem dirigit. Atqui haec quae est in organismo activitas summa activitatibus elementorum effici vel componi non potest; id quod ex se manifestum est. Ergo aliud inest in organismo, quod sit vitae principium.

Ex legibus scientiae chemicae, physicae constat in elementis esse naturalem tendentiam ad stabile aequilibrium sive ad statum quietis et immutabilitatis[1]. Lex est enim in rebus chemicis, ut elementa ex se tendant usque ad chemicas combinationes maxime stabiles, atque id quidem pondere, quod eo maius sit, quo maior est efficiendae compositionis firmitas atque stabilitas. Et in his quidem rebus „lex fortioris“ quam vocant vim habet universalem. Elementum, quod firmiorem cum alio compositionem inire valet, reapse eam init; neque ex ea expelli potest nisi ab alio elemento, cui ineundae firmioris etiam compositionis sit potestas. Ex tendentia ad firmissimum, quod effici potest, aequilibrium, etiam efficitur illud, ut compositiones chemicae illam usque viam sectentur, in qua maxima quae emitti possit quantitas caloris reapse fiat libera. Caloris enim emissione minuitur motus internus, compositio partium fit firmior, aequilibrium fit stabilius. Quod si plures compositiones chemicae plus minusve stabiles, quae iniri possint, in promptu sunt, elementa omnia ex suae naturae necessitate ad eam tendunt, quae firmior est atque stabilior. Unde videmus res, quae multos status allotropicos habere possunt, haud raro aut

[1] Cfr. Dressel, Der belebte und der unbelebte Stoff. Freiburg 1883. (22. Ergänzungsheft zu den „Stimmen aus Maria-Laach“.)

propter vel levissimam conditionem positam, aut etiam ultro sese ipsas ex statu minus stabili ad statum firmiorem traducere.

Ex eadem lege efficitur, ut elementa, quorum generatim tres aggregationis status esse scimus, ex se tendant semper ad ineundum statum solidum, qui maxime solidus sit, et si conditionum externa circumstantia id permittat, ad statum crystallizationis.

His vero et similibus actionibus elementorum actio interna, qua totus organismus dirigitur, omnino opposita est. Quod quo facilius perspiciatur, haec in memoriam revocare liceat: a) Elementa, quae insunt in organismo, chemicas compositiones quaerunt, quae quum admodum complexae sint et magnam quam vocant energiam potentialem habeant, minus stabiles, minus firmae sunt, atque ita motibus multiplicis generis latissimum campum aperiunt. b) Omnia in organismo ita peraguntur, ut appareat motum non esse viam ad quietem aequilibrii tanquam ad finem, sed esse finem ipsum, vel si mavis, esse medium ad motum ulteriorem et ad seriem motuum per totam vitam organismi duraturam. c) Cum hac ad multiplicem et perpetuum motum inclinatione cohaeret peculiaris illa organismi constructio motibus coaptata ita, ut fere in unoquoque organo reperiantur plurima summa arte constructa, quae his vel illis motibus inservire debent. Protoplasma mira contractibilitate praeditum, cellulae, texturae cellulares, partes organismi omnes nonne eo modo constructae sunt, ut totum organismum instrumentum motus dixeris?

Quibus ex omnibus consideratis efficitur id, quod posuimus. Qui enim fieri possit, ut ex multiplici multorum elementorum tendentia et activitate oriatur tendentia una ad motum eum directa, ex quo perfectio una totum organismum complectens resultet, ipsis elementis abeuntibus? Requiritur ergo, ut sit in organismo principium, quod sit causa activitatem elementorum uniens, ordinans, elevans ad producendum effectum unum et altiorem.

Dubitaverit quispiam: Sed elementa, quae insunt in organismo, externis conditionibus et rebus (ut est lux, calor, electricitas, similia), speciali ratione adiuta, cur non sufficiant, ut sint causa adaequata omnium phaenomenorum vitalium? — *Resp.:* Minime sufficiunt. Nam a) inclinatio illa ad motum perpetuum et ad efficienda organa ex ipso organismo proficiscitur et organismo naturalis est (n. 136). b) Activitas organismi universe accepta est actio immanens; ex nulla autem actionum transeuntium combinatione actio immanens oriri potest (n. 137). c) Causae externae et conditiones ad vitam organismi certo certius requiruntur; sed vis vitae princeps ab his agentibus externis repeti non potest, sed horum agentium influxum sibi subditum habet, et ad viventis commoditatem dirigit. d) Nulla est proportio inter phaenomena vitalia et influxum causarum externarum.

Itaque his dictis invictum argumentum est, necesse esse, ut in organismo praeter elementa materialia insit principium substantiale, propter quod individuum organicum phaenomena, quae vitalia sunt, efficere possit.

Idem argumentum breviter. Unusquisque organismus non solum est ex activitatibus suarum partium resultans, sed est primo dirigens activitates partium suarum. Totum est ergo ante partes. Sed ratione corporis partes sunt ante totum. Oportet ergo, ut

in organismo praeter corpus insit alia pars substantialis, quae sit causa formalis et finalis [1].

Dices: Si haec vera sunt, etiam plantae inesse animam putandum erit. At quis unquam id dicere ausus est? — *Resp.:* Id ausi sunt Aristotelici omnes atque sescenti psychologi [2].

198. *Arg. III* (ex organismi unitate). Omne individuum vegetativum est substantia vere una. Atqui substantia elementorum naturalis, quae in individuo vegetativo inest, huius unitatis ratio esse non potest. Ergo necesse est, ut sit in eo praeter elementa substantiale quoddam principium, quod sit ratio istius unitatis. Probanda est maior et minor.

Prob. mai. Unitas archetypa et finalis, quae totum individuum vegetale complectitur, non externa est (velut in *horologio*), sed interna est ex appetitu naturali ipsius rei proficiscens. Nam videmus quodlibet individuum vegetale congruentibus rationibus evolvi atque apte disponi; ea, quae terra gignat, radicibus et corticibus valida conservari; id ipsum animalibus contingere distributione sensuum et idonea membrorum coaptatione. Atque haec omnia usque atque semper eveniunt secundum certum typum, qui non pendet ab appulsu rerum forinsecus agentium, sed qui in unaquaque organismorum specie intrinsecus determinatus est a rei natura, tum quoad rem totam, tum quoad partes eius minutissimas, qui contra appulsus et insultus quoslibet forinsecus advenientes conservatur et incredibili constantia defenditur. In quo negotio organismus efficientiam suam adaptat circumstantiae diversissimarum conditionum; dirigit causalitatem efficientem, prout sibi bonum est, vincit impedimenta, quae casu et fortuito obvia sunt. Gerit igitur individuum vegetale sese ut ens completum, quod ut ens unum novis se perfectionibus induit, nova sibi organa conformat ad vitae usum accommodata, sibi victum quaerit, sua sibi vulnera, suos sibi morbos curat; a se quidquid sibi nocet declinat. Gerit se ut natura una, quae quasi vult esse conservatrix sui, ut et salva sit, et in genere conservetur suo; quod quam plurimis motibus plasticis, physiologicis, mere naturalibus efficitur. Tanta est igitur inter unitatem appetitionis organicae et substantiam

---

[1] Cfr. Kaufmann, Die theologische Naturphilosophie des Aristoteles (Paderborn 1893) p. 63 sqq.

[2] De anima plantari multa scripsit Th. Fechner (Nanna. Leipzig 1848; Zendavesta. Leipzig 1850). Cfr. Ulrici, Leib und Seele p. 348.

ipsam necessitudo, ut quivis videat hanc illius rationem esse. Ergo individuum vegetativum est substantia vere una.

Prob. min. Sola substantia elementorum eam unitatem non habet; et id quod inest in organismo, potius est substantiarum aggregatum quam substantia. Corpus enim entis vivi multis organis constat, organa ipsa ex texturis cellularum admodum diversis constructa sunt; unaquaeque textura cellularis ex cellulis componitur, cellula unaquaeque ut plurimum constat membrana, nucleo, protoplasmate variisque rebus aliis in cellula inclusis (n. 41 sqq.). Quae res omnes corporeae ex se accidentaliter tantum coniunctae sunt per cohaesionem, neque ex se ulla ratione ad unitatem substantialem totius organismi constituendam satis sunt.

Reminiscendum hoc loco est protoplasma multis admodum et diversis rebus constare, physice tantum (non chemice) inter se coniunctis. In hoc eodem coniunctionis genere partibus componitur nucleus, membrana. Neque artius hae res diversae ad unam cellulam constituendam coniunguntur. Per eandam cohaerentiam physicam ex multis cellulis textura cellularis oritur, ex multis texturis diversi generis organum, ex organis res tota organica. Habemus igitur, si materialem rationem componentium spectemus, substantiarum aggregatum.

Sed ex his multis rebus componitur res essentialiter una. Omnia enim ducuntur per tendentiam suam ad finem unum, qui est organismi perfectio; haec tendentia ex ipso organismo proveniens cellulis praescribit formam, evolutionem, positionem, actiones varias physiologicas, atque etiam organis definit formas et operationes tanquam partibus organismo intrinsecus unitis.

199. *Confirmantur* quae statuimus 1° (ex compositione chemica quae organismis propria est). Ibi speciale agendi principium esse arbitrandum est, ubi speciales effectus producuntur. Atqui in organismis speciales effectus chemicos esse videmus.

a) Ortum quod attinet, substantiae organizatae et organogenae (n. 43) nunquam in natura extra organismos oriuntur neque per artem hominum effici possunt.

Substantiae organicae aliquae a chemicis specialem artem et industriam adhibentibus effici possunt; secus vero efficiuntur nunquam. Est igitur in organismo aliquid, quod artificis chemici instar varia elementa speciali ratione disponit, varias vires (caloris, electricitatis, aliarum) adhibet ad certum obtinendum finem, quod extra organismos nullibi in natura reperies. Quod quidem operatur tam polite tamque subtiliter tantaque facilitate, securitate, perfectione, quam chemici admirari quidem possunt, imitari non possunt.

b) Conservationem quod attinet, compositiones chemicae, quae sunt in organismo, omnes sunt mirum quantum dissolubiles, hinc permultis expositae periculis ne dissolvantur. Nihilominus eae,

quamdiu organismus vivit, contra dissolutionem modo speciali defenduntur.

Quae res clarior est, si organismos vivos comparemus cum rebus anorganicis vel firmissimis. Ipsos enim lapides et saxa dissolvi videmus, quum per longiora tempora calori, frigori, pluviae, tempestatibus exponuntur. Organismi vero hos influxus potius — si ita loqui fas est — adhibent quantum possunt, ut eo vegetiorem vitam ducant.

Quae res tanta est, ut Stahl per errorem duxerit in hac substantiae organicae contra corruptionem praeservatione essentiam omnis vitae collocandam esse (n. 117).

c) Functionum chemicarum successionem connexionemve quod attinet, videmus in organismo permultos processus chemicos ita ex ordine effici atque intrinsecus dirigi, ut iis intervenientibus organismus ipse secundum typum suum ex parvis initiis evolvatur, nutriatur, restauretur, propagetur.

Quae directio non ex processibus resultat ut posterius quid, sed eos regit ut prius quid. Est ergo in organismo principium, quod processibus chemicis superius est, quod his processibus quodammodo schema est, quo dirigantur intrinsecus ad adducendos ultra dispositionem actualem elementorum processus iterum iterumque novos, prout id ad vitam organismi consentaneum est et erit.

d) Functionum chemicarum statum et conditionem quod attinet, videmus processus chemicos in organismo non principatum habere, sed potius in servitutem vitae redactos esse.

Adhibentur enim intrinsecus ut media vel causae instrumentales ad vitae utilitatem. Et quamdiu elementa, quae insunt in organismo, non per vim et violentiam a causa physice vel chemice fortiore ex hac subiectione eripiuntur, ea vires suas et proprietates potestati principii vitalis ex naturae propensione relinquunt.

e) Et constantia stabilitasque ordinis, qui in diversis speciebus organismorum diversus est, quomodo effici atque sustineri possit, nisi elementa intrinsecus subsint principio superiori, quo dirigantur?

Si in organismo nihil esset praeter elementa chemica, certe ordo processuum chemicorum alius esset, prout alia elementa chemica in organismum inducerentur. Videmus autem organismos in periculo mutationis chemicae constitutos sese omni vi contra ea omnia defendere, quae inimica sint, atque consuetum ordinem evolutionis chemicae contra alienos insultus chemicos conservare. Id si fieri non potest, organismus aegrotabit, morietur. Qua ex re manifeste apparet activitatem organismi non esse activitatem elementorum unice chemicam, sed animatam quasi superiore tendentia per omnia permeante, omnia ad finem vitae erigente. Haec vitae forma, hic vitae finis constans est et in organismo manet, elementis aliis etiam atque etiam advenientibus atque abeuntibus. Quod esse non posset, si nihil esset nisi ipsorum elementorum activitas naturalis.

Confirmatur 2° (ex perpetua totius organismi in partes suas reactione). Videmus in organismo non solum multas multarum partium activitates, ex quibus activitas totius organismi resultet, sed videmus etiam totius organismi in partes suas reactionem, qua hae partes evolvantur, modificentur, ad ineundas novas usque activitates disponantur. Est ergo in organismo quolibet principium, quod potestatem habeat agendi ex se et erga se, id quod erat demonstrandum.

Confirmatur 3° (ex uniuscuiusque individui organici origine). Individuum organicum ubi primum per generationem productum est, est unica cellula, in cuius virtute organismus totus quum quoad exsecutionem constructionis organicae futurae, tum quoad typum specificum sive causam exemplarem, secundum quam totus organismus quasi aedificandus est, includitur. Atqui elementa in ista cellula contenta, utcunque sunt disposita, nullo modo ad hos duos effectus procreandos satis esse possunt.

Cogitanti enim cuique apertum est elementa in cellula disposita neque specialem illam exsecutionem, quae in organismo construendo, conservando, redintegrando, reproducendo erit adhibenda, efficere posse, neque schema specificum, secundum quod organismi perfectio obtinenda erit, in se continere posse. Ergo propter has duas rationes oportet, ut iam in prima cellula insit principium superius, quod exsecutionem in perficiendo organismo sub circumstantia conditionum utcunque diversa semper curet secundum schema quoddam ideale sibi per modum naturae inditum (Phil. nat. n. 104). „Sicut in intellectu praeconcipiente exsistit tota similitudo effectus, ad quem per actiones intelligentis pervenitur, ita in agente naturali praeexsistit similitudo naturalis effectus, ex qua actio in hunc effectum determinatur.“ [1] Unde ad rem accommodate comparaverunt principium vitale architecto, qui quum apud se habeat schema construendi aedificii, providet, ut per processus materiales apte dispositos materia requisita adducatur et secundum directionem suam disponatur [2].

200. Corollaria. *Coroll. 1.* Ergo principium substantiale, quod est in rebus viventibus, recte insignitur speciali nomine „animae“, quo distinguatur a forma substantiali, quae est in re unaquaque anorganica tanquam essendi et agendi principium. Operationes entium naturam manifestant. Sed operationes entium viventium speciali modo supra activitates rerum anorganicarum elevantur propter principium substantiale, quod entibus viventibus inest. Congruens ergo est, ut tanta huius principii praestantia speciali nomine significetur [3].

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 3, c. 2.

[2] Ita inter alios Stöckhardt, Schule der Chemie. 18. Aufl. 1876.

[3] De nomine animae cfr. n. 34 not. atque etiam Volkmann, Lehrbuch der Psychologie I, 56.

Coroll. 2. Ergo vox vitae primo non significat vitam accidentalem, sed vitam substantialem. Nam ens vivens primo ex sua substantia habet, ut vivat. Et substantialis illa perfectio est ratio formalis, ob quam ens vivens est substantia una viva, sive ob quam ens est simpliciter vivum [1].

Coroll. 3. Ergo vita in operationibus vitalibus consistit tantum secundario et minus proprie. Ex substantia enim vitalitas ad potentias et operationes deducitur. Unde haec quae accidentia sunt, pendent a substantia per relationem analogati secundarii ad primarium (Log. n. 1203).

Coroll. 4. Ergo generatio, per quam organismus oritur (n. 50), non est accidentalis sive secundum quid, sed simpliciter sive substantialis (Phil. nat. n. 619). Forma enim, qua individuum novum constituitur, non est accidentalis, sed substantialis. Novum autem individuum aut a vivente generatur, aut prius viventi aggeneratur tanquam pars, quae a vivente hoc separata evadat novum individuum.

201. Respondenda ad rationes dubitandi initio (n. 184) positas.

(Ad 1.) Latent quidem permulta, minime tamen omnia. Unde erigendus animus est, ut ex his, quae certe novimus, indagemus ea, quae ut rerum cognitarum causas cognoscere possimus. Quo in negotio certe cum modestia procedendum est, ne plura velimus ostentare ut a nobis scita, quam quae revera scire possimus; quae permagna eruditorum de rebus gravissimis inter se disceptantium virorum est calamitas. Etsi nos non omnes vires elementorum perfecte cognoscimus, novimus tamen eas elementorum proprietates, quae vitam ab his excludunt. Unde alia in viventibus rebus causa vitae ponenda est, quae ad ipsam rerum substantiam pertinet. Hac in re sapientes omnes consentiunt; differunt inter se, si accuratior instituitur quaestio de ratione vel unione, quae est inter animam et corpus. Quae dissensio neminem, qui sanae mentis sit, movere potest, ut dubitet de ipsius animae exsistentia.

Dices: Ex philosophia Kantiana probatum est, quidquid certo noverimus, haerere in vanis phaenomenis, a quibus ad ipsas res cognoscendas nullus pateat aditus. Et speciatim conceptus causalitatis et substantialitatis subiectivis mentis categoriis annumerandi sunt. Quam ob rem argumenta omnia, quibus ex phaenomenis ad ipsius animae realitatem concludere solent, paralogismi sunt [2]. —

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 18, a. 2.

[2] „Der Substanzbegriff gilt nur von Erscheinungsobjecten. Von unserem Ich als transcendentalem Objecte wissen wir gar nichts. Wie die Schlüsse, auf welche die pneumatische Psychologie, so sind auch die Schlüsse, auf welche der Materialismus sich stützt, nichtig; denn dieser macht sich der gleichen Sophistik schuldig, indem auch er seine Bestimmung über das Wesen des denkenden Ichs auf ein Subject bezieht, von dem er nichts weiss und nichts wissen kann. So bewahrt uns die Kritik vor Spiritualismus und Materialismus

Resp.: De vanitate philosophiae Kantianae alio loco (Log. n. 840 sqq.) dictum est satis. Firmiter igitur tenendum est ea omnia, quae ex phaenomenis per rectam consequentiam de natura animae concludamus, etiam de ipsius animae realitate transcendentali a nobis cognosci.

(Ad 2.) Genus vel species non est totum actuale, sed est totum conceptuale sive universale vel logicum, quod totum invenitur in unoquoque inferiore (Log. n. 147).

(Ad 3.) Unitas, quae est in organismo, interna est. Manifestat enim sese in appetitu naturali, quo ipse ex se organismus quaerit perfectionem suam; qua de re supra satis diximus.

(Ad 4.) Quum causa vitae agitur, distinguere oportet inter vitam accidentalem sive operationes vitales, et vitam primam. Vita secunda in nonnullis rebus est effectus resultans etiam ex viribus organicis. Vita autem prima nullo modo est effectus organismi, in quo inest, sed est causa organismi et phaenomenorum vitalium. Qua de re scite Ioannes Müller: „Nonnulli dixerunt vitam nihil esse nisi effectum harmoniae productae a variis particulis machinae illius, quae dicitur corpus vivens. Certe operantur particulae ad efficiendam harmoniam. Sed haec admirabilis harmonia, quae inest in organismi partibus et operationibus, non exsistit nisi dirigente principio, quod harmonia prius est et omnium in organismo rerum potitur. Sit organismus similis machinae; sed praeterea est machinae constructor atque moderator." (Cfr. n. 182.)

(Ad 5.) Activitates psychicae acervum accidentium constituunt. Accidentia autem ex naturae legibus insunt in substantia; et si sunt vitales, propter immanentiam a substantia ne absolute quidem separari possunt. Quam ob rem unicuique apertum est Locke alucinatum esse atque etiam Beneke, de Hartmann. Transcendentales quod spectat, istos scimus inepte inter apparentias et rerum realitates distinguere. Reapse enim in apparentiis ipsae rerum realitates apparent.

(Ad 6.) Omne accidens substantiae anorganicae ipsum est anorganicum. Est enim necessitas, ut accidens sequatur naturam substantiae, in qua naturaliter inest. Sed ex multis anorganicis nunquam nascetur organicum quid.

(Ad 7.) Nulla est operatio vitae sensitivae vel vegetativae, cuius principium sit anima sola. Sed ab una substantia, quae est ex anima et corpore composita, omnes hae operationes efficiuntur. Quum videamus ubique in natura hanc esse parsimoniam et oeconomiam, ut inferiora trahantur in ministerium superiorum, quantum id fieri possit, non est mirandum etiam ad exercendam vitam adscisci agentia naturalia. Id vero ut commode fieri possit, pro natura horum agentium necessarium est, ut usui vitae per implicatissimam illam organizationem disponantur.

(Ad 8.) Ubi est vita, ibi est vitae principium. Homo, belua, planta in genere viventium conveniunt, secundum speciem tamen magnopere differunt.

(Ad 9.) In confessis est animam, quae inest in belua vel planta, propter exsistendi infirmitatem et ingentem a materia dependentiam magis accedere ad naturam accidentis quam substantiae perfectae. Nihilominus est determinatio

---

zugleich. Und indem sie die Schranken unserer Vernunft uns zeigt, wendet sie letztere zum fruchtbaren praktischen Gebrauche" etc. (Kritik der reinen Vernunft p. 407—421).

materiae substantialis et non accidentalis. Nam ad ipsum principium spectat sive radicem, ex qua una activitas vitalis procedit. Unde non accedit ad materiam ut ad subiectum inhaesionis perfectum, sed materiam intrinsecus perficit tanquam subiectum informationis. Qua de re mox plura.

202. **Solvuntur quae restant dubia** (cfr. Phil. nat. n. 144). *Dicunt 1°:* Si in organismo esset anima, ab hac in motibus spontaneis, physiologicis produceretur nova energia mechanica, quae ante in natura non fuit. Atqui id vetat lex quae vocatur „conservationis virium sive energiae mechanicae". Omnis ergo aditus in hanc rerum naturam animabus occlusus est. — *Resp. 1°:* Constat certius, esse in organismis animas, quam exsistere istam legem. Si quid igitur cedere debet, cedat lex ista, ut esse possint animae. — *Resp. 2°:* Lex „conservationis mechanicae" ea est, ut in hoc mundo materiali tota summa energiae mechanicae tum potentialis tum actualis acceptae simul neque minuatur neque augeatur, sed semper permaneat eadem, quamdiu aliunde nulla alia vis sive energia ad producendum motum adveniat. Unde hac lege non negatur extra vires materiales exsistere substantias superiores, quae motum localem in rebus naturalibus efficere possint. Quod si ab anima in dirigendis viribus materialibus motus aliquis novus efficeretur, is certe tam exiguus esset, ut universa quantitas energiae mechanicae, quae est in universo mundo, eo vix mutaretur. — *Resp. 3°:* Sed missis his duabus responsionibus satis est, ut dicamus ad effectus omnes vitales, quatenus hi materiales sint, adhiberi materiam, quae ante iam fuerit in rebus aliis, et adhiberi motus mechanicos, qui ante iam fuerint sub diversa forma in phaenomenis aliis. Hac de re postea dicetur enucleatius.

Dicunt 2°: Si esset in organismo anima, oporteret, ut crederemus animam hanc efficere actiones corporis per imperium. Atqui anima beluina vel plantaria certe incapax est concipiendi imperii. — *Resp. Dist. mai.:* per imperium vi vocis propria, i. e. per actum voluntatis ordinantis, *nego mai.;* per imperium vi vocis latiore et impropria, i. e per motionem virtutis appetitivae, *subdist. mai.:* per hanc deberet agere in corpus tanquam in substantiam aliam, *nego mai.;* per hanc deberet cieri in una substantia (ex anima et corpore composita) motio virtutis locomotivae, *conc. mai.* Et respondente ratione distincta minore *dist. conseq:* non est anima in organismo tanquam spiritus rector agens in corpus, *conc. conseq.;* non est tanquam pars cum corpore tanquam comparte in unam substantiam coniuncta, *nego conseq.* Verum hac de re mox plura.

Dicunt 3°: Si exsistit substantia, quae est anima, haec substantia etiam ortum proprium habere debet. Atqui hic ortus densissimis est obvolutus tenebris. Ergo neque exsistit anima, quae sit in genere substantiae. — *Resp.:* Ex ortus qui a nobis cognoscatur difficultate nulla peti potest ratio ad negandam entis exsistentiam a nobis certo cognitam. Sed potius ex entis exsistentia certo cognita concludendum est ens illud etiam ortum suum habere. Anima orta est aut ex nihilo sui et subiecti, i. e. sine interna dependentia a materia, et tum creata est; aut orta est ex nihilo quidem sui, non tamen ex nihilo subiecti, et tum ad hunc originis modum significandum metaphoram e d u c t i o n i s adhibent, quatenus ante latebat quasi in potentia et virtute causarum naturalium. Qua de re suo loco extensius dicendum erit.

Quaeritur secundo:

qua ratione anima se habeat ad corpus sive materiam.

203. **Introducitur quaestio.** Haec quae est de habitudine inter corpus et animam quaestio semper a viris sapientissimis ducebatur esse difficillima et maximis tenebris obvoluta.

Ubi primum persuasio illa, qua universum genus humanum de substantialitate animae humanae imbuta erat, a philosophis penitius perquirebatur, illico quaestio ista exorta est, et ingenia hominum occupata tenuit usque ad nostra tempora.

Et primi quidem philosophi credebant omnem animam esse substantiam perfectam et absolutam insidentem corpori alieno.

Pythagoreis si credimus, anima inditur corpori per numerum et immortalem eandemque incorporalem convenientiam.

Platonem audivimus (n. 6) et animae et corpori tribuere rationem substantiae completae, quae duae substantiae inter se coniungerentur per aliquam externam assistentiam [1].

204. Primus Aristoteles docuit animam in corpore non esse substantiam completam, sed esse unius completae substantiae partem incompletam eamque esse id, quod toti organismo ipsum Agere et Esse suum specificum tribueret [2]. Quam ob rem animam vocavit actum vel formam corporis [3]. Et organismum abeunte anima negavit manere organismum, et manum vel oculum manere organa [4].

Quo autem facilius perspiciamus, quae ab Aristotele de natura animae praecepta sint, mente repetamus, quidnam voce formae sit intelligendum. Nullum est corpus naturale, in quo non conspiciantur phaenomena activitatis determinatae et formatae, quorum principium in ipso corpore insit (Phil. nat. n. 27). Est enim in unaquaque re ordinata quaedam necessitas, qua omnes materiae perpessiones omnesque virium actiones ad certos fines perpetuo et constanter

---

[1] Quam assistentiam Plato *μέθεξιν* dixit vel *παρουσίαν* vel *κοινωνίαν* vel *μετέχειν*, *μεταλαμβάνειν* (Arist. l. 1 metaph., c. 6, 987 b, 11 et c. 9, 991 a, 19. Cfr. Zeller, Geschichte der griechischen Philosophie II [3. Aufl.], 641).

[2] Indulgeat lector, quod per hanc quaestionem rem eandem diversis dicendi rationibus proponimus. Est enim huius repetitionis necessitas propter rei obscuritatem atque etiam pro universa psychologia gravitatem.

[3] *Ψυχὴ ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος* (l. 2 de an. c. 1, 412 a, 27); *ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ* (ibid. 412 b, 4).

[4] L. 1 de part. animal. c. 1, 640 b, 33; 641 a, 18; l. 1 de an. c. 4, 408 a, 24.

adducuntur. Et haec quidem necessitas ex lege interna nascitur, quae non consequitur rem ut pedisequa vel serva, sed est principium et quasi domina, quae inclinatione sua et pondere rem dirigit. Est igitur substantia ad rem ipsam pertinens subestque viribus et quantitati; et est radix et fundamentum et causa, cur res sic sit et non aliter.

Hoc principium substantiale, quod est in re princeps, per metaphoram (tractam ab artificiis) vocatum est forma (Phil. nat. n. 193). Ab hac significatione nomen translatum est ad nominanda accidentia, quatenus ea substantiam inhaerendo determinant (formae accidentales) atque etiam ad indicandum omne id, quod extrinsecus assistendo rem aliquam determinat (formae assistentes). Sed ex se nomen istud semper significat formam substantialem.

Forma substantialis describitur, ut sit „substantia simplex et incompleta, quae ut actus materiae cum ea constituit essentiam substantiae compositae“ [1] vel „principium ultimum determinans subiectum in ratione substantiae“, vel „forma, quae dat Esse simpliciter“, i. e. primum Esse, quod nullum aliud Esse supponit.

Tria in ratione formae substantialis sunt distinguenda. Primo, quia forma illi rei, cui inest, aliquod complementum donat, formae substantialis proprium est, ut det substantiae internum complementum ultimum. Secundo, quia ens et unum convertuntur, et forma substantialis est principium ipsius Esse simpliciter (Esse inquam completi), haec forma etiam unum impliciter efficiet. Tertio, quia substantia re idem est atque natura, et natura primum significat operationis principium, consequens est, ut eodem modo, quo quid est principium ipsius Esse substantialis, sit etiam operationis principium et contra. Quibus ex tribus rebus conflatur et efficitur ea, cuius veritatem probaturi sumus, forma substantialis (Phil. nat. n. 147).

Unicuique rei naturali Aristoteles formam inesse docuit, ita ut unaquaeque res naturalis intrinsecus duabus partibus substantialibus constituatur ut res una; quarum partium una tanquam materia sit subiecta et determinetur ab altera ad certum Esse et Agere completum; altera tanquam forma sit superior et materiam determinet (Phil. nat. n. 165).

Ex hac Aristotelicorum sententia anima non est realitas completa a realitate elementorum materialium seiuncta, huicque adiecta extrinsecus, sed una cum realitate elementorum constituit ens per se unum, ita ut realitates materiae et formae sint incompletae in ratione agendi pariter et essendi; et unitae simul constituant substantiam unam et naturam unam.

Id est inter notionem substantiae et naturae discriminis, ut ens dicatur substantia, quatenus est per se stans nec indiget alterius subiecti, cui inhaereat, dicatur vero natura, quatenus est primum agendi principium (Log. n. 1458). In ordine ontologico sive „quoad se“ prior est substantia; in ordine autem cognitionis sive „quoad nos“ prior est natura; ex unitate enim actionis con-

[1] Ita Suar., Disp. metaph. disp. 15, sect. 5, n. 1.

cludimus in rebus naturalibus ad unitatem naturae, et ex unitate naturae ad unitatem substantiae. Re autem substantia et natura idem sunt.

Haec autem nomina, sicut et nomen „entis", non tribuuntur simpliciter nisi entibus completis [1]. Nam illud ens tantum, quod completum est, apud Peripateticos vocatur „ens" simpliciter (Log. n. 1176) [2]. Ratio realitatis, substantialitatis, naturae inest quidem in partibus singulis entium completorum; sed ideo non licet putare ipsas esse simpliciter res, substantias, naturas: unaquaeque enim est aliquid incompletum. Quam ob rem Aquinas: „Nunquam invenitur ex duabus naturis manentibus fieri unam, eo quod quaelibet natura est quoddam totum; ea vero, ex quibus aliquid constituitur, cadunt in ratione partis. Unde quum ex anima et corpore fiat unum, neque corpus neque anima natura dici potest, quia neutrum habet speciem completam, sed utrumque est pars unius naturae" [3]. Atque id, quod de substantia et natura diximus, etiam de voce essentiae est arbitrandum, qua significetur id, quo res singularis primo constituitur ens huius vel illius speciei.

Quum igitur Aristotelici docent materiam habere „Esse" a forma, nolunt docere materiam habere a forma, ut sit materia, sive substantia suo modo incompleta, sed materiam affirmant propter formam habere, ut simul cum forma „sit" simpliciter, et sit substantia naturaque completa; eo fere modo, quo in ordine artificiatorum affirmant singulos lapides propter formam palatii habere, ut simul cum hac forma sint artificiatum unum completum.

205. Hoc igitur modo, qui Aristotelem sequuntur, docent animam et corpus uniri ad constituendum tertium quid, quod sit natura una et substantia una.

Nomen naturae, quod a nascendo est sumptum, primo est impositum ad significandum generationem viventium, quae nativitas vel pullulatio dicitur, ut dicatur natura quasi nascitura. Deinde translatum est nomen naturae ad significandum principium huius generationis. Et quia principium generationis in rebus viventibus est internum, ulterius translatum est nomen naturae ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus; unde natura definitur, ut sit principium motus in eo, in quo est per se et non secundum accidens (Phil. nat. n. 304). Hoc autem principium vel forma est vel materia. Unde interdum natura dicitur forma, interdum materia. Et quia finis generationis naturalis est in eo, quod generatur, scilicet in essentia speciei, quam significat definitio, inde est, quod huiusmodi essentia speciei sive quidditas speciei, vel „quod quid est" vocatur etiam natura. Et id est discriminis inter vocem quidditatis sive essentiae et vocem naturae, quod essentia significat rem, ut in

---

[1] Cfr. Arist. l. 6 (al. 7) metaph. c. 1. 3. 8.

[2] Hoc modo dicit Aquinas: „Nullius continui pars est nisi in potentia; unde nec pars ignis est aliquid actu nisi post divisionem" (1 dist. 8, q. 5, a. 3). Et alio loco: „Esse totius compositi pertinet ad omnes partes, quia partes non habent proprium Esse, sed sunt per Esse totius" (3 dist. 6, q. 11, a. 3). Distinguunt igitur inter „Esse transcendentaliter", quod opponitur nihilo, et „Esse simpliciter", quod proxime actioni supponitur, quod etiam „Esse actu" dicitur, nihil enim agit nisi quantum est actu.

[3] S. Thomas, Summa c. gent. l. 4, c. 35.

se est unum quid specifica sua differentia determinatum; natura vero rem, ut est operationis principium. Quod si principium operationis incompletum est, natura erit incompleta sive partialis; si vero unius operationis principium completum est, natura erit sub hoc respectu completa et una [1].

206. **Rationes dubitandi.** (1.) Videtur admittenda esse sententia Platonis. Ex hac sententia anima unitur corpori sicut motor mobili, ita ut anima sit in corpore ut nauta in navi, vel sicut manus in chirotheca. Nam omne vivens est movens se ipsum. Omne autem movens se ipsum in duas partes dividitur, quarum una est movens et alia est mota.

(2.) Hanc sententiam Aristoteles reiecit et in eius locum substituit systema hylomorphicum. Attamen fieri non posse videtur, ut anima sit forma corporis; abest enim illa proportio inter animam et materiam, quae ad istam unionem omnino requiritur.

(3.) Certum est deinde animam esse substantiam, quae suam exsistentiam habet et essentiam. Id ipsum de corpore putandum est. Ergo in homine non inest simplex realitas una, sed sunt duae realitates inter se additae.

(4.) Quam ob rem sententia Platonis rem principem quod attinet resuscitanda et accuratius explicanda esse videtur.

Putari igitur potest substantia animae esse vis quaedam vitalis, quae per effectus a se in corpore productos regat massam corpoream eo fere modo, quo auriga regat currum, vel canis pedibus suis impellat follem fabrilem, cui insideat. Apparet enim hoc modo per intimam duarum rerum praesentiam et utriusque (follis et canis) commixtas vires eam unitatem constitui posse, qualis est inter animam et materiam (ita Tongiorgi, Inst. phil.).

(5.) Quaestio haec, de qua agitur, ex rebus observatis dirimenda est. Sed ad explicandam vitam omnem, quae est in rebus, satis est, ut dicamus animam producere nescio quam in corpore modificationem, et corpus ex sua parte communicare cum anima modum quendam extensionis (ita Palmieri).

(6.) Quamvis licet anima et corpus coniungantur in naturam per se unam, haec tamen natura simpliciter una non est per se substantia. Alia enim realitas est animae, alia corporis (ita Palmieri).

(7.) Demus animas beluinas et organicas cum materia in naturam unam et substantiam unam uniri posse, id tamen de anima humana putari non potest; haec enim est simplex, spiritualis et actiones habet a materia non pendentes; id quod suo loco declarabitur.

207. **Thesis: Anima corpori coniungitur ut forma substantialis, ita ut anima et corpus in organismo sint duae substantiae partiales, inter se ad naturam unam et ad substantiam unam complentes.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Haec res, quum in philosophia naturali (Phil. nat. n. 146) satis definita sit, hoc tamen loco recolenda est eo modo, ut in solvendis multis quaestionibus psychologicis norma et regula esse possit. Probandum est nobis animam in vivente corpore esse formam substantialem; quae sequuntur nihil addunt quod novum sit; sed adduntur a

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 4, c. 35.

nobis tantum ut significemus, nos nomini formae eam notionem subicere, quae una in schola peripatetica semper in usu fuit[1].

Praenota 2°. Animam dicimus esse formam substantialem (Phil. nat. n. 147). Forma generatim est id, quo aliquid determinatur vel dirigitur.

Forma improprie dicta vel externa, quae etiam forma assistens dicitur, est substantia completa, quae aliam substantiam completam extrinsecus movendo vel modificando vel quacunque alia actione determinat vel dirigit.

Forma proprie dicta sive interna in ipsa re, cuius est forma, reperitur. „Sicut omne, quod est in potentia, potest dici materia, ita omne, a quo habet aliquid Esse, quodcunque Esse sit illud, sive substantiale, sive accidentale, potest dici forma. Et quia forma facit Esse in actu, ideo dicitur, quod forma est actus. Quod autem facit Esse actu substantiale, dicitur forma substantialis, et quod facit actu Esse accidentale, dicitur forma accidentalis.“ [2] Itaque forma interna duplex distinguitur: substantialis et accidentalis. Forma accidentalis est accidens, quod substantiam in suo Esse substantiali perfectam inhaerendo determinat. Quum demonstratum sit animam esse substantiam, relinquitur ut videamus, sitne anima forma assistens (quae est forma vi vocis impropria), an forma substantialis (quae est forma vi vocis propria).

Praenota 3°. Forma substantialis (*ἡ οὐσία ὡς εἶδος*) est substantia simplex et incompleta, quae ut actus materiae cum hac constituit essentiam substantiae compositae.

Dicitur substantia, quia non accedit ad substantiam complete constitutam, sed ipsa est substantiale quid. Dicitur simplex, quia ipsa non est iterum composita ex forma et materia. Dicitur incompleta, quia ipsa simul cum materia unam substantiam completam intrinsecus constituit. Dicitur actus materiae, quia materiam intrinsecus subsumens eam ad unum novum Agere, et hinc ad unum novum Esse complet et determinat atque hoc modo simul cum materia essentiam unius substantiae compositae constituit.

Forma substantialis ut distinguatur a forma accidentali, dicitur actus rei primus. Forma enim accidentalis determinat substantiam in suo Esse substantiali iam constitutam et completam; forma autem substantialis determinat materiam, quae formae unitur ut incompletum quid, ad unam substantiam. Forma igitur substantialis est actus primus, forma accidentalis est actus secundus.

Itaque proprium est formae substantialis, ut det rei, in qua inest, internum complementum ultimum et constituat cum materia rem unam simpliciter.

Praenota 4°. Substantia, quatenus est operationis principium, natura vocatur. Et natura, quatenus in re subsistit, vocatur substantia. Et quoniam res, ut natura est, quoad nos notior est,

---

[1] *Ἔστι δ' ὥσπερ εἴρηται καὶ ἡ ἐσχάτη ὕλη καὶ ἡ μορφὴ ταὐτό, καὶ τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δὲ ἐνεργείᾳ.* Arist. l. 7 (al. 8) metaph. c. 6, 1045 b, 19. Cfr. l. 6 (al. 7) metaph. c. 3; l. 2 de generat. et corrupt. c. 1.

[2] S. Thomas, Opusc. de princ. nat.

quam quatenus est substantia, ostendendum primo est nobis actionem vitalem organismi non esse duarum vel plurium actionum copulationem, neque esse unius principii actionem ab altero principio modificatam, sed esse actionem unam ab anima et materia progredientem. Ex quo consequens est, ut anima et materia intrinsecus ita inter se afficiant, ut sit vere una natura, i. e. duo comprincipia unius actionis. Unde porro concludendum est realitatem animae et realitatem materiae esse substantias partiales in realitate tertia totali unitas, ut vere sit realitas una.

Haec nomina naturae, substantiae, sicut et nomen entis, competunt simpliciter entibus completis. Competit quidem ratio realitatis, substantialitatis, naturae etiam partibus entium completorum; neque tamen eapropter eas simpliciter rem vel substantiam vel naturam vocare licet; sunt enim incompletum quid.

Praenota 5°. Hac thesi animismus qui vocatur defenditur. Adversantur Platonici, Cartesiani, nostrae aetatis vitalistae, qui ponentes principia vitalia aut in organismo quopiam, aut in solis animalibus, aut in solis hominibus, opinantur animam assistere corpori ut nautam navi vel ut captivum parieti, vel ut hominem vestimentis suis, vel ut musicum claviaturae, quae ab ipso et ab aliis pulsetur, vel ut equitem suo quem nutriat et dirigat equo.

Ab his vix differt sententia eorum, qui nomine tenus animam esse formam substantialem admittunt, hanc tamen unionem ita explicant, ut illi loquendi formulae novam plane et inauditam notionem subiciant.

Dicunt enim ex forma et materia eo fieri unum, quod forma per intimam suam in materia praesentiam vires suas viribus materiae admisceat. Qui igitur revera unionem non esse nisi dynamicam docent. (Tongiorgi.)

Alii hanc unionem dynamicam iusto iure reicientes animam et materiam manere dicunt duas substantias completas, sed eo fieri unam naturam, quod anima corpus nutriat, augeat, modificet, illudque eo ipso tanquam conditionem intrinsecam alicuius actionis — sensationis puto — assumat. (Palmieri.)

Nos contra affirmamus animam et corpus ita se intrinsecus afficere, ut sint vere duo comprincipia actionis unius, ex uno principio egredientis; ad id autem necesse esse, ut vere sint composita sive unita in natura una et substantia una.

Praenota 6°. Ut veritas, quam demonstrare volumus, evadat clarior et facilior, tres in thesi partes distinguimus. In quarum prima animam et corpus in unam coniungi naturam declaramus, eo quod actio organica non actiones duae sint vel multae inter se admixtae, neque actio alterutrius componentis ab altero componente modificata, sed actio sit per se una. In altera parte ex

unitate naturae unitatem substantiae deducemus eo quod propter unitatem necesse sit dicere etiam ipsum Esse organismi non modo realitatibus duabus vel pluribus constitui, quae inter se cum aliqua modificatione additae sint, sed esse vere realitatem unam. In tertia parte hanc unitatem eo constitui demonstrabinus, quod anima sit forma substantialis materiae.

208. **Argumenta.** *Argumenta partis primae,* qua edicitur ab anima determinari materiam intrinsecus ad naturam unam.

Arg. I (ex unitate activitatis vegetativae). Ea, ex quibus egreditur activitas per se una, in una natura unita sunt. Atqui activitas vegetativa egreditur ex anima et materia ut activitas per se una. Ergo anima et materia in una natura unitae sunt.

Prob. min. Activitas una vegetativa quantum ad rationem mechanicam illis viribus physicis et chemicis efficitur, quas materia anorganica cum organismo communicat; et ipsis his viribus physicis et chemicis tota vita vegetativa absolvitur; neque ullus effectus mechanicus in materia producendus animae secundum se consideratae, ad partem effectus mechanicam quod spectat, relinquitur (quamquam concedendum est animae propriam esse virtutem efficiendi simpliciter actus vitales ut vitales sunt, atque ita operandi in eventibus vegetativis ex parte formali spectatis). Ergo anima ipsi materiae, quae ad constituendum vel restaurandum organismum adhibetur, dat Agere, elevando ipsam ad novam operandi speciem, atque id ita quidem, ut operationes materiales in organismo non appareant directae vel modificatae extrinsecus (sicut in laboratoriis chemicis vel in machina physica contingere videmus), sed elevatae intrinsecus ad altiores producendos effectus. Itaque anima et materia in unam naturam consociatae sunt; et ipsa materia ad altiorem operandi formam est elevata, hinc in ratione naturae transmutata.

Vel sic: Anima in vita vegetativa vires materiales determinat, neque tamen ullam efficientiam per motum mechanicum efficit — ostendunt enim physiologi omnem in organismo efficientiam, ad partem mechanicam quod attinet, materialibus viribus exerceri. At huic rei praestandae anima impar esset, nisi in unam cum materia naturam coniuncta esset; atque ita fere coniuncta, sicut in motu locali directio et impetus in unum motum coniuncta sunt [1].

[1] Hac in re scientia physiologica ad doctrinam aristotelicam reverti coepit, ex quo tempore (1834) Schwann cibos in stomacho concoqui cognovit viribus chemicis.

209. *Arg. II* (ex unitate activitatis sensitivae). Sensatio, quae est actio una et immanens, a duobus principiis sive naturis, quae eam eliciant, proficisci non potest, nisi illa duo principia constituant naturam unam ut actionis illius principium; quot enim agendi principia, tot actiones. Atqui sensatio proficiscitur et ab anima et a materia. Proficiscitur ab anima, quia percipit extensionem totam obiecti extensi repraesentatione essentialiter una et indivisa et immanenti. Proficiscitur a materia; nam percipit obiectum modo extenso, ita ut appareat ipsum actum sensationis et hinc etiam principium sensationis esse formaliter extensum et obiecto extenso coextendi.

Vel sic: Quum perceptio sensilis, experientia teste, sit huiusmodi, ut subiectum, quod sentit impressiones, quae in extenso fiunt exiguntque subiectum formaliter extensum, has sentiat tanquam suas ipsius, iam ipsum subiectum, in quo est sensatio, secundum essentiam formaliter extensum esse sentitur. Experientia ergo interna irrefragabili apertum est unum esse subiectum sentiens, quod sentiat, quod sentire se sentiat extenso modo, quod dum sentit, sentiat se habere partes extra partes.

Ad haec vero phaenomena explicanda non satis est dicere corpus esse conditionem internam actus; sed necesse est iudicare corpus esse comprincipium actus, ita ut ipsum animae unitum actum sensationis eliciat. Si enim corpus nihil esset nisi conditio interna, tantum esset ratio, ob quam actus ab anima profectus esse possit talis; eo fere modo, quo color caeruleus *perspicilli* est ratio, cur actus ab oculo profectus omnia percipiat caerulea, vel sicut in *ictericis* fel humoribus oculi admixtum causa est, ob quam ipsis omnia videantur esse lurida. At vero modus extensus in sensatione non est ex parte actus a suo principio iam profecti, sed proficiscentis, ita ut etiam ipsum principium, a quo procedit actus, sentiatur esse extensum.

Si autem corpus vere est comprincipium actus sensitivi, iam sequitur ex corpore et anima factum esse principium unum. Actus enim sensationis est actus individuus et unus atque etiam immanens, i. e. manet in eo, a quo elicitur, in eoque tantum.

210. Quae res *confirmatur 1°* (ex indole passiva sensationis). „Sensus est virtus passiva ipsius organi. Anima igitur sensitiva non habet se in sentiendo sicut movens et agens, sed sicut quo patiens patitur, quod impossibile est esse diversum secundum Esse a patiente. Non est igitur anima sensibilis secundum Esse diversa a corpore animato.“ [1]

Vel sic: Sensatio involvit vitalem receptionem et expressionem speciei (Log. n. 848 sqq.); anima autem secundum se neque speciem rei extensae recipere potest, nec speciem extenso modo exprimere.

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 57. Cfr. c. 66. 68. 82; S. theol. 1, q. 77, a. 5.

Ad impressionem requiritur immutatio naturalis, hinc aliquid, quod ex se admittit contactum quantitativum. Expressio autem in eodem principio esse debet, quod specie impressa fecundabatur.

Confirmatur 2° (ex variis affectionibus entis sensitivi). Motus spontaneus, variae appetitus sensitivi passiones, somnus, dementia, mors et alia, quae sunt in hoc genere, neque ad solam animam, neque ad solam materiam neque ad ambas, ut ambae sunt, referuntur, sed ad naturam unam ex duobus comprincipiis ortam.

Confirmatur 3° (ex perceptione directa rerum externarum). Si anima sola sentiret, immediate et directe non perciperemus res externas, sed affectiones ipsius corporis; id quod adversarii asseverant. Atqui id est contra experientiam (Log. n. 608). Et si acciderit id, quod adversariis placet, ut sensatio doloris haberetur, dum moveretur extrema pars fibrae in cerebro, non posset quis dolorem in manu vel pede sentire; sed dolor esset tantum in anima percipiente fibrae motum.

Confirmatur 4° (ex mirabili structura organorum, speciatim cerebri). Permultis observationibus physiologicis et pathologicis manifestum est, organa ita constructa esse, ut sine intermissione contingant processus chemico-physici in servitium vitae sensitivae, et ita quidem, ut unicuique actui sensitivo certus quidam processus tanquam dispositio et conditio praesto sit. Non autem est dubium, quin unusquisque processus qua physico-chemicus aliquam aequivalentem causam in processu materiali praecedente supponat. Et nihilo setius processus illi principaliter et ex sese fiunt secundum normam vitae cognoscitivae. Ergo intra principium processuum illorum intrinsecus simul principium esse debet, unde norma vitae cognoscitivae trahatur. Et processus illi qua chemico-physici incompletum quiddam sunt, quatenus intrinsecus insunt in principio cognoscitivo, a quo ordinantur ad servitium vitae cognoscitivae ut huius dispositio et conditio necessaria.

Confirmatur 5° (ex diversitate sensuum externorum). „Diversi sensus sunt perceptivi diversorum sensibilium, sicut visus colorum, auditus sonorum. Haec autem diversitas manifeste ex dispositione organorum diversa contingit; nam organum visus oportet esse in potentia ad omnes colores, organum auditus ad omnes sonos. Si autem haec receptio fieret absque organo corporali, eadem potentia esset omnium sensibilium susceptiva; nam virtus immaterialis se habet ad omnia aequaliter, quantum de se est, ad omnes huiusmodi qualitates; unde intellectus, qui non utitur organo corporali, omnia sensibilia cognoscit.“ [1] Et propter hanc organorum diversitatem necessitas est, ut putemus etiam ipsas potentias sensitivas inter se specifice diversas esse.

Confirmatur 6° (inde quod excellentiore sensibili corrumpatur sensorium). Quia enim, ut est apud Aquinatem, potentia sensitiva est immediate actus organi tanquam immediati et proximi subiecti, in organis sentiendi ad hoc, ut sentiant,

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 82.

debet esse proportio quaedam et symphonia ad sensibilia. Quae si adest, efficiuntur delectabilia; sensus enim delectatur eis, quae sibi proportionata sunt. Si vero motus sensibilis fuerit fortior sive excellentior, contristatur sensus vel etiam corrumpitur. Hoc modo excellens grave et acutum corrumpit auditum, et excellens saporosum corrumpit gustum, et fortiter fulgidum corrumpit visum, et fortis odor corrumpit olfactum [1].

211. *Arg. III* (ex unitate hominis). Per conscientiam unusquisque homo sentit se ipsum. Non vero sentit se esse solam animam; sentit enim se ipsum extensum, habentem partes varias extra se positas, alias dexteras, sinistras alias, internas alias, alias externas. Neque sentit se esse duo: animam agentem et materiam, quae actionem animae modificet, sed sentit et animam et materiam, ut sunt unum quid. Et motus spontaneus conscientia teste non ita exercetur, ut anima corpus impellat, quemadmodum externa corpora impellere solemus; sed subiectum illud unum, quod Ego nominamus, per contractionem musculorum se ipsum movet.

Nemo deinde unquam sentit corpus impressiones receptas transferre in animam, quae sola post acceptas illas impressiones videat, audiat, tangat, sed unusquisque sentit impressionem receptam in corpore animato, ubi primum illa recipitur, et in quacunque parte recipitur.

Accedunt experientiae doloris, aegritudinis, famis, sitis, quae, teste conscientia, omnes sunt unius naturae affectiones, quod constat ex anima et materia.

212. *Argumenta partis secundae,* qua edicitur ex anima et materia constitui etiam substantiam per se unam.

Arg. I (ex unitate actionis ut involventis Esse). Ubi est unum Agere, quod est unum egrediens ex suo principio, ibi est unum Esse; fieri enim non potest, ut eorum, quae sunt diversa secundum Esse, sit operatio una [2]. Atqui in corpore vivente unum est Agere, quod est unum egrediens ex uno principio; velut *sentire, timere, irasci, vegetare.* Ergo unum est Esse. Sed ubi est unum Esse, ibi una est substantia. Sola enim substantia per se subsistens ita habet Esse, ut ipsa vere sit. „Illud proprie dicitur esse, quod ipsum habet Esse, quasi in suo Esse subsistens. Unde solae substantiae proprie et vere dicuntur entia.“ [3] Ergo corpus

[1] S. Thomas multis locis ap. Alamannum, Summa phil. de an. q. 62, a. 2.
[2] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 57. [3] Id. S. theol. 1, q. 90, a. 2.

vivum est una substantia. Et „ex corpore et anima dicitur esse homo, sicut ex duabus rebus tertia quaedam res constituitur, quae neutra illarum est; homo enim nec est anima neque corpus“ [1].

Vel sic: Actus immanens unus a duabus substantiis ipsum vitaliter elicientibus prodire non potest: fac enim ipsum elici ab A et a B; si ab A vitaliter procedit, manet in A; porro B non potest illum ipsum actum elicere, qui manet in A; nam si B illum eliceret, ille non in A, sed in B maneret. Possunt ergo esse duo actus a duabus substantiis vitaliter agentibus, non vero unus.

Vel aliis verbis: Operatio una vel duplex vel triplex dicitur, secundum quod egreditur ab agente uno vel multiplici. Sic multi impellentes currum actionem quidem unam faciunt ex parte effectus, qui unus est, attamen ex parte impellentium actiones multae sunt, qui sunt impulsus multi ad vehendum. Quare ut operatio vere una sit, una esse debet ratione principii unius, a quo procedit. Sed ubi est operatio una unitate principii, ibi est unum Esse. Si igitur sunt aliqua diversa secundum ipsum Esse, sunt etiam principia complura; pariter si ex compluribus est unum principium, est etiam ex pluribus unum Esse. — Ergo quotuplex est Agere, totuplex est Esse.

Arg. II (ex habitudine inter animam et materiam). Ea est animae ad corpus habitudo, ut anima subsumat et elevet corpus ad activitatem, quae non sit activitas corporis modificata extrinsecus, sed quae sit ex prima radice immanens, hinc alia et nova. Quam ob rem non est satis, ut putemus ab anima modificari actionem a corpore profectam. Sed necesse est, ut dicamus ab anima ipsum corpus ante omnem actionem intrinsecus compleri, accipiendo ab anima novam essendi rationem, qua ad vivendum capax sit. Ergo corpus ab anima completur etiam in ratione substantiae.

Vel sic: Si forma non daret enti peculiare suum Esse, i. e. si non compleret ens in ratione substantiae, nec dare posset enti peculiare suum Agere, i. e. nec compleret ens in ratione naturae, sed ad summum daret Agere modificatum. Quale enim Esse, tale Agere.

Atqui reapse forma complet ens naturale in ratione naturae, dando ipsi peculiarem suum agendi modum. Ergo etiam complet in ratione substantiae, dando illi peculiarem suum essendi modum.

Vel sic: Actuare corpus in ratione substantiae nihil aliud est quam actuare corpus dando illi Esse quoddam substantiale. Atqui id de forma est arbitrandum. Nam forma dat corpori id quod in se habet; sed habet in se Esse substantiale: non enim determinat actionem a corpore egressam inhaerendo corpori extrinsecus, id quod faciunt accidentia, sed complet intrinsecus ipsum corpus antecedenter ad actiones eius et ad eius Esse perfectum.

---

[1] S. Thomas, Opusc. de ente et essentia c. 3.

Vel sic: Si forma non compleret ens in ratione substantiae, tum actio, quae supponitur esse una, aut esset solius formae aut solius materiae: attribuitur enim actio substantiae. Atqui neutrum dici potest.

Vel sic: Si principia alicui operationi subiecta non ad unam realitatem constituendam unita sunt, sed diversas realitates constituere non cessant, iam complura sunt agentia, quae complures numero operationes exerceant. Atqui ponitur tamen in vivente operatio, quae est per se una. Ergo unum et agens est et una realitas.

Quodsi ideo ex corpore et anima naturam unam conflari dicunt, quod animae corpore opus sit ut conditione interna, id minime satis est. Namque hac ratione etiam manus scribentis principium incompletum est scribendi, neque ad effectum pertingere potest, nisi calamo societur. Neque tamen dixerit quispiam manum et calamum esse scribendi principium, quod per se unum sit vel constituere unam naturam.

Itaque una natura res est una; impossibile est autem, quod unius rei non sit unum Esse [1].

213. *Confirmatur* id, quod diximus, ex consensu hominum. Adversariis si credimus, anima se habet ad corpus, ut opifex ad lapides, vel musicus ad chordas, vel manus ad digitabulum, vel ut telegraphista ad fila metallica, vel ut eques ad equum. Atqui ita rem se non habere testantur omnes homines. Docti enim indoctique conveniunt, hominem esse ens unum, similiter canem, quercum. Et auctoribus quidem ad istam sententiam, quam posuimus, confirmandam uti plurimis nostrae aetatis possumus, qui omnes multis verbis efferunt unumquemque organismum, velut *hominem,* non esse duorum entium par, sed esse ens vere unum [2].

---

[1] S. Thomas, S. theol. 3, q. 17, a. 2.

[2] Ex plurimis paucos adducere liceat. Dicit Griesinger: „Vom empiristischen Standpunkte ist vor allem die Thatsache der Einheit von Leib und Seele festzuhalten. . . . Es ist also wissenschaftlich gerechtfertigt, . . . die Seelenthätigkeiten in derjenigen Einheit mit dem Leibe und namentlich mit dem Gehirn aufzufassen, welche zwischen Function und Organ besteht, das Vorstellen und Streben in gleicher Weise als die Thätigkeit, die specifische Energie des Gehirns zu betrachten“ (Pathol. und Therapie der psych. Krankheiten [2. Aufl. 1861] p. 5). I. Henle: „Die Naturforschung hat das Recht, auszusprechen, dass für sie die Seele erfahrungsmässig nicht anders existirt als in Verbindung mit einem organischen Leibe, abhängig von dessen Werkzeugen, von dessen Form- und Mischungsverhältnissen“ (Anthropol. Vorträge fasc. 1, p. 36). Guil. Wundt: „Jene uralte animistische Auffassung, welche zuerst Aristoteles in die berühmte wissenschaftliche Definition der Seele als ‚der ersten Entelechie des lebenden Körpers‘ zusammenfasste, erweist sich . . . als die einzige, die das Problem der geistigen und körperlichen Entwicklung gleichzeitig zu erleuchten verspricht“ (Grundzüge der physiol. Psychologie II [2. Aufl. 1881], p. 457): „Die durchgängige Wechselwirkung zwischen Physi-

Accedit, si qua est, materialistarum auctoritas, quorum plurimi in funesto suo errore sunt eo confirmati, quod viderent fieri non posse, ut in homine vel generatim in organismo vigeret substantia completa, quae a materia corporis omnino diversa esset [1].

214. *Argumenta partis tertiae,* qua edicitur unitatem ex anima et materia effici eo, quod anima sit forma substantialis materiae.

Arg. I (exclusionis). Organismus vivus ex anima et materia compositus est natura una et substantia una. Atqui haec unitas effici non potest coalitione physica, neque mixtione perfecta, neque ulla animae vel materiae in partem alteram effecta actione, neque per ullum assistentiae vel inhaesionis modum. Ergo illud tantum est reliquum, ut unionem illam informatione constitutam esse iudicemus substantiali.

Coalitio physica sive mixtio imperfecta fit per confusionem solum localem particularum, velut quum *grana hordeacea* cum frumentariis in uno acervo coalescunt.

Mixtio perfecta fit, quum miscibilia convertuntur in substantiam unam novam, velut quum *semen et ovulum* convertuntur in unum pisciculum vel quum *oxygenium et hydrogenium* convertuntur in aquam.

Actio mutua est, quum duo inter se agunt, velut quum res duae corporeae per intimiorem attractionem inter se adhaerent.

Praeterea varii excogitari possunt modi unitionis, velut quum nauta navi assistit, vel quum puer inhaeret humeris viri, vel quum accidens inhaeret substantiae; quos omnes modos enumerare hoc loco supervacaneum est, quum vel caecutienti clarissimum sit in eius generis unitionibus reperiri non posse rationem unionis substantialis. Mobile a motore assistente non accipit Esse, sed solam motionem.

Prob. min. Fieri non potest, ut haec unitas naturae et substantiae efficiatur:

1°. Coalitione physica. Ea enim coalitio fieri non potest nisi inter res, quae physice coordinari possunt. Praeterea ea coalitione nihil efficitur praeter unitatem accidentalem.

2°. Neque mixtione perfecta. Etsi mixtione hac unitas substantialis in mixto effici potest, anima tamen et corpus hoc modo inter se misceri non possunt. Unumquodque enim miscibile ad efficiendam mixtionem reagere debet et repati, ut alteret et alteretur

---

schem und Psychischem führt zu der Annahme, dass das, was wir Seele nennen, das innere Sein der nämlichen Einheit ist, die wir äusserlich als den zu ihr gehörigen Leib anschauen" (ibid. II, 463).

[1] Cfr. Th. Ribot, Psychologie de l'attention. Paris 1889; Les maladies de la volonté. Paris 1891.

sic, ut naturae mixti convenit; hinc debet esse activum et passivum. Deinde in miscibilibus tanquam in materia oritur nova forma mixti, qua formaliter unitas substantialis constituatur. In manifestis est autem animam et corpus non ita inter se agere ad efficiendam formam novam, in qua vel sub qua uniantur.

3°. Neque ulla alia actione mutua inter animam et corpus exercita. Nam unitas naturae et substantiae ante actionem supponitur; ergo actione non efficitur. Actio enim omnis interveniente contactu efficitur inter agens et patiens. „Quae autem uniuntur secundum talem contactum, non sunt unum simpliciter; sunt enim unum in agendo et patiendo, quod non est Esse simpliciter.“ [1]

4°. Neque ulla assistentia neque inhaesione. Nam quod alteri praesens est per solam assistentiam vel intimam, neque eius operationes dirigit nisi extrinsecus tantum; unde neque illi novum Esse internum neque ullam internam denominationem tribuere potest. Sed anima materiam intrinsecus determinat eique novum Esse ita tribuit, ut ipsum corpus vivat et in se vivere denominetur. Id vero quod substantiae inhaeret ut accidens, ei advenit in Esse suo constitutae. Anima autem ipsum Agere et Esse corporis non determinat ut absolutum quid et in se completum, cui adveniat ut „accidens“, sed determinat in eius quasi radicibus, i. e. ad constituendam substantiam unam.

Arg. II (ex notione formae substantialis). Formam substantialem novimus esse actum primum materiae, sive illam determinationem substantialem, cui materia coniuncta fit substantia per se una. Atqui id de anima sive principio vitali est arbitrandum.

Certum est enim materiam in organismo ita constare ex rebus elementaribus et chemice compositis, ut istae secundum se consideratae non uniantur nisi per quandam adhaesionem viribus physicis effectam. Hoc modo pars quaelibet corporis organici continet incredibilem molecularum congeriem cohaesione inter se coniunctarum. Et partes partibus laxiore etiam coniunctionis vinculo inter se cohaerent. Ex se igitur non sunt substantia una, sed aggregatum multarum substantiarum. Sed organismus propter activitatem vitalem habendus est ut natura una et substantia una. Ergo principium vitale coniungitur materiae ut determinatio sub-

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 56.

stantialis sive actus primus constituens cum materia substantiam unam.

Vel hoc modo: Forma substantialis est principium substantiale actuans materiam in ratione substantiae, vel est id, quo materia, quae est in potentia ad aliquam substantiam constituendam, actu fiat illa substantia. Atqui in organismo corpus est in potentia ad constituendum cum anima unum agendi principium, ad constituendam igitur substantiam unam; et anima est principium, quo corpus completur, actuatur, determinatur ad constituendum istud unum agendi atque essendi principium.

Sed obicies: Ex vita vegetativa apparet materiam vivere propter modum, quem a forma acceperit sibi internum. Materia vitam quidem a forma accipit. Sed distinguendum est inter formam, quae est ratio, cur aliquis modus in materia insit, ab hoc modo, qui a forma inducitur in materiam. Quotiescunque enim forma est realitas distincta a materia, quam informat, determinatio actualis subiecti non est ipsa forma, sed est effectus formae, et est ipsius materiae modificatio sive modus. (Palmieri.) — *Resp.:* Nulla ratione effici potest, ut materia vivat propter solum modum quendam a forma acceptum. Motus corporis modo aliquo modificari potest, non tamen transmutari in motum vitalem. Vel quis dicet motus chirothecae manu „informatae", vel motus cadaveris a daemone agitati in motus vitales transformatos esse? Tanta est inter motum materiae aliquo „modo" modificatae et motum vitalem diversitas, qua maior in rerum natura esse vix potest. Determinatio, qua determinatur motus materiae inanimae, fit per tendentiam internam cohaesionis et expansionis, inertiae, impetus ad immutanda alia. Contra motus vitalis intrinsecus et ab initiis animatur per tendentiam immutandi ulterius et perficiendi ipsum ens, in quo inest. Ex quo apertum est nullum ens posse formaliter vivere per determinationem ab alio ente advenientem; sed sub iis, quae forinsecus in ente vivente apparent, aliud latere principium, ad intimum Esse illius entis pertinens, cuius pars est etiam materia. Itaque corpus formaliter vivit non per „modum", sed per aliud quiddam, cui substantiae nomen et ratio verior et nobilior convenit quam materiae, per animam dico. Quae anima materiae aeque interne inest, sicut iste modus ab adversariis propositus, et est ipsa determinatio corporis intrinseca. Sicut igitur omnis actio naturalis duplici elemento interno constituitur, exsecutione mechanica, quae actione consumitur vel potius sine decremento transmutatur, et determinatione teleologica, et tamen est actio per se una: ita etiam actio vitalis est actio per se una, constituta elemento duplici: phaenomenis physicis chemicisque, et determinatione vitali.

215. Scholia. *Schol. 1.* Argumentum petitum ex vita vegetativa, quod primo loco (n. 208) posuimus, omnium maxime vim nostrae thesis declarat. Vita enim vegetativa magis in materia immersa est, quam vita sensitiva. In sensatione materia eatenus est comprincipium actus vitalis, quatenus hic in se extensus est; ipsa autem virtus cognoscitiva, quantum huiusmodi, est immaterialis. Unde operatio sensitiva fit quidem organo corporali, non tamen aliqua corporea qualitate. In vegetatione autem eventus

physici et chemici sunt concausa ipsius operationis vitalis. Unde operatio vegetativa fit non solum organo corporali, sed etiam virtute corporeae qualitatis [1].

Schol. 2. Quum corpus interdum vocatur subiectum animae, intelligitur subiectum aut sustentationis, aut receptionis. Quum enim generatim de subiecto dicitur, distinguere solent subiectum purae denominationis, ut est *Deus cognitus;* subiectum adhaesionis, ut est *angelus creatus,* qui igitur in se habet illum essendi modum, secundum quem dicitur esse creatus, cuius tamen modi non est causa materialis; subiectum informationis, quod est causa materialis habens in se aliquam formam sive accidentalem sive substantialem. Hoc vero informationis subiectum triplex distingui potest: subiectum inhaesionis, quod est res habens in se formam accidentalem, velut *quantitatem;* subiectum sustentationis, quod est pars materialis habens in se formam substantialem, quae materiae et in agendo et in essendo indigens est intrinsecus; cuiusmodi est *anima beluina;* denique subiectum receptionis, quod est pars materialis habens in se formam substantialem, quae intrinsecus non est indigens materiae; cuiusmodi est solum anima humana.

Schol. 3. Non idem est affirmare animam esse formam substantialem, et esse motorem corporis. Utrumque tamen animae competit. Ad animam, ut est motor, pertinet administratio corporis, quae est aliud atque unio formalis. Anima movet corpus per cognitionem et appetitum; vis autem sensitiva et appetitiva in animali habent determinatum organum; et sic ab illo organo incipit motus animalis. Sic igitur una pars animalis est movens, ut altera sit mota. Pars movens est primum organum animae appetitivae, et reliquum corpus est motum. Quum in homine movent voluntas et intellectus, quae non sunt alicuius organi actus, movens erit ipsa anima secundum partem intellectivam, motum autem erit corpus, secundum quod est perfectum ab ipsa anima in Esse corporeo [2]. Movet igitur anima intellectiva corpus non per operationem physicam in corpus exercitam, sed producendo in appetitu sensitivo sibi vitaliter coniuncto certam aliquam determinationem; et appetitus sensitivus residens in organo hac ratione determinatus, producit in motorio primo determina-

[1] S. Thomas, S. theol. I, q. 78, a. 1.

[2] Id. Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 3 ad 4. 7.

tionem; hoc vero motorium hac ratione determinatum movendo se ipsum (adhibitis viribus physicis vel mechanicis) id in se producit, quod est motionis localis causa.

216. Respondenda. *(Ad 1.)* „Si semel admittatur constitutio verarum essentiarum ex pluribus completis, licebit cuique nullo negotio quam plurimas rerum essentias conficere, multis earum coniunctis et ordine collocatis, eruntque isto modo *milites in exercitu* partes unius cuiusdam essentiae; omnes item coeli, immo et omnia, quae sunt in rerum natura, quum sint optimo ordine disposita, erunt partes unius cuiusdam entitatis, atque adeo Deus ipse Optimus et Maximus, quod ne ferre quidem aures possunt." [1] Quod vero dicitur omne vivens constitui duobus, quorum unum moveat, alterum moveatur, recolendum est animam prius propter Esse suum corpori in substantiam unam uniri, quam eliciatur motus spontaneus. Qui igitur motus praesupponit iam corpus effectum in actu per animam [2]. Et ens vivens ab anima habet, ut motum spontaneum elicere possit. Id vero, quod movetur, est ipsum corpus animatum.

(Ad 2.) Ad eam, quae per informationem fit, unionem non requiritur proportio entitatis, sed satis est proportio habitudinis, i. e. incompletio quaedam et unibilitas mutua naturalis, qua duae partes substantiales sive substantiae incompletae in una substantia unitae esse possunt.

Dices: Ratio substantiae est indivisibilis. Ergo conceptus substantiae incompletae sive partialis secum ipse pugnat. — *Resp.: Dist. antec.:* ratio substantiae in abstracto, sive ratio substantialitatis est indivisibilis, *conc. antec.;* ratio substantiae in concreto sive res, quae subsistit, est indivisibilis, *nego antec.* Nam haec res, si est composita, non est indivisibilis. Itaque ratio substantialitatis, quum simplex sit, enti aut tota convenit, aut tota non convenit. Sed substantia concreta, quum composita est, partibus constituitur, quarum unaquaque substantia incompleta sive substantiale quiddam recte dicitur.

Inst.: Inter substantiam et accidens non potest esse medium quid. Ergo pugnantia dicit, qui arbitratur substantiam per se unam esse posse ex substantiis partialibus compositam. — *Resp.:* Inter ipsum substantiale et accidentale sane medium est nihil; sed tamen inter substantiam completam et accidens aliquid medium est, quod recte substantiale quid vel substantiam incompletam dixeris, quia cum altera parte substantiam per se unam completam compositam constituit (Log. n. 1335, 4; n. 1469, 3).

Inst.: Fieri non potest, ut substantiae duae coalescant in unam. — *Resp.: Dist. assert.:* si istae maneant completae, *conc. assert.;* si vero non maneant, *nego assert.* „Ad hoc, ut aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur. Quorum unum est, ut forma sit principium essendi substantialiter ei, cuius est forma; principium autem dico non effectivum, sed formale, quo aliquid est et denominatur ens. Unde sequitur aliud scilicet, quod forma et materia conveniunt in uno Esse; quod non contingit de principio effectivo cum eo, cui dat Esse. Et hoc Esse est, in quo subsistit substantia composita, quae est una secundum Esse, ex materia et forma constans." [3]

---

[1] Petr. Fonseca, In metaphys. Arist. disp. 9, sect. 3, n. 23 sqq.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 4 ad 1.

[3] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 68.

(Ad 3.) Per unionem informationis efficitur, ut anima et corpus, etsi sint inter se distincta, non tamen sint inter se divisa, sed componant tertium quid, quod per se unum est; id quod actionibus vitalibus nobis apertum est. Totum non constituitur partibus tantum sibi additis, sed partibus in unam realitatem unitis.

At, *inquies*, haec unitio reapse nihil esse videtur, nisi additio. Sicut enim sola divisione lineae vel tabulae vel massae aqueae oriuntur entia plura, ita sola additione plurium oriri potest unum. — *Resp.:* Nunquam sola additione unum quid constitui potest, sed praeterea ea requiritur unio, qua tollatur divisio. Et in continuis quidem unitas continuitatis requiritur, quum absente continuitate adsit multitudo. In essentia autem corporis naturalis unio informationis requiritur, qua partes essentiales inter se compleant ad ens unum, quod propriae actioni exercendae par sit, constituendum [1].

Itaque anima et materia, etsi secundum mentis considerationem entia duo vocari possunt, in organismo tamen realiter sunt ut duae entitates incompletae constituentes unum ens, quarum altera sit inchoatio sive potentia, altera complementum perficiens sive actus. Organismus ergo omnis est substantia per se una, non quidem simplex, sed composita.

Dices 1°: Fieri non potest, ut materia ab anima sit et exsistat; fieri enim non potest, ut anima suum Esse et Exsistere in materiam transfundat. — *Resp.:* Materia quoddam Esse et Exsistere ex se habet. Ut vero habeat Esse et Exsistere entis completi et in suo Esse subsistentis, id accipit ex unione cum anima. Unde anima nihil transfundit in materiam, sed materiam interne ita afficit, ut sit natura una et substantia una.

Inst. 2°: Ubi est effectus compositus, ibi sunt causae componentes. — *Resp.:* Causae illae duplici ratione considerari possunt: aut ut inter se additae ad effectum producendum, et hac ratione sunt entia duo; aut ut propter unionem in effectu contentae, et hac ratione sunt ens unum.

Inst. 3°: Anima informat corpus, et corpus sustentat animam. Atqui Informare et Sustentare reducuntur ad genus causae efficientis, quae definitur „principium mutationis in alio". Ergo alia res est anima; alia res materia. — *Resp.:* Informatio est causalitas causae formalis, et sustentatio est causalitas causae materialis. Hae vero causalitates ad efficientiam revocari non possunt, quum hae causae influxum suum ita exerceant, ut ipsae se faciant partes sui effectus. Et quamvis fortassis concedi possit animam activitate aliqua per efficientiam in corpore aliquid posse producere [2], id tamen non est satis, ut inde animam et corpus substantias completas esse concludamus. Probatum est enim esse activitates, quae egrediantur ex anima et corpore unitis in una natura atque substantia. Si vero vel in una re unio in ipsum Esse, quod operationi supponitur, penetrat, iam ipsum Esse simpliciter unum esse putandum est; et anima corpusque vere sunt duae substantiae incompletae: eo fere modo, quo duae lineae mathematicae, quae in extremis iunguntur in unam, unam simpliciter lineam constituunt; ipsaeque duo entia partialia sunt inter se distincta distinctione imperfecta.

---

[1] Cfr. S. Thomas 3, dist. 5, q. 3, a. 3 ad 3.

[2] Cfr. Suar., Disp. metaph. disp. 15, sect. 5, n. 9.

Inst. 4°: Animae recte ascribuntur praedicata, quae a praedicatis corporis omnino diversa sunt, vel iisdem etiam contraria. Ergo anima et corpus in substantiam unam coniungi non possunt. — *Resp.:* Non possunt coniungi per coordinationem: possunt tamen coniungi per subordinationem. Deinde sapienti cuique est expeditissimum, corpus et animam, quae in coniunctionem intrent, praedicata diversa atque opposita habere et esse res duas. Sed hoc loco non de iis est quaestio, quae in unionem ingrediantur, sed de illa re tertia, quae ex unione oriatur, quam dicimus non esse duarum realitatum connubium, sed realitatem unam, cui praedicata sub diversis respectibus diversa competant.

217. *(Ad 4.)* Vires plures ad actionem vere unam tum solum uniri possunt, si uniuntur in radice sua, i. e. in substantia. Secus enim manent vires multae in ortu suo.

(Ad 5.) In explicanda vita ea sane, quae sunt in natura, non ea, quae finguntur, spectare debemus. Unde ad eam tantum vitam attendendum est, quae reapse in rebus inest. Huius vero vitae causa a mutua inter animam et corpus modificatione ab utroque in altera parte binarii effecta repeti non potest.

Dices: Tamen optime potest. Si vitam vegetativam attendis, haec ab anima esse non potest, nisi quatenus agens in materiam in hac modum producit. Nam anima, hanc vitam si spectes, ipsa non est formaliter vivens; vita enim vegetativa augmentatione, nutritione absolvitur; anima autem ipsa augeri atque nutriri non potest, huius ergo effectus subiectum solum corpus esse potest. Et sicut solum corpus est subiectum vegetationis, ita sola anima est subiectum omnis cognitionis. Nam sola anima est, quae actum immanentem sensationis elicit; corpus autem ad actum sensationis non concurrit nisi tanquam conditio interna. — *Resp.:* Qui hoc modo obloquuntur, conceptum vitae sibi fingunt, qui cum vita, quae in rerum natura manifesta est, omnino pugnat. Vegetationem quod attinet, non sola materia crescit, nutritur, sed tota una illa substantia, quae ex materia et anima composita est. Deinde constat nullam fieri animae in corpus efficientiam mechanicam, sed hanc totam a viribus chemicis et physicis, quae in organismo vivo insunt, esse repetendam. Sensationem quod attinet, materia non tantum munere cuiusdam internae conditionis fungitur, sed vere est sensationis comprincipium; nam experientia teste non solum res extensas sentimus, sed etiam nosmet ipsos formaliter extensos esse sentimus, qua de re satis argumentando diximus. Deinde: „Sentire accidit in ipso Moveri a sensibilibus exterioribus; unde non potest homo sentire absque exteriori sensibili, sicut non potest aliquid moveri absque movente. Organum igitur sensus movetur et patitur in sentiendo, sed ab exteriori sensibili. Illud autem quod patitur, est sensus.“ [1] Et quid tandem sibi volunt adversarii, quum corpus conditionem intrinsecam vocant? Quomodo intrinseca rei conditio esse potest id, quod realiter a re diversum est?

At, *inquies*, ipse Aquinas soli animae rationem principii tribuit; ergo corpus non est comprincipium. — *Resp.:* Si quis voce principii causam formalem et id significare velit, unde subiectum habet, ut sentire possit, is recte solam animam esse principium sentiendi dicet. Id quod Aquinas significare voluit, quum diceret: „Omnes potentiae quodammodo in anima radicantur: quaedam

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 57.

quidem, sicut potentiae vegetativae et sensitivae partis in anima sunt sicut in principio; in coniuncto autem sicut in subiecto, quia earum operationes coniuncti sunt, et non solum animae: cuius est enim actio, eius est potentia. Quaedam vero sunt in anima sicut in principio et in subiecto, quia earum operationes sunt animae absque organo corporali: et huiusmodi sunt potentiae intellectivae partis." [1] Itaque distinguere oportet inter principium, quod vivit, quod principium „subiectum" vocant; et principium, quo „principium quod" habet, ut vivat, quod „principium formale" dicunt. De priore nos hic quaerimus; de altero dixit Aristoteles [2], quum animam definiri doceret, ut sit id quo sentiamus et intelligamus primo.

(Ad 6.) Postquam probatum est animam et corpus unita esse in naturam per se unam, sequitur naturam esse per se unam substantiam sive realitatem, hinc animam et corpus non esse realitates duas.

Dices: Possunt duae res inter se exigere ad effectum unum praestandum; ex quo non sequitur duas res fieri rem unam. Ergo ex eo, quod anima et corpus inter se exigunt ad unam sensationem vel nutritionem non sequitur animam et corpus coaluisse in rem unam. — *Resp.:* Duplici ratione duo vel plura inter se exigere possunt ad unum effectum praestandum, prout hic effectus est aut unus interne et per se, aut externe et per accidens. Si effectus est externe tantum et per accidens unus, etiam causae inter se adiuvantes constituunt unum per accidens, per se tamen multae sunt. Etsi enim singulae uni effectui praestando, ad quem omnes requiruntur, sunt impares (sicut singuli milites impares sunt arci expugnandae, ad quam totus requiritur exercitus), tamen causae illae (eodem modo atque milites) non sunt impares singulis effectibus, qui a singulis tanquam a realitatibus multis producuntur. Sensatio autem vel nutritio non est orta ex multis effectibus inter se additis, sed est effectus interne et per se unus, hinc profectus ex realitate per se una.

(Ad 7.) Suo loco declarabitur, animae humanae rationalitatem, simplicitatem, spiritualitatem minime obstare, ne haec anima sit per se et essentialiter corporis forma. Quare dubitationes ex hoc fonte oborientes hoc loco omittimus.

218. Corollaria. *Coroll. 1.* Vehementer errant, qui arbitrantur ipsam animam iterum ex materia et forma compositam esse [3]. Nam animam vidimus esse formam corporis sive causam formalem viventis. Id vero est aut secundum se totam, aut secundum aliquam sui partem. Si secundum se totam, tota erit forma, neque quidquam erit materia; si vero secundum aliquam partem tantum, hanc eius partem dicemus esse animam; et haberemus organismum fortassis subtiliorem, qui organismo, quem nos novimus, insideat.

Coroll. 2. Ergo anima non est „corpus". „Viventia enim, quum sint quaedam res naturales, sunt composita ex materia et

[1] S. Thomas, Compend. theol. c. 89. [2] L. 2 de an. c. 2, 414, a. 12.
[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 5; Summa c. gent. l. 2, c. 65.

forma. Componuntur autem ex corpore et anima, quae facit viventia actu. Igitur oportet alterum istorum esse formam, et alterum materiam. Corpus autem non potest esse forma, quia corpus non est in altero sicut in materia et subiecto.“ [1] Modus, ut est apud Sylvestrum Maurum [2], quo corpora viventia constituuntur in actu primo, est proportionalis modo, quo constituuntur viventia in actu secundo; sed corpora viventium non possunt constitui formaliter viventia per coniunctionem localem cum aliqua re, quae est corpus.

Coroll. 3. Sicut materia ex se est entitative composita, ita omnis anima ex se simplex est. Est enim anima id, quo res tota propter materiam et quantitatem per spatium diffusa ad unam essentiam comprehenditur. Et praeterea anima est activitatis principium. Illae autem animae, quae totae materiae immerguntur (ut est anima sensitiva et vegetativa), compositionem materiae in se suscipere possunt. Qua de re postea agendum erit.

219. *Coroll. 4.* Errant qui animam in genere virium ponentes eam vim vitalem vocant. Etsi enim quis eam vocem, quae ex se qualitatem activam sive agendi facultatem significat, ad significandum quiddam substantiale trahere velit, semper tamen ad causalitatem efficientem refertur et rem indicat in ordine ad agendum. Id autem, quod nos formam dicimus, non est causa rem efficiens, sed causa rei interna. Forma enim et materia non operatione, sed ipso suo Esse coniunguntur. Et forma est pars eaque potior effectus, determinans alteram partem ad unam certam essentiam, quam cum ea constituit; unde de ratione formae est, quod sit in eo, cuius est forma [3].

Quod si adversarii „informationem“ eo fieri putent, quod anima in corpus aliquam efficientiam exerceat, novum id plane et inauditum est. Causalitas enim propria formae ab omnibus nomen formae adhibentibus dicebatur consistere in immediata communicatione propriae entitatis cum subiecto, cuius est actus, et hoc ipso distingui a causalitate efficiente et finali. „Forma“, ut est apud Aquinatem, „per se ipsam facit rem esse in actu, quum per essentiam suam sit actus, nec dat Esse per aliquod medium.“ [4] Et „forma est causa materiae, in quantum materia non habet Esse in actu nisi per formam.“ [5] „Actio“, ut

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 65. Cfr. S. theol. 1, q. 75, a. 1.

[2] Quaest. phil. l. 4, q. 20; ubi loco 4° extensius proponit et solvit hanc dubitationem: Simile simili cognoscitur; sed anima cognoscit corpus; ergo ipsa debet esse corpus.

[3] S. Thomas, S. theol. 1, q. 40, a. 1. [4] Ibid. q. 76, a. 1.

[5] S. Thomas, Opusc. de princ. nat.

est apud Suaresium, „ita est causalitas agentis, ut agens, quatenus agens est, omnino maneat extra effectum. . . . Unio vero ita est causalitas formae, ut ea mediante forma se ipsam praebeat vel materiae vel composito; est enim causa intrinseca per se ipsam causans.“ [1]

Coroll. 5. In errore etiam illi versantur, qui veram quidem in organismo inesse unitatem naturae ex anima et materia constitutam agnoscunt; veram quoque unionem substantialem concedunt; affirmant quoque animam esse formam substantialem; sed tamen unitatem substantiae sive realitatis pertinaciter negant.

Huius enim doctrinae sectatoribus, qui est primus reprehensionis locus, fas non est, formae vocabulo abuti; quia non licet vocibus novam subicere notionem, quae plane diversa est ab ea, quam usu receptam habemus et comprobatam.

Neque istis licet vocem unionis substantialis retinere. Illa enim unio est substantialis, ex qua una prodit substantia sive realitas. Complures enim realitates manentes complures, nihil inter se communicare possunt, nisi „modum“, activitatem, motum localem.

220. *Coroll. 6.* Quum organismus dicitur esse „ens“, voce entis non solum oppositio ad nihilum significatur, sed ens completum sive simpliciter, vel unius activitatis principium completum.

Coroll. 7. Ergo materia, quae in organismo vivo inest, non est ens simpliciter, sed entis completi initia, vel „potentia ad Esse substantiale“ [2]. Et haec quidem materia, quae anima completur et determinatur ad ens unum completum constituendum, nominatur prima; quo nomine distinguitur a materia secunda, quae est ipsum substantiale compositum, quatenus idoneum est, quod accidentia in se suscipiat.

Itaque voce „materiae primae“ relativum quiddam significatur. Sicut materia secunda se habet ad formas accidentales vel artificiales, simili ratione materia prima se habet ad formas substantiales. Est autem inter philosophos controversia, utrum anima in organismo coniungatur cum materia absolute prima, i. e. cum materia, quae omni plane determinatione careat, an cum materia relative prima, i. e. materia, quae aliquas determinationes substantiales sub informante anima retineat [3].

Coroll. 8. Ergo anima est forma substantialis non solum compositi, cuius pars est, sed etiam ipsius, quam informat, materiae, quacum Esse suum communicat.

---

[1] Suar., Disp. metaph. disp. 15, sect. 6, n. 7.

[2] S. Thomas in l. 1 phys. lect. 15: *ἐγγὺς καὶ οὐσία πως* (prope et quodammodo substantia). Arist. l. 1 phys. c. 9, 192a, 6.

[3] De distinctione inter materiam absolute primam (*ὅλως πρώτην*) et relative primam (*πρὸς αὐτὸ πρώτην*) cfr. Phil. nat. n. 213. Arist. in l. 4 metaph. c. 4, 1015a, 7. S. Thomas in l. 8 metaph. lect. 4.

Quod si quaeratur, quidnam illud Esse sit, quod anima cum corpore communicat, distinguere oportet inter gradum intelligendi, sentiendi, vivendi, essendi.

Certum imprimis est animam humanam non communicare cum corpore gradum intellectualem. „Est quidem anima forma corporis secundum essentiam animae intellectualis; non tamen secundum operationem intellectualem.“ [1] De qua re postea plura disputanda erunt. „Quamvis sit unum Esse formae et materiae, non tamen oportet, quod materia semper adaequet Esse formae; immo quanto forma est nobilior, tanto in suo Esse superexcedit materiam.“ [2]

Deinde certum est animam communicare cum corpore omnem vitam sensitivam et vegetativam, id quod argumentis supra propositis perspicitur.

Tertio certum est animam communicare cum corpore ipsum etiam Esse viventis, atque esse rationem immediate, cur ipsum corpus vivat. Ex quo confirmatur, corpus, quod sit in organismo vivente, in se solo non esse ens simpliciter, sive ens completum, sed hanc completionis vel perfectionis rationem habere ab anima. Atque etiam illud sequitur, corpus vivum specie differre a corpore mortuo [3].

Sed quarto certum quoque est corpus non habere ab anima Esse illud inchoatum sive actum illum incompletum, qui ipsi materiae secundum se convenit. Si enim materia suum ipsius Esse a forma haberet, ad formae ortum vel absentiam ipsa oriri et interire deberet; neque de unione animae cum corpore dici posset; neque organismus ens compositum dici posset; neque sana mente affirmari posset eandem numero materiam variis per decursum temporis formis informari posse.

Quinto, quod restat, controversia est, habeatne materia, quae est in ente vivente, etiam suas determinationes chemicas physicasque ab anima, locum formarum naturalium, quae abierint, supplente. Affirmant, qui cum S. Thoma negant formas ipsas elementares in composito manere. . . . Negant vero, qui illas formas manere affirmant, sive manere dicuntur formaliter ut formae, id quod nonnullis Scotistis placet; sive realiter tantum, id quod voluit Aristoteles et Albertus Magnus, et modum cogitandi si spectes (non modum dicendi), alii paene multi omni tempore.

221. *Coroll. 9.* Ergo diversitas, qua organa singula inter se separantur, non obstat, ne organismus totus putetur esse ens per se unum.

Distinguunt organizationem accidentalem et substantialem. Accidentalis in variis dispositionibus consistit exsistentibus in variis materiae organicae partibus. Substantialis in eo est, ut organum sit vivificatum et informatum ab anima. Diversitas inter organa ea est, ut partes animalis, velut *oculus, manus, caro, os*, non sint diversarum specierum, sed diversarum dispositionum, ita tamen, ut partes sint inter se diversae substantialiter sive in specie incompleta, quia diverso modo informantur ab anima. Anima „quamvis sit una secundum essentiam, tamen propter sui perfectionem est multiplex in virtute; et ideo ad di-

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 9 ad 11.

[2] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 68, et Quaest. disp. q. de an. a. 10.

[3] Arist. l. 1 de an. c. 4, 408 a, 24; l. 1 de part. animal. c. 1, 640 b, 33.

versas operationes indiget diversis dispositionibus in partibus corporis, cui unitur. Et propter hoc videmus, quod maior est diversitas partium in animalibus perfectis, quam in imperfectis, et in his, quam in plantis." [1]

Coroll. 10. Errant qui nomine animae significari volunt totum hominem, totum animal, totum organismum.

Nam praeter animam inest in essentia viventis etiam ipsa materia. Et illud est unaquaeque res, quod operatur omnes operationes illius rei; Operari enim sequitur ad Esse. Illud igitur est homo, quod operatur omnes hominis operationes, i. e. operationes omnes, quae homini attribuuntur. Sed Sentire, Vivere non sunt operationes animae solius, sed totius coniuncti. Ex quo manifestum est, quod homo non est anima tantum, sed aliquid compositum ex anima et corpore. Plato vero ponens sentire esse proprium animae, ponere potuit, quod homo esset anima utens corpore [2].

Coroll. 11. Errant ex Scotistis illi, qui dicunt hominem vel organismum esse rem, quae quidem ex naturae necessitate habeat in se materiam et principium formale, esse tamen rem tertiam ab his duobus principiis realiter distinctam.

Effectus, inquiunt, a causa productus, ab hac causa re distinctus esse debet. Sed confundunt illi causas externas et causas internas (Phil. nat. n. 241).

Coroll. 12. Ergo nomen principii vitalis competit primo et per se animae ut formae substantiali.

Concedendum certe est inesse in corporibus viventibus speciales quasdam materiae dispositiones, cellularum constructiones, specialem statum solido-liquidum, peculiarem organizationem, varias potentias vitales, quibus adhibitis efficiantur actus vitales, reperiri quoque in viventibus speciales processus chemicos et physicos. Concedendum quoque est haec omnia secundario vitalia principia vocari posse. Sed hoc nomen primo et per se competit ipsi animae.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 5 ad 3. „Anima singulis partibus dat Esse substantiale secundum illum modum, qui competit operationi ipsarum." Unde „remota anima non remanet neque caro neque oculus nisi aequivoce" (Quaest. disp. q. de an. a 9). „Totum corpus et omnes eius partes habent Esse substantiale et specificum per animam. . . . Anima, quum sit forma altioris et maioris virtutis, potest esse principium diversarum operationum, ad quarum exsecutionem requiruntur dissimilares partes corporis. Et ideo omnis anima requirit diversitatem organorum in partibus corporis, cuius est actus. . . . Sic ergo anima perficit suam materiam difformiter, ut ex dissimilibus partibus constituatur integritas corporis, cuius primo et per se anima est actus" (Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 4). „Caro mea cum carne tua magis conveniunt secundum rationem speciei, quam caro mea cum osse meo; sed secundum analogiam ad totum est e converso. Nam caro mea et os meum possunt ordinari ad unum totum constituendum, non autem caro mea et caro tua" (ibid. ad 14). Cfr. Suar. l. 1 de an. c. 2.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 4. Cfr. Phil. nat. n. 236.

Id vitam cognoscitivam quod attinet, satis evidens est; sed etiam respectu vitae vegetativae affirmandum est.

Prob. 1°. Causa omnium phaenomenorum vegetativorum inde trahitur, quod viribus physicis chemicisque tendentia immanens inest oriunda ex principio, quod subest, directivo et determinante, quo vires intrinsecus elevantur. Scimus enim vitam vegetativam in eo esse, ut functiones ipsae physicae et chemicae irrequieto motu intestino, quo elementa materialia per processum assimilationis et excretionis iugiter adveniunt transeuntque, conspirent ad typum organismi constantem, fixum, immutabilem evolvendum, conservandum, producendum idque constanter, licet fiat iugis elementorum renovatio, — imperturbate, licet ipsum virium temperamentum turbatum sit. Itaque in viventibus apparet tendentia nova et altior versans in elementis materialibus, hinc fundus novus substantialis.

Vel aliis verbis: Vires physicae et chemicae sub dominio principii formalis altioris cum ipsis viribus in uno eodemque ente sitae omnino proportionatae sunt effectibus altioribus: producendis substantiis organicis, formandis texturis heterogeneis et quam maxime complexis, efficiendo cuidam temperamento physico et chemico, quod fortius appareat quam in anorganicis. A forma igitur elevantur vires ad rationem virium plasticarum, i. e. redduntur proportionatae ad artificiosissimas texturas organicas producendas. Principium enim illud, tanquam artifex instrumenta sua, vires gubernat easque certo ordine adhibet ad finem, ad quem ex se inclinatur. Nec ullum ad id aliud principium effectivum supplens requiritur.

Prob. 2°. In illo primo et per se reperies rationem principii vitalis, quod omnibus, quae in rebus viventibus insunt, indolem propriam imprimit et a quo haec omnia dependent. Atqui hoc de forma substantiali viventibus propria arbitrandum est. Nam forma substantialis gerit se ut superius, prius, dominans: 1°. respectu materiae, quae continuo mutatur perdurante vita; 2°. respectu qualitatum corporearum, quae organismo advenientes per cibum vel respirationem, effectus producunt, qui in nullis aliis rebus occurrunt; 3°. respectu temperamenti qualitatum, quod propter animam adducitur, conservatur, turbatum restauratur; 4°. respectu dispositionis organicae, id quod apertissime in embryone apparet, in quo ex dispositione simplicissima non solum evolvitur cellula cellularumque ingens multitudo, sed etiam totus ille organismus, quem diversitate incredibili distinctum esse scimus; 5°. respectu potentiarum vitalium, quibus adhibitis efficiuntur novae partes vivae propter tendentiam substantiae, cui insunt.

222. *Coroll. 13.* Ergo anima immediate unitur corpori, neque ullum est medium, quo interveniente anima corpori uniatur; neque phantasmata, quod voluit Averrhoes, nec animae potentiae, quod dixerunt alii, neque spiritus corporalis, id quod placuit aliis.

Si anima uniretur corpori solum ut motor, nihil prohiberet, immo magis esset necessarium, ut sint aliquae dispositiones mediae inter animam et corpus: ex parte animae potentia, qua moveret corpus, et aliqua ex partibus corporis habilitas, qua corpus disponeretur, ut ab anima moveri posset. Et reapse ita est medium inter animam et corpus, quia in motu, quo anima movet corpus, est quidam ordo mobilium et motorum; anima enim omnes operationes suas suis efficit potentiis; quam ob rem anima intervenientibus potentiis movet corpus, et interveniente spiritu corporali movet membra, et unum organum movet interveniente organo alio. Et non solum in movendo, sed etiam in via generationis est quid medium inter corpus et animam. Nam in hac via dispositiones ad formam praecedunt in materia formam ipsam, quamquam in essendo posteriores sunt. Quam ob rem dispositiones illae corporis, quibus corpus fit proprium perfectibile animae, hoc modo mediae inter animam et corpus dici possunt.

Verum hoc loco de ordine essendi agitur. In hoc autem ordine nihil, quod medium sit inter animam et corpus, locum habet. Nam corpus habet Esse in actu propter formam substantialem, quae facit Esse simpliciter. Id autem forma substantialis facere non potest interveniente alio, sed immediate facere debet se ipsa, se ipsam communicando corpori intrinsecus in substantiam unam[1].

Coroll. 14. Ergo spiritus vitalis vel corporeus (*πνεῦμα*), de quo multa leguntur apud philosophos graecos atque etiam Aristotelicos, non est medius inter animam et corpus, sed quocunque modo intelligitur, certe tamen ad ipsum corpus pertinet[2].

Sub philosophiae initiis iam aëri moto vel spiritui in vitae negotio plurimum tribuebatur. Ita apud Heraclitum, Anaximenem, Pythagoreos, Hippocratem[3]. Etiam Aristoteles non semel de istis spiritibus praecepit, atque

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 6; Summa c. gent. l. 2, c. 71; Quaest. disp. q. de an. a. 9; q. de spirit. creat. a. 3.

[2] Errat Siebeck: „Das Pneuma wird in der ganzen wissenschaftlichen Welt des Alterthums ... anerkannt als ein unläugbar vorhandenes Mittelglied zwischen der sinnlich- materiellen und der geistigen Natur“ (Geschichte der Psychologie I, 2, p. 132).

[3] Sententiarum varietatem breviter comprehendit Volkmann (Lehrbuch der Psychologie I, 88): „Wir begegnen den spiritus animales im Zusammenhange mit der quinta essentia der Aristotelischen Physik bereits bei den Stoikern, dann bei Galen, den Neoplatonikern, den Kirchenvätern, den Aristotelikern des spätern Mittelalters.... Mit Baco (Nov. organ. II, 7) und Descartes beginnt die Blüthezeit der Nervengeister. Bei Descartes sind die

eos cum calore vitali coniunctos esse dixit. Non tamen clare explicavit, quidnam ea voce intellexerit. Posteriore tempore apud medicos ea omnia a spiritibus vitalibus repetebantur, quorum causa ignota erat. Inter Aristotelicos erant, qui dicerent spiritus istos esse subtiliores illas et invisibiles corporis partes, quae essent proprium subiectum vitae sensitivae [1]. Dicit Aquinas: „Nomen spiritus in rebus corporeis impulsionem quandam et motionem significare videtur." [2] „Spiritus importat quandam vim motivam." [3] „Nomen spiritus a respiratione animalium sumptum videtur, in qua aër cum quodam motu infertur et emittitur: unde nomen spiritus ad omnem impulsum et motum cuiuscunque aërei corporis trahitur; et sic ventus dicitur spiritus. Sic etiam vapor tenuis diffusus per membra ad eorum motus spiritus vocatur. . . . Rursus, quia aër invisibilis est, translatum est ulterius spiritus nomen ad omnes virtutes et substantias invisibiles et motivas." [4]

Dicit Suarez [5] Galenum sequens, „spiritus esse instar exhalationum calore cordis ex purissimo sanguine prodeuntium, darique in vehiculum, quo deferri citissime possit calor naturalis ac virtus principalium membrorum ad reliquas partes corporis, quam certe diffusionem caloris citissime fieri experimur. Porro spiritus ab Aristotele ponitur unius tantum modi. . . . Alii tria genera spirituum distinguunt, nempe vitales, animales et naturales. Verum naturales spiritus superflue ponuntur."

Coroll. 15. Ergo „modus" unionis, qui in organismo admittitur (Log. n. 1290. Phil. nat. n. 242), nulla ratione est medium, quo anima cum corpore unitur, sed est affectio dumtaxat partium, qua partes tanquam unitae formaliter distinguuntur a partibus non unitis. Atque ita modus unionis dicitur esse ultima et formalis determinatio, sub qua extrema uniuntur.

223. *Coroll. 16.* Ortum principii vitalis quod attinet, omnia, quae in hac re sunt apud philosophos, systemata, ad duo

---

Lebensgeister feine bewegliche Bluttheilchen, die, von der Herzwärme verdünnt, in Menge dem Gehirn zuströmen, und dort angelangt, zwischen den Hirneindrücken und der Zirbeldrüse vermitteln. . . . Aus der Mechanik derselben erklärte Descartes auch die Empfindung, das Gedächtniss, die Einbildungskraft, die sinnlichen Begierden und Leidenschaften, und die willkürlichen Bewegungen. Ihre weitere Ausführung erhielt die Theorie durch Cartesianer (Malebranche) und Sensualisten (Hobbes, Hartley). In Deutschland fand sie an Platner einen warmen Vertreter; derselbe erblickt im Nervengeiste einen Theil des allgemeinen, durch die ganze Natur verbreiteten Lebensgeistes, der das Monopol besitzt, von der Seele unmittelbar gefühlt und bewegt zu werden. Platner unterscheidet einen geistigen und thierischen Nervengeist." Alii (inter quos Berger, Troxler) hos spiritus nerveos ad explicanda phaenomena psychica in auxilium vocaverunt.

[1] Cfr. Themistium I, 253 sqq. [2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 36, a. 1.
[3] Ibid. ad 3. [4] S. Thomas, Summa c. gent. l. 4, c. 23.
[5] L. 3 de an. c. 13, n. 8.

reduci possunt: ad systema epigenesis propositum ab Aristotelicis; et ad systema praeexsistentiae propositum ab Anaxagora, a Platonicis, a quibusdam physiologis recentioris aetatis.

Secundum systema epigenesis[1] unum quodque principium vitale in individuo cooritur, quum oritur compositum, idque eo modo, ut in speciebus viventium nobilioribus sit quaedam evolutio sive ascensus per plures saltus praeruptis intervallis procedens. Et putantur quidem animae (si animam rationalem excipias) oriri per eductionem (Phil. nat. n. 195)[2].

Qui systema praeexsistentiae sequuntur, animas non fieri, sed ab initiis actu fuisse putant atque alias post alias ex capsulis atque capsellis promi.

Ad systema praeexsistentiae reducitur systema involutionis propositum ab A. Haller[3], L. Spalanzani, Io. Frid. Blumenbach (priore tempore)[4], Harvey, C. F. Wolff (1759).

Kant distinxit systema praeformationis genericae sive theoriam epigenesis vel theoriam productionis (id ipsum vocans productionem, quod Aristotelici vocabant eductionem) et systema praeformationis individualis sive theoriam evolutionis[5] vel theoriam eductionis (hanc vocem ex notione metaphorica in usu posita ad notionem litteralem novam et inusitatam traducens)[6].

Et recte quidem haec theoria praeexsistentiae sive involutionis reiecta est. Per experientiam enim constat unumquodque individuum novum aut per excrescentis individui scissionem, aut interveniente gemma, aut spora, aut per generationem digenam ab ovulis fecundatis ortum ducere (n. 53). Quum vero generatio novorum individuorum sine imminutione virium in indefinitum continuetur neque ullis circumscribatur limitibus, ponere non licet animas omnes in germinibus primis perfectas fuisse atque inclusas.

Coroll. 17. Ex dictis intelligitur, admodum obscuram esse quaestionem illam, qua quaeritur, quid de organismo mortuo

[1] Arist. l. 2 de generat. anim. c. 1. [2] Idem l. 11 (12) met., c. 3, 1070 a.

[3] Elementa physiologiae VIII, 143—151.

[4] Posteriore tempore secutus est Blumenbach systema epigenesis; sed epigenesim non intellexit ortum principii substantialis, sed cuiusdam nisus specialis, quem „nisum formativum“ nuncupavit (Ueber den Bildungstrieb. Göttingen 1789).

[5] Vel melius involutionis, Einschachtelungstheorie.

[6] Cfr. Kritik der Urtheilskraft IV, 317—320.

vel cadavere quoad informationem putandum sit. Ex magna opinationum varietate haec paucis indicare satis sit.

Illi, qui censent in substantia organismi vivi nihil inesse praeter materiam absolute primam (Phil. nat. n. 214) et formam substantialem, putant in interitu organismi propter discessum vel desitionem animae oriri formas novas.

In quibus assignandis in duas abeunt sententias. Alii dicunt oriri formas cadaveri proprias — cadavericas vocant —, quae ex natura sua ad id tendant, ut cadaver per alias transitiones resolvatur in elementa chemica. Secundum quos aliqua analogia inter generationem et corruptionem statuitur. „Manifestum est in generatione compositorum, puta animalis, quod inter primum principium generationis, quod est in semine, et ultimam formam animalis completam sint multae generationes mediae, quae necessario terminantur ad aliquas formas, quarum nulla facit ens completum secundum speciem, sed ens incompletum, quod est via ad speciem aliquam. Similiter autem ex parte corruptionis sunt multae formae mediae, quae sunt formae incompletae; non enim separata anima corpus animalis statim resolvitur in elementa, sed hoc fit per multas corruptiones, succedentibus in materia sibi multis formis imperfectis, sicut et postea putrefacti“ [1]. — Alii, quum non reperiant in organismo emortuo specialem in resolutiones tendentiam, quae a tendentia corporum chemice compositorum diversa sit, negant oriri formas cadavericas, affirmant vero oriri formas rerum chemice mixtarum vel etiam elementorum chemicorum.

Nunc illi audiendi sunt, qui censent in substantia organismi vivi praeter formam substantialem inesse materiam, quae relative tantum prima sit. Qui iterum in duas abeunt sententias.

Alii dicunt fieri posse, ut in una re multae formae substantiales reperiantur; hinc praeter animam reperiri in organismo formas rerum anorganicarum animae subordinatas. Hanc sententiam refutatam habemus (Phil. nat. n. 224). Alii autem, quamvis formas in una re multas omnino reiciant, admittunt tamen in materia determinationes multas substantiales esse posse. Hos si audis, nullae in organismo vivo, velut homine, praeter animam formae sunt. Sed sunt certae quaedam determinationes substantiales, dirigente intrinsecus anima, introductae, quae sint formaliter causa, ob quam *carnes* sint carnes, et *ossa* sint ossa, et ita deinceps. Quae tamen non sunt formae. Ut enim aliqua determinatio substantialis rationem formae habeat, non est satis, ut utcunque materiam determinet, sed requiritur, ut id faciat ultimo et concludendo et rem in suo Esse actuali absolute constituendo. Id tantum semel in ente fieri potest. Unde dicendum, nullam aliam formam substantialem esse in homine, nisi solam animam intellectivam.

Dispositiones illae organicae ab anima introducuntur et ab actibus vitae organicae sequentibus supponuntur, atque hae quidem manent in materia recedente anima; et quia post recessum animae id sunt, quo ultimo res in Esse suo actuatur et absolvitur, rationem formarum materialium accipiunt.

---

[1] S. Thomas in l. 1 de gen. lect. 8.

Quaeritur tertio:

sitne anima ab Aristotele recte definita.

224. Introducitur quaestio. Proprios animae effectus complectens Aristoteles animam dixit esse principium primum, quo vivamus, sentiamus, moveamur, intelligamus. Quum vero propriam animae naturam ipsam exprimere vellet, animam dixit esse actum primum corporis naturalis organici potestate vitam habentis [1].

Rationes dubitandi. Videtur haec definitio omittenda esse. Nam (1.) quoniam ea vera est definitio, quae non in ipsa rei essentia describenda acquiescit, sed in ipsas causas descendit, animae definitio ipsis vitalibus facultatibus vel functionibus certius est exprimenda.

(2.) Definitione hac iubemur cognoscere id quod sit anima, inde quod sit corpus organicum potentia vitam habens; itaque cognitionem entis actualis trahere ex cognitione entis potentialis: id quod videtur esse contra sanam philosophandi rationem.

(3.) Unius rei una est definitio, sed anima clare definita est, ut sit principium, quo vivimus, sentimus, intelligimus [2]. Huic igitur definitioni soli adhaerendum est.

225. Dico: Definitio ab Aristotele proposita satis apta esse videtur.

Dicitur 1° actus, quia anima est perfectio sive forma, qua corpus in ratione substantiae actuatur vel completur absolute atque perficitur.

Dicitur 2° actus primus, ut distinguatur anima ab omnibus accidentibus, sive propriis sive contingentibus, qui vocantur actus secundi, quia accedunt ad rem in Esse substantiali perfecte constitutam.

Dicitur 3° actus primus corporis, qua voce intelligi potest materia, cui anima ut actus substantialis unitur, et cuius actus informativus est ipsa anima.

---

[1] *Ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. ἡ δ' οὐσία ἐντελέχεια. τοιούτου ἄρα σώματος ἐντελέχεια ... διὸ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος* (l. 2 de an. c. 1, 412 a, 19—28). Die Seele ist die erste vollendete Wirklichkeit eines dem Vermögen nach lebenden organischen Naturkörpers. Vel sic: die erste Entelechie des in Möglichkeit lebenden organischen Naturkörpers. (Cfr. Arist. l. c. 414 a, 4; l. 6 metaphys. c. 10, 1035 b, 14.)

[2] *Ἡ ψυχὴ δὲ τοῦτο, ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα καὶ διανοούμεθα πρώτως* (Arist. l. 2 de an. c. 2).

Vel etiam voce corporis intelligi potest ipsum compositum ex anima et materia constitutum, quatenus potestate habet vitam secundam; at hoc modo anima non est actus informativus, sed constitutivus [1].

Dicitur 4° actus primus corporis naturalis, quae vox non est necessaria, tamen additur claritatis gratia, ut corpus, de quo dicitur, distinguatur a mathematico et artificiali.

Dicitur 5° actus corporis organici, i. e. corporis naturalis, quod est complexus organorum sive mediorum, quae ad certum finem sunt idonea; anima enim non corpus qualecunque informat, sed corpus, quod ad certas operationes dispositum est.

Dicitur 6° actus corporis organici potestate vitam habentis, ut hoc modo indicetur certam illam organizationem sive mediorum dispositionem referri ad vitam.

Vita intelligitur vita in actu primo. Vel etiam intelligi potest vita in actu secundo, ad quam compositum totum ex anima et materia constitutum est in potentia.

Id ipsum *aliis verbis* ab Aquinate est dictum: „Dicitur primo ex parte animae, quod est actus, quia illud est actus, quo materia, quae est ens in potentia, fit actu, et ex quo et materia constituitur compositum, quod est ens actu. Anima autem est huiusmodi. Quum enim anima sit substantia — ut per se manifestum est, quia substantia non componitur ex non-substantiis; componitur autem substantia animata ex anima et corpore — et substantia sit triplex, materia, forma et compositum ex utraque: oportet, quod anima sit una ex his tribus substantiis. Constat autem, quod non potest esse materia, quia, quum per animam intelligamus id, quo habens vitam vivit, sequitur, quod anima intelligatur sicut aliquid in subiecto exsistens; corpus autem vel materia, quae recipit vitam, magis est sicut subiectum quam sicut aliquid in subiecto exsistens. Manifestum etiam est, quod non potest esse ipsum compositum ex materia et forma, quia hoc est totum quoddam, anima autem est pars huius totius. Necesse igitur est, quod anima sit forma substantialis; forma autem substantialis est entelechia, id est actus materiae faciens illam in actu esse.

„Dicitur secundo actus primus; primo, quia anima est actus sicut scientia, scientia autem est actus primus mentis; comparatur enim habitus scientiae ad considerationem sicut potentia ad actum. Potentia autem, licet absolute sit posterior actu, in uno tamen et eodem est prior actu, nam aliquid est primo in potentia, et postea fit actu. Quare et anima erit actus primus ad distinctionem actus secundi, qui est operatio. — Secundo, dicitur anima actus primus, ut distinguatur a formis elementorum, quae semper habent suam actionem, nisi impediantur.

„Dicitur tertio corporis, quia anima non est actus materiae purae, quia Esse animatum praesupponit Esse corporeum, sed est actus compositi ex

[1] S. Thomas in l. 2 de an. lect. 2. Suar. l. 1 de an. c. 2, n. 25.

materia et Esse corporeo. Quod tamen non ita intelligendum, quasi corpus, quod est materia animae, sit constitutum per unam formam, quae faciat ipsum esse corpus, et superveniat ei anima faciens ipsum esse corpus vivum; sed quia ab anima est, et quod sit, et quod corpus sit, et quod sit corpus vivum. Quum enim in eodem non possint esse plures formae substantiales, per eandem formam substantialem individuum habet, quod sit substantia, et quod sit corpus, et tale corpus. Verum hoc quod est esse corpus, quia est quid imperfectius, est quid materiale respectu vitae, et habet rationem potentiae respectu illius.

„Dicitur quarto physici, quia, quum corpus animatum sit corpus naturale, necesse est, quod eius partes sint natura, et consequenter ad physicum spectent.

„Dicitur quinto organici, quia anima est actus corporis in potentia vitam habentis; tale autem est corpus organicum, diversitatem scilicet organorum habens. Diversitas enim organorum est necessaria in corpore suscipiente vitam propter diversas operationes animae. Anima enim quum sit perfectissima inter formas rerum corporalium, est principium diversarum operationum; et ideo requirit diversitatem organorum in suo perfectibili. Formae vero rerum inanimatarum propter sui imperfectionem sunt principia paucarum operationum; unde non exigunt diversitatem organorum in suis operationibus. Inter animas autem, quia animae plantarum sunt imperfectiores, ideo in illis minor est diversitas organorum quam in animalibus.“ [1]

226. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Ad definitionem bonam satis est, ut exprimatur essentia. Tum solum addi solet proprietas princeps, quum essentia ipsa satis clare exprimi non potest. Quum essentia animae utpote formae substantialis ordinetur ad constituendum totum substantiale vivens, si definitur respectu totius, definitur satis.

(Ad 2.) Clarius cognoscimus, quid sit corpus organicum, quam quid sit anima. Inde igitur proficiscimur investigaturi, quid sit anima.

(Ad 3.) „Quia eiusdem rei possunt esse plures causae: materialis, formalis, efficiens, finalis, ideo eiusdem rei possunt esse plures definitiones sumptae ex diversis causis: et una potest esse demonstrationis principium atque adeo medium, alia vero potest esse sicut conclusio demonstrationis. — Et hoc quidem verum est in omnibus artificiatis, quae sunt propter finem. Quum enim causae ad invicem ordinem habeant, ex una sumitur ratio alterius. Et quia ex forma sumitur ratio materiae (talem enim oportet esse materiam, qualem forma requirit): efficiens autem est ratio formae (quia enim agens agit simile sibi, oportet quod secundum modum agentis sit etiam modus formae, quae ex actione consequitur); ex fine autem sumitur ratio efficientis (nam omne agens agit propter finem): — ideo oportet quod definitio, quae sumitur a fine, sit ratio et causa probativa aliarum definitionum, quae sumuntur ex aliis causis. Ut si definienda sit *domus*, definitio illius sumpta ex causa finali erit ratio definitionis per causam materialem, et medium probans eam; propter hoc enim oportet, ut domus fiat ex lapidibus et lignis, quia est operimentum protegens nos a frigore et aestu. Definitio enim haec: domus est cooperimentum constitutum ex lapidibus, caemento et lignis, est ex causa materiali; haec

[1] S. Thomas in l. 2 de an. lect. 1. 2.

autem: domus est operimentum prohibens nos a pluvia, frigore, calore, est ex causa finali; et si utraque coniungatur, erit demonstratio positione differens, sic: omne operimentum prohibens nos a pluvia, frigore et calore, oportet quod sit constitutum ex lapidibus, caemento et lignis; domus est huiusmodi.

„In naturalibus autem, quae non sunt facta per se primo propter finem, ut artificialia, illa definitio est principium demonstrandi, quae secundum nos notificat et probat definitionem, quae est sicut conclusio demonstrationis. Quum enim omnis demonstratio adducatur causa notificandi aliud, necesse est, quod omnis demonstratio procedat ex notioribus quoad nos, quibus per demonstrationem fit aliquid notum. In quibusdam autem eadem sunt notiora quoad nos et secundum naturam, sicut in mathematicis, quae sunt a materia abstracta: et in his demonstratio procedit ex notioribus simpliciter et notioribus secundum naturam, scilicet ex causis in effectus; unde dicitur demonstratio propter quid. In quibusdam vero non sunt eadem magis nota simpliciter et quoad nos, ut in naturalibus, in quibus plerumque effectus sensibiles sunt magis noti suis causis. Et ideo in naturalibus ut plurimum proceditur ab his, quae sunt minus nota secundum naturam et magis nota quoad nos.

„Quoniam igitur magis notum est nobis, quod anima sit principium vivendi, sentiendi et intelligendi, quam quod sit actus corporis, atque adeo illius causa formalis: ideo ab effectu animae definiri potest anima, et per illum tamquam per quid notius potest demonstrari definitio formalis animae sic: Quod est primum principium vivendi, est actus et forma corporis viventis. Manifestum autem est, quod haec demonstratio est a posteriori; ex eo enim quod anima est forma corporis viventis, est principium operum vitae, non e contra.“ [1]

Illa igitur definitio potius initialis est; haec, de qua agitur, est finalis (terminalis) (Log. n. 143).

227. **Solvuntur quae restant dubia.** *Dicunt 1°*: Si anima est forma corporis, oportet, ut cuiuslibet animae et corporis sit unum Esse. Nam ex materia et forma fit unum secundum Esse; sed animae humanae et corporis non potest esse unum Esse, quum sint diversorum generum: anima enim est in genere substantiae incorporeae, corpus vero corporeae. Ergo anima non potest esse actus et forma corporis. — *Resp.:* „Necesse est, si anima est forma corporis, sit unum commune Esse, quod est Esse compositi. Neque hoc impeditur per hoc, quod anima et corpus sint diversorum generum; nam neque anima neque corpus sunt in specie vel genere, nisi per reductionem, sicut partes reducuntur ad speciem vel genus totius.“ [2]

Dicunt 2°: Praeterea substantia spiritualis, quae est intellectus, nullius corporis est actus; sed quaedam anima est substantia spiritualis, ut est anima rationalis: ergo male definitur anima in communi, quod sit actus et forma corporis. — *Resp.:* „Ultima formarum naturalium, ad quam terminatur consideratio philosophi naturalis, quae est anima humana, est quidem separata, sed tamen in materia: separata quidem secundum virtutem intellectivam, quia virtus intellectiva non est virtus alicuius organi corporalis, sicut virtus visiva

---

[1] S. Thomas in l. 1 anal. post. lect. 4. 16; in l. 2 de an. lect. 3. 4; 2, dist. 9, q. 1, a. 1 ad 1.

[2] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 1 ad 13.

est actus oculi, — sed est in materia, in quantum ipsa anima, cuius est haec virtus, est corporis forma et terminus generationis humanae." [1]

Dicunt 3°: Si anima est actus corporis organici, hoc, quod comparatur ad animam ut materia ad formam et actum, est corpus physicum organicum, quod non potest esse nisi per aliquam formam substantialem, per quam est corpus; et ita quodlibet corpus animatum habebit Esse a forma, distinctum ab Esse tributo ei ab anima: et ita erunt in uno et eodem duae formae substantiales; quod est impossibile. — *Resp.:* „Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed esse actum corporis physici organici potentia vitam habentis; et quod talis potentia non abicit animam. Unde manifestum est, quod in eo, cuius anima dicitur actus, etiam anima includitur eo modo loquendo, quo *calor* est actus calidi, et *lumen* est actus lucidi: non quod seorsum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem. Et similiter dicitur, quod anima est actus corporis, quia per animam et est corpus, et est organicum, et potentia vitam habens. Sed actus primus dicitur respectu actus secundi, qui est operatio. Talis enim potentia non est abiciens, id est excludens animam. Propterea vero philosophus in definitione animae ponit corpus involvens animam: quia aliquando in definitione formae subiectum ponitur informe, sicut quum dicitur: motus est actus exsistentis in potentia; — aliquando vero ponitur subiectum formatum, sicut quum dicitur: motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi; et hoc modo dicitur anima actus corporis organici, quia anima facit ipsum corpus esse organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum." [2]

Dicunt 4°: Compositum non ponitur in definitione animae, sed materia; sed corpus est quoddam compositum; per formam enim substantialem, sicut individuum est hoc aliquid et substantia, ita per eandem est corpus. Ergo male definitur anima, quod sit actus corporis. — *Resp.:* „Non ponitur in definitione animae compositum animatum ut sic, sed compositum ex anima in quantum est forma corporea. Nam anima quum sit forma substantialis dans Esse substantiale corporeum animatum, si consideretur in quantum est forma substantialis absolute et simpliciter, seu in quantum dat Esse substantiale: tantum respicit materiam et soli materiae advenit et per illam definitur. Si vero consideretur, in quantum dat Esse posterius, puta animatum, supponit se ipsam in materia, secundum quod dat Esse prius, puta corporeum; et per consequens definitur per corpus, et illud tanquam proportionatum subiectum respicit. Neque tamen dicendum est, quod anima adveniat viventi actu, quia non advenit materiae, vel corpori facto in actu per aliam formam, sed per se ipsam secundum aliam sui considerationem." [3]

228. Corollaria. *Coroll. 1.* Ex supra explicatis facile iudicatur, quae animae definitiones reiciendae sint [4].

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 2 ad 13.

[2] Id. S. theol. 1, q. 76, a. 4 ad 1; Quaest. disp. q. de anima a. 1 ad 15.

[3] Id. in l. 2 de an. lect. 1. 2; Opusc. 32, c. 8; Opusc. 28, c. 4.

[4] Casmannus definit animam: naturam incorpoream, quae per se etiam seorsum substantialiterque subsistere potest. Ex recentioribus fere unusquisque specialem definitionem proponit. A Volkmann definitur anima, ut sit subiectum simplex repraesentationum, quod concipitur ut coniunctum cum aliis

Coroll. 2. Ergo anima recte dicitur esse organismi causa. Et ea est causa, quatenus ea est forma, qua viventis natura continetur; quatenus finis est, ad quem corporis et instrumenta et actiones referuntur; quatenus est causa efficiens, a qua motus sive eundi sive crescendi sive cognoscendi proficiscitur [1].

Quaeritur quarto:

sitne anima in qualibet parte corporis.

229. **Introducitur quaestio.** Cum quaestione, quae est de natura animae, omnino ea cohaeret, qua quaeritur, quae sit animae sedes. Et ii quidem, qui animam corpus quoddam esse dixerunt vel nescio quam substantiam completam, non dubitaverunt, certam corporis organici partem ut sedem animae circumscribere. Quorum aliqui in corde, alii in sanguine, alii in cerebro dixerunt animae sedem esse et locum. Id de antiquis refert Tullius [2].

Apud Hebraeos sanguis sedes animae esse putabatur, ita tamen, ut functiones vitales ascriberentur singulis corporis partibus. Gentium veterum permultae distinxerunt sedes varias secundum functionum varietatem. Pythagoreos *νοῦν* in cerebro, *θυμόν* in corde collocasse scimus (vel etiam *νοῦν*, *αἴσθησιν*, *ῥίζωσιν*, *γένεσιν* in iis corporis partibus, quae singulis functionibus responderent); Hippocrates in cerebro posuit animam; Plato in tribus partibus, quas novimus.

Aristoteles Platonis de tribus animabus sententiam reiecit. Is quum distinxisset animam, ut est forma corporis, et animam, ut est motor corporis, animam ut motorem posuit in corde [3]; animam ut formam integro corpori praesentem esse voluit. Sed

---

entibus simplicibus (l. c. I, 70). Dicit Herbart: „Die Seele ist das einfache Wesen, dessen Selbsterhaltungen Vorstellungen sind“ (Opp. V, 108 sqq.). Generatim prout falsa doctrina est, etiam falsa definitio est.

[1] *Ὁμοίως δ' ἡ ψυχὴ κατὰ τοὺς διωρισμένους τρόπους τρεῖς αἰτία· καὶ γὰρ ὅθεν ἡ κίνησις αὐτή, καὶ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς ἡ οὐσία τῶν ἐμψύχων σωμάτων ἡ ψυχὴ αἰτία· ὅτι μὲν οὖν ὡς οὐσία, δῆλον· τὸ γὰρ αἴτιον τοῦ εἶναι πᾶσιν ἡ οὐσία, τὸ δὲ ζῆν τοῖς ζῶσι τὸ εἶναί ἐστιν, αἰτία δὲ καὶ ἀρχὴ τούτων ἡ ψυχή. ἔτι τοῦ δυνάμει ὄντος λόγος ἡ ἐντελέχεια. φανερὸν δ' ὡς καὶ οὗ ἕνεκεν ἡ ψυχὴ αἰτία. ὥσπερ γὰρ ὁ νοῦς ἕνεκά του ποιεῖ, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ φύσις, καὶ τοῦτ' ἔστιν αὐτῇ τέλος. τοιοῦτον δ' ἐν τοῖς ζῴοις ἡ ψυχὴ κατὰ φύσιν. πάντα γὰρ τὰ φυσικὰ σώματα τῆς ψυχῆς ὄργανα, καὶ καθάπερ τὰ τῶν ζῴων, οὕτω καὶ τὰ τῶν φυτῶν, ὡς ἕνεκα τῆς ψυχῆς ὄντα* (Arist. l. 2 de an. c. 4, 415 b, 10—20).

[2] Tusc. l. 1, c. 9. Varias veterum et recentiorum hac de re opinationes enarrat Volkmann l. c. I, 82 sqq. Schubert, Geschichte der Seele p. 373.

[3] L. 2 de part. an. c. 10; l. 2 de generat. c. 6; de iuventute c. 3.

permulti ex Peripateticis adducti sunt, ut sedem principem animae cerebrum esse dicerent. Communis tamen erat persuasio, animam ut formam per omnes partes vivas praesentem esse.

Qua de re praeclare S. Hilarius his paene verbis [1]: „Deus", inquit, „ubique est, modo animae incorporalis, quae in membris omnibus diffusa a singulis quibusque partibus non abest. Etiamsi privata quaedam ei regia in toto corpore sedes est, tamen in medullis, digitis, artubus infunditur. Iam si corruptis aliquibus corporis membris recisione erit necesse, quum usum suum eadem membra non habebunt: id quod putre caducumque carnis est, sine detrimento animae reciditur. Ipsa enim corporis nostri anima sanis et integris admixta membris est: et quum eadem fuerint putrida et recidenda, non sequitur."

Cartesius animam rationalem in ea tantum cerebri particula collocat, quae Conarium sive Glandula pinealis appellatur. Ad quam sententiam movebatur ille, quod videret glandulam illam figuram omnino peculiarem habere, esseque in interiore massa cerebrali suspensam quasi instar pistilli campanae, quod perfacile moveri posset. Nervos opinatus est omnes ad glandulam illam desinere, ita ut haec a quovis vel levissimo fibrillarum motu percelleretur atque ita varia idearum genera in ipsa anima, pro motuum istorum varietate, excitarentur [2].

Alii Corpus callosum, alii protuberantiam illam anularem, quae Pons Varoli dicitur, alii ventriculos cerebrales, alii Piam matrem, alii Matrem duram, alii Corpora striata, alii Centrum ovale pro sede animae assignaverunt; alii in medulla oblongata posuerunt animam; alii non in partibus solidis, sed in liquidis eam collocaverunt.

Leibnizius contentus erat, ut diceret animam in puncto spatii praesentem esse, quod nobis esset incognitum. Consimiliter inter recentiores Flourens animam in puncto posuit, quod vitale nominavit (point vital). Kant quum conciperet animam ut ens quodammodo inflatum, eam exsistentiam definitivam habere dixit in aliquo spatio [3].

Hodie inter eos physiologos, qui exsistentiam animae substantialis admittunt, iterum ea invaluit sententia, secundum quam putant animam praesentem esse in toto corpore, saltem in systemate nerveo, ita tamen, ut cerebrum putetur esse sedes princeps.

Neque desunt, qui totam hanc quae est de sede animae quaestionem omittendam esse praecipiant [4].

---

[1] In ps. 118. [2] De affectibus pars 1, a. 31.

[3] Träume eines Geistersehers VII, 41.

[4] Hegel: „Die Seele ist kein Ding und daher sinnlichen Bestimmungen

230. Omnes illi philosophi, qui animam censent esse formam corporis, uno ore docent animam esse totam in qualibet parte corporis. Et recte id quidem. Si enim anima uniretur corpori solum ut motor, putari posset non esse in qualibet parte corporis, sed in una illa, unde egrederetur actio ad movendas alias. Quia autem est etiam forma substantialis, in omni parte viva insit necesse est. Et est quidem non solum perfectio sive actus totius, sed etiam partium; in qua re differt ab illa forma accidentali, quae nihil est nisi compositio et ordo, sicut est *forma domus*. Quum autem forma substantialis det speciale illud Esse, quod est Vivere, debet anima primo quidem et per se esse actus totius corporis, sed etiam partium in ordine ad totum. Atque id quidem ita, ut sit tota in singulis partibus.

Et quia anima dat Esse substantiale, eam considerare non licet ut quandam potentiam integratam ex omnibus particularibus potentiis, ac si partes animae se habeant ad partes corporis, sicut tota anima ad totum corpus, et anima tota quidem sit in toto corpore neque tamen tota in qualibet corporis parte.

Quod autem anima sit tota in toto corpore et tota in qualibet parte eius, id non sine distinctione affirmandum est.

Recte triplex totalitas hoc loco est animadvertenda. Est enim unum totum, quod in partes quantitativas dividitur, velut *linea* vel *corpus*, qui totalitatis modus formis non convenit nisi par accidens, quatenus dividuntur per accidens, divisa quantitate, velut *albedo* divisa superficie. Convenire vero potest solis illis formis, quae quantitati coextenduntur, quae habent materiam similem et in toto et in parte, sicut patet in *albedine*, quae ex se aequaliter se habet, ut sit in tota superficie et in qualibet superficiei parte, et ideo divisa superficie dividitur albedo per accidens. Sed formae, quae requirunt diversitatem et magnam dissimilitudinem in partibus, non aequaliter se habent ad totum corpus et ad partes, unde non dividuntur per accidens divisione quantitatis. Sic igitur totalitas quantitativa animae attribui non potest neque per se neque per accidens.

Alterum est totum, quod dividitur in partes rationis et essentiae, sicut definitum in partes definitionis, in genus et differentiam dico; et compositum resolvitur in materiam et formam. Haec secunda totalitas, quae secundum perfectionem et essentiam attenditur, proprie et per se convenit formis.

Tertium est totum potestate sive secundum virtutem, quod dividitur in partes virtutis. Atque etiam haec totalitas virtutis et potestatis, qua videlicet

---

unzugänglich; das Auseinander des Raumes hat für sie keine Wahrheit." Ennemoser: „Die ganze Frage nach dem Seelensitze ist ein interessantes Kapitel in der Geschichte menschlicher Narrheiten."

totum comparatur ad partes virtutis et potestatis, quae accipiuntur secundum divisionem operationum, proprie et per se formis convenit [1].

Si accipiatur forma, quae dividitur per continui divisionem, ut est *albedo*, et quaeratur de illa, utrum sit tota in tota superficie et in qualibet parte superficiei, distinguere oportet, quia, si fiat mentio de totalitate quantitativa, quam habet albedo per accidens, non est tota in qualibet parte superficiei, sed pars est in parte. Et similiter dicendum est de totalitate tertia, quae est virtutis vel potestatis; magis enim potest movere visum *albedo*, quae est in tota superficie, quam albedo, quae est in aliqua eius particula, sicut plus potest calefacere *calor* exsistens in magno igne, quam in parvo. Si vero agatur de totalitate secunda, quae est speciei et essentiae, tota albedo est in qualibet parte superficiei.

Si nunc quaeritur de animabus, quae sunt formae substantiales in corporibus viventibus, postea erit quaerendum, utrum habeant totalitatem quantitativam, ita ut per accidens dividi possint ad divisionem corporis, an sint simplices. Hoc loco satis est dicere animam totam esse in qualibet parte corporis secundum totalitatem rationis et essentiae. At non est tota in parte qualibet secundum totalitatem virtutis vel potestatis. Nam non secundum quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis, sed secundum visum est in oculo, secundum auditum in aure. Et ratio est, quia partes corporis difformiter perficiuntur ab anima ad diversas potentias. Et quia anima requirit diversitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum et ad partes, sed ad totum quidem primo et per se, sicut ad proprium et proportionatum perfectibile, ad partes autem, quatenus eae ordinem habent ad totum.

Quibus ex dictis illud quoque est apertum, non agi hoc loco de praesentia circumscriptiva, sed praesentiam definitivam satis esse (Phil. nat. n. 436). Scimus aliquid esse praesens alicui circumscriptive sive quantitative, quum extensa sua realitate spatium ita occupat, ut partes suae partibus spatii respondeant, eaeque eadem mensura mensurari possint, qua mensuratur spatium, in quo est. Definitive est aliquid alicubi, quum praesentia rei ita ad locum definitur, ut non sit alibi, quamvis a loco non describatur.

231. **Rationes dubitandi.** Videtur anima esse in una tantum parte corporis. Nam (1.) omnes potentiae animae in ipsa essentia animae habent fundamenta.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 8; Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 4; q. de an. a. 10.

Si igitur anima tota est in qualibet parte corporis, sequitur omnes potentias animae esse in qualibet corporis parte. Atque ita visus erit in aure et auditus in oculo.

(2.) Si anima esset in unaquaque parte corporis, sequeretur unamquamque partem corporis esse organismum sive animal.

(3.) Et unaquaeque pars corporis immediate penderet ab anima. Nulla ergo pars penderet ab alia, neque una pars esset alia principalior.

(4.) Si anima esset in toto organismo, crescente organismo cresceret. Atqui id esse non potest.

(5.) Neque sine ratione anima putata est esse in solo systemate nerveo, vel in partibus nervorum imponderabilibus. Videmus enim operationes vitae sensitivae et vegetativae ibi produci, ubi sunt nervi.

(6.) Et plura sunt, unde concludi possit animam esse in solo cerebro. Nam ibi est anima, ubi est operatio vitalis; sed in solo cerebro est operatio vitalis. Ita ii, quibus membrum est amputatum, in membro amputato dolorem sentiunt, ac si membrum amputatum non esset; ex quo apparet sensum revera non in membris esse, sed in solo cerebro.

(7.) Laeso cerebro laeditur sensatio et motio. Et etiam sublato nexu alicuius nervi cum cerebro aliqua alicuius membri operatio impeditur.

(8.) Cerebrum ex structura totius systematis nervei est quasi arx et centrum, ad quod omnes nervi per totum corpus diffusi convenire debent, et ex quo iterum per omnes partes corporis diffunduntur. Ad quid vero haec mirabilis constructio, nisi quia cerebrum est urbs quasi princeps in toto regno, in qua urbe residet gubernium, a quo cuncta dependent.

(9.) Sunt praeterea rationes, quibus declaretur animam non diffundi per totum cerebrum, sed in una tantum cerebri particula habere sedem suam.

232. **Thesis: Principium vitale exsistit in omni parte integrali corporis organici, quae est primaria** [1].

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Pars intelligitur hoc loco corporeum quid toti cohaerens communique vita coniunctum et ad illius actionem usumve comparatum, velut manus, auris, cor, cerebrum, hepar, ungues, musculi, nervi, pili, sanguis, ossa, dentes, medulla, cartilagines, venae, arteriae.

Partes aut similares sunt, quum dividuntur iterum in partes eiusdem secum rationis; dissimilares sunt, quum constant ex partibus heterogeneis.

Praenota 2°. Non est dubium, quin operationes vitales in variis partibus corporis organici prodeant variae; principium ergo vitale, cuius ope istae fiant, neque adhibeat in qualibet parte viva omnes suas facultates, neque in qualibet parte cerebri omnes suas cerebrales facultates.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 8; l. 2 c. gent. c. 72; Quodlib. 10, 5; 1, dist. 8, q. 5, a. 3. 4; Quaest. disp. q. de an. a. 10.

Certum quoque est sensationes et motus spontaneos in animalibus saltem perfectioribus non effici sine nervis cum cerebro coniunctis; et in cerebro esse sensorium commune et motorium commune, a quo sensatio omnis et motus omnis dependeat. Ex quo manifestum est, sicut vim sensitivam et motivam, ita etiam animam esse principaliter in cerebro[1] tanquam in motore. Nunc de anima ipsa quaeritur, ut est forma substantialis.

Praenota 3°. In corpore organico distinguuntur partes primariae et secundariae. Primariae sunt, in quibus aliqua inest operatio vitalis; secundariae sunt, quae quidem nullam habent operationem vitalem, sunt tamen penitus cum partibus viventibus connexae, a quibus indolem accipiunt, qualis tantum a re vivente dari potest; quae toti ad vivendum adeo sunt necessariae, ut id his absentibus vitam agere non possit; hinc ad integritatem corporis omnino requiruntur, velut est *bilis, saliva, pituita.*

Quam ob rem haud inscite dictum est animam aliquo modo se habere ad corpus, sicut ars ad instrumenta. Ars enim quaedam instrumenta primaria habet, quae ipsi in ipsa sua operatione deserviunt, alia secundaria quae ad conservanda illa primaria et renovanda sunt necessaria.

Quibus ex dictis, quod consequens est, duplex in corpore organico integritas distinguenda est, primaria, quae partes viventes dumtaxat spectat, et secundaria, quae est latior, et ad partes omnes pertinet. In thesi partes primariae tantum attenduntur, ita ut demonstrandum sit, ubicunque in corpore organico actio vitalis appareat, ibi etiam esse animam.

Praenota 4°. Neque tamen animam eodem modo et ad partes et ad totum comparari dicimus. Ad totum comparatur anima primo et per se, sicut ad proprium et proportionatum perfectibile; ad partes autem per posterius, secundum quod partes habent ordinem ad totum.

233. **Argumenta.** *Arg. I* (ex conceptu informationis). Id quod informat exhibendo materiae informatae vitam, debet esse in materia tota quatenus vivit: actus enim est in eo, cuius est actus. Atqui anima informat et totum vivens, et unamquamque viventis partem vivam, exhibendo vitam et toti et singulis partibus. Ergo anima reapse est in qualibet parte primaria corporis organici.

Adversarios si sequimur, credere debemus, unam solum particulam, in qua anima insideat, animatam esse, reliquum vero corpus esse appendicem, quam anima ope nervorum et musculorum tanquam habenis moveat et regat.

Arg. II (ex actione immanenti viventis). Ibi est anima, ubi immanenter agit. Atqui agit immanenter in omnibus iis corporis

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 72 in fine.

partibus, in quibus actiones vel affectiones ordinis organici efficiuntur. Ergo in omnibus his partibus est anima.

Prob. min. a) Quoad vitam vegetativam, ex se satis manifestum est nutritionem et augmentationem ipsam per totum corpus fieri.

b) Quod sensationem attinet, certum est eas partes pertinere ad causam, quae sensationem efficiat, *α*) in quibus sit attentio ad obiectum. Sed haec est in unoquoque sensu. Si adversarii recte dicerent animam esse in solo cerebro, internum quiddam in parte corporis esse deberet, in quod cognitio nostra proxime ferretur; experientia autem teste id non fit, sed cognitio nostra directe fertur in obiectum externum, ex sensu externo egrediens. Itaque attentio sentientis non fertur in organum re affectum, sed ad rem organum afficientem.

β) Certum est, id ad subiectum sensationis spectare, in quo sit repraesentatio obiecti et potentiae ad obiectum assimilatio. Sed utraque in ipsis organis externis efficitur.

234. **Confirmatur** (ex variis quae cum sententia adversaria coniunctae sunt difficultatibus). 1. Adversarii putare debent animam insidentem cerebro nutrire corpus reliquum eo fere modo, quo eques nutrit equum suum; eam affici fracto crure eo fere modo quo auriga fracta rota currus sui.

2. Deinde non explicant adversarii a) unde specialis illa sensationum varietas, quum nervi coniungentes organa externa cum cerebro omni varietate interna careant;

b) quomodo percipiantur a nobis ipsae qualitates sensibiles, velut *lux, color, durities, mollities,* quum tamen nihil attingat ad cerebrum praeter motum nervorum excitatorium.

3. Adversarii negant animam esse in toto corpore, ne videatur extensa esse atque corporea. Atqui extensionem sedis animae removere non possunt. Dicunt enim animam esse in cerebro vel in certa aliqua cerebri parte, in qua fiat nervorum coniunctio. Sed ea ipsa pars punctum mathematicum esse non potest.

Nervi enim non sunt lineae mathematicae, sed corpora; in corpore ergo secundum trinam dimensionem extenso non coire non possunt; praeterea motus ab externis rebus profecti terminari non possunt nisi in parte extensa et divisibili. Ergo pars ista, in qua anima rationalis residere dicitur, extensa est et divisibilis; neque tamen anima habet extensionem corpoream. Sicut igitur illaesa natura sua potest esse in extensa corporis parte, poterit etiam praesens esse toti extenso corpori.

Physiologi praeterea negant reperiri in cerebro partem minutiorem, in qua fibrillae omnes coniungantur.

235. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Potentiae sunt in anima aliquae, quae totam capacitatem corporis excedunt: intellectus et voluntas, quae ex se in nulla parte corporis esse possunt. Aliae sunt corporis et animae communes; harum vero non necesse est unamquamque ibi esse, ubi sit anima; sed unaquaeque

[illegible]

Neque desunt, qui vitam his partibus propriam non ab anima tractam esse dicant totius organismi, sed a multis principiis vitalibus, quae ab animae totius re diversa sint.

Alii eas partes animari anima totius ponunt.

Secundo de informatione partium fluidarum, praecipue sanguinis, dubitatum est[1]. Concedunt omnes sanguinem vere esse partem corporis ita, ut ad integritatem naturae conservandam sit necessarius. Controversia est, utrum sanguis vivat necne.

Distinguebant veteres sanguinem duplicem, imperfectum unum, qui nutritioni inserviret, quem nutrimentalem appellarunt, alterum perfectum et naturalem, qui purior esset et magis decoctus. Illum nemo animatum esse voluit; huic nonnulli vitam vegetativam tribuerunt, eumque post per nutritionem in carnem transmutatum acquirere vitam sensitivam dixerunt[2].

Qui affirmant sanguinem animatum esse, his ducuntur rationibus:

a) Quod organismus ex corpore et sanguine constitutus sit ens per se unum. Sed *contra:* Organismus secundum integritatem omnimodam non est necesse ut sit ens per se unum, nisi vi vocis impropria, quatenus omnes eius partes, et primariae et secundariae, peculiari dependentia et ad unum finem conspiratione inter se connexae sunt. Satis igitur est dicere organismum totum ex partibus primariis constitutum esse ens per se unum.

b) Quod sanguis haud secus atque partes solidae nutriatur, augeatur, contineat in se particulas organizatas. Sed *contra* est dubium, utrum haec accidant propter intussusceptionem, an per externarum partium appositionem.

Qui autem negant sanguinem vivere, his nituntur rationibus:

a) Quod nulla sit in sanguine actio vitalis; augeri dicunt sanguinem sola partium iuxtapositione. Sed *contra* est doctorum virorum hac de re ignorantia.

b) Quod sanguis nihil sit nisi nutrimentum corporis proxime praeparatum. Sed *contra* id ipsum in quaestione est, utrum sanguis sit nutrimentum tantum, an simul etiam pars vivens ad nutriendas partes solidas destinata.

c) Quod nulla ratione cum solidis partibus corporis continuetur. Formam dicunt esse non posse nisi in partibus inter se

---

[1] Distinguebant veteres humores quattuor, quos putabant imitari quodammodo in qualitatibus quattuor elementa; sanguinem respondere aëri propter calorem et humiditatem; bilem flavam igni propter calorem et siccitatem; pituitam sive phlegma aquae propter humorem et frigus; bilem atram sive melancholiam respondere terrae propter frigus et siccitatem.

[2] Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 119, a. 1 ad 3; 3, q. 31, a. 5 ad 1.

coniunctis. Sed *contra* non requiritur coniunctio per continuitatem, sed satis est coniunctio per contiguitatem, qualis inter sanguinem et partes reliquas reperitur.

Reperies quoque, qui negent quidem sanguinem vivere, velint tamen eum ab anima informari, quatenus accipiat ab anima perfectionem corporibus mixtis vel organicis propriam, non tamen perfectionem vitae [1].

Et utriusque opinationis defensores Aquinatis auctoritatem ad se trahere conantur [2]. Nobis haec res obscurior et levior esse videtur, quam ut eam discutiendam suscipiamus.

Tertio dubitatum et de semine [3].

Aliqui censent omne semen vivere; quamdiu praeparetur in organismo vetere, per animam huius organismi; ubi primum separetur, per animam propriam.

Alii inter semen perfectum et imperfectum distinguunt. Negant semen imperfectum vivere: sed huic naturam cuiusdam secretionis attribuunt; affirmant tamen semen perfectum animatum esse.

Alii ne semen perfectum quidem animam habere dicunt, sed huic formam substantialem attribuunt, quae, quum semen sit ex natura sua ab ente vivente ut instrumentum ad producendum novum vivens, non sit actu vitalis, sed virtute tantum, quatenus in se habeat virtutem producendae vitae novae. Semen igitur non esse simpliciter animatum dicitur [4].

Quaeritur quinto:

qua ratione res corporeae ineant in substantiam vivam.

237. **Quaestio introducitur.** Quaestio apud philosophos naturales (Phil. nat. n. 223 sqq.) et apud psychologos paulo abstrusior agitatur, qua ratione elementa, quae sint substantiae perfectae, in substantiam vivam per intussusceptionem ingredi atque in ea perdurare possint.

Elementum id est, quod est ultimum in rerum chemica analysi et primum in chemica synthesi. Et ab Aristotelicis definitum est: „illud corporum, in

---

[1] In hac sententia haeret Toletus in l. 2 de an. c. 2, q. 4.

[2] Qui sanguinem ab anima informatum esse volunt, citant 2, dist. 30, q. 2, a. 1 ad 6; 4, dist. 44, q. 1 ad 2, sol. 3; Quodlib. 5, a. 5. Qui informationem istam negant, citant S. theol. 3, q. 31, a. 5 ad 1. Praeterea Aquinas rem tangit S. theol. 1, q. 119, a. 1; 3, q. 54, a. 2.

[3] Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 119, a. 2. Tolet. l. 2 de an. q. 4. Conimbr. l. 1. de gen. c. 4, q. 25, a. 1.

[4] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 12 ad 11; cfr. S. theol. 1, q. 119, a. 2.

quod corpora dividuntur, in quibus inest potentia vel actu; ipsum est indivisibile in specie diversa". Quamquam autem qui hac de re disputant aperte de elementis dicere solent, quaestio tamen tangit substantias omnes sive chemice simplices, sive chemice compositas, quae in organismum vivum vel intussuscipiuntur vel in eo nascuntur et reperiuntur.

Ita in ipsa materia nervea praeter res multas alias invenitur lecithinum (quod constat C_{44} H_{90} N P O_9), cerebrinum (quod constituitur ex C_{37} H_{33} N O_3), cholesterinum (in quo inest C_{26} H_{44} O).

Aristotelem ipsum quod attinet, is multis locis docuit[1] 1. elementa esse corporis viventis materiam; 2. elementa non omnino in compositis perire, neque integra prorsus et illaesa permanere; 3. in dissolutione compositi iterum separari elementa, 4. in rebus compositis cerni operationes omnes elementorum; 5. necesse esse, ut omnia his in terris corpora elementis constent.

238. Antequam veniamus ad ipsam rerum substantiam, de rerum viribus sive qualitatibus recordandum esse videtur.

Imprimis hoc loco ea componere volumus, quae ex sana mente peritorum quum recentiorum tum veterum in quolibet corpore inesse putanda sunt.

1. Forma substantialis ut radix profundissima, ex qua sit determinatio, ut ens sit hoc specie et ex se agat ad hunc vel illum finem.

2. Materia prima, quae propter suam compositionem entitativam sit ratio ultima, ob quam ens sibi quantitatem expostulet.

3. Ratione materiae praesto est non solum quantitas, sed etiam status quidam motionis localis sive mechanicae quae est molecularis et fortassis etiam moleculari minor (?). Hunc motionis statum mutari usque quoad modum dicunt; eius tamen copiam in universo mundo neque augeri neque minui: sed permanere quoad copiam sive molem suam in omnibus mutationibus, sicut ipsa materia maneat.

4. Ratione formae in promptu sunt potentiae tanquam principia activa, quibus omnes illae immutationes naturales producantur, quarum res indigeat ad fines suos internos prosequendos.

5. Inter has potentias praecipue illae notantur a physicis, quae subsunt proxime phaenomenis chemicis et physicis. Quae igitur qualitates considerandae sunt ut potentiae actuatae sive ut productio actualis, qua producitur vel status quantitativus enti debitus (per certam expansionem, certamque cohaesionem), vel

[1] Extensius hac de re Dandinius, De principio vitae (Paris. 1610) p. 747 sqq.

status praesentis continuatio (per inertiam), vel aliqua mutatio alius entis (per actionem transeuntem). Atque hae qualitates sive potentiae actuatae vires vocantur naturales.

Vis naturalis hac vocis significatione accepta, si consideratur sub respectu materiali, est moles motuum mechanicorum residens in re ratione materiae. Sub respectu formali est activitas isti moli insidens ad certos fines prosequendos directa. Quod si hunc respectum utrumque coniungas, vim habes sub respectu effectivo sive totali. Est enim „vis" ex conceptu suo principium accidentale effectivum, quod ab ente in suo Esse omnino constituto ad producendos effectus instrumenti instar adhibetur.

Quibus ex dictis manifestum est imprimis vires illas naturales, quae sint causae proximae phaenomenorum physicorum et chemicorum, nullo modo tolli eo, quod iis in generationibus formae vitales et potentiae vitales indantur, sive intrinsecus praeficiantur. Manifestum est etiam physicum et chemicum, quippe qui has vires consideret tantum ut in phaenomena physica vel chemica directas, recte affirmare vires illas in viventibus omnino easdem perdurare (sicut etiam de machina aliqua disserens de effectibus „iisdem" dicet, non quaerens, utrum machina effecta sit ab artifice Paulo, intuitu pecuniae, ministrante Andrea, an ab artifice Petro, intuitu honoris, ministrante Iosepho). Philosopho autem, qui rerum causas et tendentias internas et ordinem consideret, licebit quaestionem ponere, utrum vires illae vel qualitates corporeae in viventibus maneant formaliter et realiter, an virtualiter et aequivalenter tantum.

239. Nunc de ipsa rerum corporearum substantia videndum est. Est inter Peripateticos doctrina antiquitus tradita formas rerum anorganicarum manere in corpore vivente non actu sive formaliter, sed virtute tantum (*δυνάμει*). Sed id potissimum agitur, qua ratione vox „virtute" interpretanda sit.

Reperiuntur in corpore vivente permulta phaenomena, quae ab elementis organismum ingressis petenda esse videntur, vel ab horum elementorum qualitatibus.

Id ut explicent, nonnulli philosophi dicunt res viventes totas atque integras ab elementis diversas et alienas esse; attamen ideo elementa virtute perdurare arbitrandum esse, quod qualitates illae rerum viventium, quamvis a qualitatibus elementorum specie diversae sint, agant tamen, utpote ab elementis productae, in vir-

tute elementorum, sicut v. g. sententia mente concepta „virtute“ manet in scripta epistola.

Verum nobis recte illi sentire videntur, qui pleniorem significationem voci „virtutis“ subesse arbitrantur.

Nam 1. manent elementa secundum qualitates. Quod neminem fugere potest, qui recogitaverit affinitates proprias rerum anorganicarum in rebus viventibus reperiri easdem. Itaque „manent qualitates propriae elementorum, licet remissae, in quibus est virtus formarum elementarium“ [1]. Et recte quidem ob hanc qualitatum perdurationem elementa ipsa perdurare virtute dicunt. Nam hae qualitates formas elementares repraesentant et in earum virtute agunt, „secundum quem modum dicimus, quod agens principale est in instrumento, quia scilicet in eo est virtus principalis agentis, et virtus animalis in semine ab ipso deciso“ [2].

2. Manent elementa eminenter, quatenus processus vegetativi eminenter continent processus naturales; et hinc anima eminenter continet formas inferiores: eo modo, quo quadrangulum eminenter continet triangulum, et vocabulum syllabam, et generatim id, quod est magis perfectum, continet id, quod est minus perfectum,

3. Manent elementa radicaliter, quatenus manet in corpore vivente specialis quaedam elementorum diversorum diversa affectio, qua fit, ut in totius analysi eadem prorsus reperiantur elementa, quae in corpus vivum erant ingressa. Quam ob rem docuerat Albertus Magnus manere in composito „Esse primum (radicem quasi) elementorum, sed ligatum; Esse vero secundum non manere“.

240. Atque his pro certis constitutis, inter Aristotelicos difficilior est mota quaestio, intrentne elementa secundum totam suam substantiam in organismum vivum atque intussuscipiantur (Phil. nat. n. 229). Plurimae quae ea de re sunt opinationes ad tres commode reduci possunt. Prima est, quae tenet formas elementorum manere quidem in compositis rebus, non tamen ut formas, sed ut realitates determinantes materiam nunc incomplete. Inter eos, qui eam sententiam defendunt, nobilitate scientiae eminet Albertus Magnus. Altera S. Thomae Aquinatis, qui formas nullo modo manere censet, sed penitus desinere, ita ut in organismum intret solum materia absolute prima. Tertia eorum est,

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 4 ad 4.

[2] Ioannes de Neap., Quaest. var. q. 12, p. 3.

qui dicunt fieri posse, ut in una re sint formae substantiales multae. Quam ob rem vel formas elementares in organismo permittunt ut formas, vel etiam sub anima collocant formas organicas sive corporeas, quae sint verae formae. Quae res potissimum nonnullis Scotistis placet. Nos brevitatis gratia de sententia dicemus Albertina, Thomistica, Scotistica (quamvis multi ex Scotistis ad Albertinam revocari possint).

241. Prima igitur est sententia, quae est apud Peripateticos antiquiores, praecipue apud Albertum Magnum, in qua retinetur illud Aristotelis, elementa in rebus compositis „exsuperantias" suas sive „eminentias" (ὑπεροχάς) vicissim corrumpere, ea igitur non manere actu simpliciter (ἐντελεχείᾳ ἁπλῶς) [1], manere tamen „actu" aliqua ratione.

Elementa eo modo manere dicuntur, quo maneant litterae B et A in syllaba BA, vel quo maneant syllabae in vocabulo, vel quo intret triangulum in quadrangulum addito triangulo altero. Triangulum, quum intrat in quadrangulum, nihil „realitatis" amittit; sed realitas geometrica, quae ante erat triangulum, nunc per solam additionem trianguli, et subsumptionem in quadrangulum (propter deletam diagonalem) iam non est triangulum, quia formam trianguli amisit (Phil. nat. n. 210. 230). Secundum hanc igitur sententiam inter realitatem determinantem, quae in elemento est forma, et inter ipsam rationem informandi distinguitur; et putantur formae elementares, quum elementa intrant in corpus vivum, ipsae secundum realitates non desinere, sed munere informandi tantum abdicato exsistentiam porro trahere. Desinunt esse formae, quia informante anima toti iam non dant determinationem internam ultimam. Retinent elementa naturam suam; sed haec iam non fine suo interno contenta est, sed finis internus elementi introsuscipitur tanquam medium in finem vitae; et natura elementi fit pars naturae organismi. Et quamvis illa realitas, quae in elemento solitario forma est et Esse specificum praebet, in elemento, quod inest in corpore vivo, nullo modo forma sit, neque ullo modo Esse specificum praebeat, manet tamen virtute et aptitudine etiam ipsum Esse elementi specificum. Elementum, quod erat hydrogenium, quamdiu est in organismo vivo, non est hydrogenium, quia in se est amplius; ipsum enim elementum vivit.

Et huic sententiae omnis quae est apud Stagiritam loquendi ratio congruens est. Nunquam elementa, quae sunt in composito, „corrupta" dicit, sed alterata atque unita. Et de organismo disserens satis aperte de determinationibus intermediis loquitur, quae eo facilius a nobis cognoscantur, quo magis a materia recedant, accedant ad formam [2].

Nemo inter Peripateticos sententiam hanc proposuit explicatius quam Albertus Magnus (Phil. nat. n. 233): „Quum una numero materia non sit susceptibilis diversarum formarum substantialium, non potest dici, quod elementa sint in mixto secundum formas substantiales in toto servatas. Quum vero

[1] L. 2 de generat. et corrupt. c. 7, 334 b, 9.

[2] L. 4 meteorol. c. 12, 390, a. 3.

etiam in mixto salvantur proprietates elementorum, non potest dici, quod nullo modo salventur formae substantiales eorum.“ Quam ob rem Albertus in elementis distinguit Esse primum et Esse secundum. Esse primum est Esse substantiale, quod habent ex primis formis substantialibus. Esse secundum addit ordinem ad operationes naturales. Quantum ad Esse secundum, subsumuntur elementa in ipsam organismi vitam. „Quantum autem ad Esse primum, miscentur quidem substantiae elementorum et unaquaeque secundum aliquid corrumpitur ad alterum et secundum aliquid manet.“ Etsi ea, quae leguntur apud Albertum, obscuriora sunt, eius tamen mens satis ex his patet: „Iam patet, qualiter materia compositi differt a materia prima, et qualiter unius et eiusdem non sunt plures formae, prout forma est finis et perfectio ultima distincta secundum Esse.“

Itaque sententia Albertina id sibi proprium habet, ut admittatur in una re pluralitas determinationum substantialium; negetur vero fieri posse, ut in re una sit formarum substantialium pluralitas. Formae elementorum non abiciuntur, sed amittunt tantum rationem determinationis supremae et ultimae. Quapropter manent quidem realiter, non tamen formaliter[1].

Sententiae Albertinae etiam S. Thomas primae vitae suae tempore inhaesisse videtur. „Nihil ergo contradictionis sustinebimus, si posuerimus in re aliquas formas, ad quas tamen non sequatur Esse simpliciter. Solum enim per naturam ipsius Esse simpliciter, quod in substantia reperitur, simpliciter impeditur pluralitas formarum substantialium eiusdem rei. Unde certum est, quod impossibile est plura Esse substantialia in una re ponere; sed solum forma, ad quam Esse sequitur, in re ipsa ponitur; aliae vero ei non connumerantur.“[2] Id semper Aquinas cavere voluit, ne in una re ponantur formae multae, „ad quas sequatur Esse simpliciter“. Et non semel dixit forma perfectiore adveniente praeexsistentem formam corrumpi, id quod eodem modo in numeris vel figuris geometricis accidere videamus. At nemo est, quin videat his et similibus dicendi formulis Aquinatem ab Alberto magistro suo vix differre.

Et recte quidem Aquinas summi momenti esse duxit, ut firmiter teneatur hominis unitas substantialis; hinc in unoquoque organismo unam tantum esse formam substantialem defendatur. Et quum videret reperiri qui in una re multas formas substantiales esse posse dicerent, se huic opinationi omni rationum pondere opposuit.

242. Secunda est sententia, quae proposita est a S. Thoma, quum is esset aetate provectior (Phil. nat. n. 209). Etenim is propter unitatem organismi perfectam necessarium esse duxit, ut formae omnes anorganicae desinere et quodammodo annihilari putentur, quum res illae in organismum intussuscipiantur. Manere tantum qualitates proprias elementorum dixit, in quibus esset virtus formarum elementarium.

---

[1] Ambigue loquuntur qui formas elementorum in compositis manere dicunt. Non enim forma manet; sed id, quod erat forma, manere dicendum est.

[2] Ita legitur in opusc. de nat. mat. c. 8.

„Et huiusmodi qualitas mixtionis est propria dispositio ad formam substantialem corporis mixti, puta formam lapidis vel animati cuiuscunque.“ [1] „Quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris, ita tamen, ut sequens forma habeat, quiquid habebat prima.“ „Sic ergo dicimus, quod in hoc homine non est alia forma substantialis, quam anima rationalis, et quod per eam homo non solum est homo, sed animal et vivum et corpus et substantia et ens. . . . Perfectior forma facit per unum omnia, quae inferiores faciunt per diversa et adhuc amplius. . . . Unde etiam Aristoteles dicit, quod vegetativum est in sensitivo, et sensitivum in intellectivo sicut trigonum in tetragono et tetragonum in pentagono.“ [2].

Sed quid, quum in morte animalis vel hominis anima desinit esse forma? Num materia sine ulla forma erit? Quum id esse non possit, huius sententiae defensoribus erat necessitas, ut dicerent oriri in morte formas novas, a quibus acciperent corpora inanima illud Esse peculiare, quod cadaveribus proprium esset. Has formas cadavericas vocant (n. 223, 17).

Quae formae cadavericae ab aliis alia ratione sunt propositae. Alii dicunt eas esse transitorias formas ad id unice destinatas, ut cadaver disponatur paulatim ad dissolutionem, ita ut in cadavere sit similis successio formarum cadavericarum, sicut in embryone fuerit successio animarum, quibus vivens paulatim ad perfectionem suam elevatum sit.

Alii nolunt formam cadavericam unicam homogeneam in cadavere, sed in unaquaque parte heterogenea dicunt oriri formas, quae cerebro, hepati, ossibus illud Esse heterogeneum tribuant, quod experientia teste habeant et quod sit obiectum „chemiae organicae“.

Alii formis elementorum et rerum chemice compositarum contenti sunt, quas cadavericas vocari volunt, quod res hoc modo chemice compositae reperiantur tantum in cadaveribus.

243. Tertia sententia eorum est, qui praeter animam alias formas substantiales in organismo inveniri posse asseverant, sive ipsorum elementorum, sive (id quod potissimum Scotistis placet) formas organicas, quas formas corporeitatis vocant.

Haec de pluralitate formarum sententia iam a nonnullis defendebatur antiquioribus; inter quos erant Ioannes Philoponus, Avicenna, Averrhoes, qui formas rerum anorganicarum ipsas formaliter acceptas in corpore vivente perdurare dixerunt.

Scotus in unoquoque corpore vivente formam posuit, quam incompletam dixit, qua haberet corpus, ut esset corpus; quam formam corporeitatis dixit, quae igitur in corpore emortuo maneret, donec id in elementa dissolveretur. Sunt etiam, qui pro varietate carnium, ossium, tendinum, pulmonum, cordis formas plures ponant corporeas.

Et ingens est in hac quae pluralitatem formarum tenet sententia varietas. Sunt, qui dicant, has formas subordinari animae tanquam dispositiones. Alii dicunt, materiam in viventibus manere informatam formis elementaribus, quae effectibus elementaribus praesint; quod tamen compositum elementare non sit

[1] S. theol. 1, q. 76, a. 4 ad 4.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 3; q. de an. a. 9.

subiectum animae; sed animam suscipi immediate in materia prima, ita ut et anima et formae elementares aeque immediate et per se in materia insint.

Materia, inquiunt, non potest quidem compluribus simul informari formis in eodem ordine, potest tamen in ordinibus diversis; ab unaquaque forma actuatur tota, sed non totaliter. Ab anima habet res essentiam suam physicam primariam. Formae inferiores sunt praeparationes praeviae, quae licet ad viventis integritatem pertineant, non tamen rem constituunt essentialiter, quia essentia rei sola anima et materia absolvitur; neque eae formae ad subiectum animae spectant, sed in materia inesse debent, ut haec ab anima connaturaliter informari possit.

244. Rationes dubitandi. Videtur (1.) Avicenna recte posuisse formas substantiales elementorum integras remanere in corpore vivo; ita ut contrariae qualitates elementorum ad medium quoddam reductae sint, quod fini interno organismi congruens sit. Quam doctrinam praeclare exponit Petrus Aureolus [1], qui dicit, „quod formae miscibiles necessario secundum aliquid sui maneant in mixto (hinc etiam in corpore vivente), et non solum in virtute". Et illam vocem „secundum aliquid sui" ita explicat, „quod aliquid reale, quod fuit realis pars formae miscibilis, est postmodum pars formae mixti". „Aliter", inquit, „nunquam salvatur natura resolutionis, ut distinguitur a corruptione; quia resolvere est rem solvere in exsistentia in re ita, quod nihil aliud est, nisi facere, quod illa, quae ante erant confusa et in potentia, fiant in actu et distantia." Censet igitur Aureolus elementa secundum realitates suas manere in mixtis integra constituereque mixti formam. Quod illustrat exemplo syllabae BA, quae non obstante sua simplicitate composita sit ex B et A ablatis solis terminationibus propriis B et A; ergo similiter forma mixti non obstante eius simplicitate constituetur ex qualitatibus elementorum, in quarum tamen nulla salvatur forma et species, sive definitio formae elementaris; sed manent ibi amissis propriis terminationibus."

Et scite Hieron. Dandini: „Actum illum", inquit, „negavit Aristoteles, quem integrum, perfectum, distinctum ante mistionem habebant elementa. . . . Maluit dici potestate, non quod omnino non sint, sed quod confusa quum sint et ex parte mutilata, potestate sunt, tum ut rursum separentur, tum ut pristinam perfectionem et integritatem recuperent [2].

Neque inepte dixit Honoratus Fabri formam rei compositae non esse entitatem absolutam, sed esse aliquid respectivum: „Analogiam habes in artefacto, cuius forma ex tali partium positione et situ resultat, vel in consonantia diapason v. gr., quae nihil nisi respectivum sonat." [3] Et Io. Bapt. Ptolemaeus elementa non quidem sensu physico et sensibili esse actu in mixto docuit; esse tamen actu sensu metaphysico et insensibili [4]. Quod aliis verbis proferens Ios. Zanchi: „Elementa", inquit, „in mixto remanent actu simul et potestate: actu quidem, si absolute et secundum substantiam seu entitatem propriam spectentur; potestate vero, si physice, hoc est secundum proprietates sensibiles considerentur." [5]

---

[1] Quodlib. 16, et in sent. lib. 2 dist. 15, art. 1. 2.

[2] De animato corpore p. 758. [3] Physic. tom. III, tract. 6, prop. 21.

[4] Philos. mentis et sensus (Rom. 1698) p. 524.

[5] Phil. ment. et sens. II (Vienn. 1750) pars 1, dissert. 2, sect. 2, c. 1.

(2.) Melius fortassis rem explicavit Averrhoes. Quum Avicenna solas qualitates misceri vellet, non substantias, Averrhoes et qualitatum et substantiarum mixtionem posuit. Et dum Avicenna formas elementorum negavit ulla ex parte interire eo, quod magis et minus non susciperent, Averrhoes ipsas formas remissas esse dixit et ad medium reductas, ita ut ex iis una forma conflata esset.

(3.) Vel dices formas materiales esse dispositiones ad animam, ita tamen, ut sola et nuda materia ab anima informata sit. Materia igitur in rebus viventibus manet informata formis elementaribus, quae effectibus elementaribus praesint; quod tamen compositum elementare non est subiectum formae vitalis: sed ipsa materia prima sola et nuda immediate in se ipsam suscipit animam, quae effectus vitales moderetur, ita ut ipsae formae elementares et ipsa anima aeque immediate et per se in materia insint, et illae quidem quasi servae, haec vero tanquam domina [1].

(4.) Saltem in organismis videntur multi (inter quos est Henricus Gandavensis, et Scotistarum pars plurima) recte posuisse formam corporeitatis; vel etiam plures huius generis formas.

245. **Dico 1°**: Nulla in re vivente esse potest forma substantialis praeter animam [2].

Nam „forma substantialis, constituens integram et completam substantiam, habet rationem actus *ultimi* in ratione actus substantialis et essentialis, quia constituit ultimam quandam speciem substantiae. Ergo non potest non comparari per modum substantialis potentiae ad ulteriorem formam. Et ratio generalis est, quia non potest una et eadem substantia essentialiter ac per se constitui in duabus speciebus ultimis; sed per quamcunque formam constituitur in propria et completa specie substantiae. Ergo non possunt simul coniungi duae formae in eadem materia“ [3].

Vel sic: Forma substantialis dat materiae Esse simpliciter, i. e. dat enti complementum ultimum internum, dirigitque intrinsecus actiones rei omnes ad unum finem internum, atque ita dat rei certum quoddam Esse specificum. Si igitur in ente uno complures formae substantiales essent, ens unum saepius Esse specificum acciperet, eiusque actiones ad fines complures internos totales dirigerentur, atque ita ens unum complura complementa ultima interna haberet. At quis id dixerit? Quoniam enim „unum consequitur ad ens, et ab eodem aliquid habet Esse et unitatem“ [4], entia vere multa essent.

---

[1] Ita fere Ulloa disp. 1 phys. n. 149—161. Ant. Mayr, Phys. l. 1, q. 4, a. 5.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 4; Summa c. gent. l. 2, c. 58; Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 13; q. de an. a. 9; q. de spirit. creat. a. 3; Opusc. de pluralitate formarum; Opusc. de mixt. elem.; in l. 1 de gen. lect. 24.

[3] Suar., Disp. metaph. disp. 13, sect. 3, n. 11. 61; cfr. disp. 15, sect. 10, n. 64; disp. 4, sect. 3, n. 13; disp. 6, sect 9, n. 17.

[4] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 58.

Praeterea videmus in ente vivo vires elementares et qualitates corporeas ad finem altiorem et vitae usum non adhiberi extrinsecus, sed elevatas esse intrinsecus.

Ipsis enim operationibus materialibus tota vita vegetalis absolvitur ita, ut illae non dirigantur impressione sibi forinsecus adveniente, sed ita, ut moderentur se ipsae. Ex quo concludendum est, omnes determinationes substantiales ab anima intrinsecus subsumptas esse totas (licet non totaliter). Hae ergo determinationes non complent rem neque absolvunt neque ullo modo iam dant Esse specificum. Ergo iam amplius formae non sunt.

Quum deinde corpus humanum dicitur esse substantia viva, sentiens, humana, non diversae res indicantur, sed una eademque res modo minus, modo magis accurate exprimitur. Corpus enim interne ita ab anima afficitur, ut ipsum corpus vivat. Et quoniam Vivere Esse quoddam speciale significat, id quod vivit, internum quoddam Esse accipit intrinsecus. Et illud Esse internum Esse etiam primum est. Si enim corpus, antequam viveret, Esse haberet completum, iam ab anima non posset accipere Esse internum, sed tantum modificari extrinsecus.

Dices: His argumentis probatur quidem fieri non posse, ut in una re sint formae substantiales plures, quae sint ultimae, completae, non tamen improbatur esse multas formas, quas dixeris incompletas, viales. — *Resp.:* Quum conceptus formae formaliter exprimat completionem ultimam, pugnantia dicit (vel saltem a dicendi consuetudine aberrat), qui id, quod incompletum, viale est, formam nominat.

246. **Dico 2°**: Cavillationibus haud levibus exposita est sententia illa, quae tenet elementa, quum intussuscipiantur in organismum vivum, abicere id, quod fuit ipsorum forma substantialis et natura propria, ita ut solum intret in organismum materia absolute prima.

Hanc sententiam a S. Thoma posteriore tempore excultam esse scimus. Neque ignoramus multas rationes esse, quibus ea graviter commendetur. Inter quas praecipuam eam esse censemus, quod hoc modo luce clarissima illustratur organismi unitas substantialis; quod quanti valeat, nemo ignorat, qui de rebus psychologicis recte cogitaverit. Et non solum illustratur haec unitas, sed tanta proponitur, quanta maior esse non possit.

Verum plura nobis in hac sententia inveniri videntur, quae difficiliorem habent explicatum.

1. Imprimis certum est eas qualitates, quae fuerint in elementis, reperiri etiam temperatas quidem et ligatas in organismo easdem. Sed non satis apparet, quomodo manere possint qualitates desinente substantia.

Non est dubium, quin qualitates maneant eaedem, si identitas specifica intelligatur (Phil. nat. n. 226). In quaestionem vocatum est, si identitas

numerica attendatur [1]. Imprimis extra controversiam est positum sensus nostros et experientiam chemicorum solius permansionis specificae, minime vero perdurationis numericae ipsarum qualitatum activarum testes esse posse. Neque deinde minus constat qualitates compositi a qualitatibus elementorum numerice diversas esse, si non in se ipsis, sed in eo considerentur, cuius sint qualitates. Ita affinitas hydrogenii in corpus vivum recepti, si consideretur ut affinitas corporis vivi, eam numerice diversam esse ab illa affinitate, quae in soluto hydrogenio conspiciebatur, facile intelligitur; quia corpus vivum numerice diversum est ab hydrogenio quod continet.

Sed de ipsis qualitatibus secundum se consideratis quaestio est instituenda. Qua de re viri doctissimi inter se controversiam habent.

Qui negant manere numerice qualitates, formas elementorum in ortu compositi interire sumunt, et hinc omnia praeter materiam in interitum secum trahere. Quum enim omnia accidentia rei toti sive substantiae completae ut sic inhaereant, accidentia, quae sint numero eadem, in corrupto atque in genito manere non posse arbitrantur, sed cum intereunte forma simul accidentia omnia interire et corrumpi per accidens, deficiente videlicet subiecto; eam ob rem simul cum nova forma produci accidentia nova, quae specie sint eadem atque priora. Cuius sententiae Aquinas fuisse videtur, quum scriberet: „Dicendum, quod non idem manet numero accidens in genito; sed quod prius erat, corrumpitur per accidens ad corruptionem sui subiecti recedente forma, quae prius erat talis accidentis: et advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem.“ [2]

Et addunt qui eam sententiam sequuntur, ita ne sensuum quidem testimonium obstare, ne qualitates sensibiles numerice non perdurare putemus. Qua enim, inquiunt, ratione sensus noster diversitatem numericam percipiat, si eodem momento color plane similis in locum prioris succedat? Quod si dubium non sit, quin ab omni motu locali novitas numerica motus successivi continenter introducatur, cur repugnet, ne simile quidpiam in qualitatibus accedat semel atque iterum?

Qui ex altera parte affirmant manere numerice qualitates, ut suam sententiam probent, nequidquam qualitates priores interire dicunt, quum in earum locum aliae eiusdem plane speciei substituendae sint; naturam autem non frustra tale moliri opus. Eum deinde, qui qualitates occultas desinere arbitretur, non aliter de sensibilibus qualitatibus iudicare posse dicunt, quarum tamen perdurationem numericam experientia sensuum aperte testetur. „Experimur enim“, ut est apud Suarez, „in cadavere hominis statim post mortem eius manere

---

[1] Cfr. S. Thomas, Opusc. de natura accidentis c. 1.

[2] In l. 1 de gen. lect. 10. De quo loco Toletus: Hoc tenet S. Thomas in praesenti, si tamen haec commentaria ab ipso edita sunt; de quo aliqui non immerito dubitarunt, quum ubique alias oppositam teneat sententiam; patet in omnibus locis illis, in quibus agit de remanentia elementorum in mixto (In l. 1 de gen. c. 10, q. 18). Sed quamvis aliquibus locis teneat Angelicus sententiam oppositam, pluribus tamen docet qualitatem manere eandem quidem specie, non tamen eandem numero, quia non maneat idem subiectum, „eam corrumpi per accidens ex corruptione subiecti“ (ita Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 3 ad 19).

eadem accidentia corporalia, quae erant in corpore vivo, exceptis illis facultatibus, quae sunt propriae viventibus, ac propterea effective ab anima pendent.“ [1] Quae autem rationabilis proferri posset ratio, qua in morte hominis accidentia specie eadem, numero autem efficerentur diversa? [2] Cui testimonio standum esse censent; quod si nobis suppeditat, ut de perduratione substantiarum numero earundum non dubitemus, satis etiam esse, ut perdurationem qualitatum exploratam nobis esse putemus.

Ut autem ostendant, qua ratione qualitates numerice eaedem in rem compositam transire possint, alii aliam viam inierunt. Nonnulli dicunt qualitates omnes, quae hac quaestione tangantur, inhaerere substantiae interveniente quantitate ita, ut quantitas putanda sit esse illarum qualitatum subiectum proximum. Quod si iam, quae rei summa est, quaeratur, cui subiecto ipsa quantitas inhaereat, quantitatem ad materiam comparari dicunt ut proprietatem eius [3] et materiam primam suppetere, ut pro sua entitate quantitatem sustineat [4]. — Sed contra multo facilius esse videtur, ut id, quod sit Esse simpliciter, itaque compositum ex materia et forma, subiectum esse putemus, cui accidentia inhaereant [5], quantitatem igitur non materiae propriam esse, sed totius compositi ratione materiae.

Alii quum putent minime recedendum esse ab illa sententia, quae teneat ipsam formam substantialem, et non quantitatem id esse, quod omnino primo materiae primae adveniat, animadvertere nos volunt materiam sane solam portandae quantitati parem non esse; verum nullo temporis momento materiam primam reperiri solam ac nudam; sed ubi primum forma inferior recesserit, actutum formam superiorem quantitati et qualitatibus numerice integris remanentibus praesto esse. — In qua sententia illud intellectu difficile est, quo pacto qualitates formae abeuntis in formam novam transmigrare possint. Quam difficultatem ut expediant, repugnare quidem dicunt, ne accidens transmigret in subiectum diversum; fieri tamen posse, ut migret in subiectum, quod non sit diversum nisi inadaequate.

Quae obscuritas alios induxit, ut suspicarentur etiam aliquid ipsarum formarum substantialium in composito permanere. Quo sumpto atque statuto qualitates perdurantes habere, quod ad eas sustentandas satis esset.

2. Deinde certum est reperiri in vivente multas ex iis actionibus, quae elementis sunt propriae. Ita, ut exemplo locus sit, elementa, quae nervos cerebrumve constituunt, a chemicis satis accurate cognosci possunt. Hydrogenium, quod inest in pulmonibus, maxima cum vehementia arripit chlorum, quod quis halitu haurit, idque in detrimentum totius animalis. Et generatim ratio, ob

---

[1] Disp. metaph. disp. 14, sect. 3, n. 20.

[2] Idem docet Albertus Magnus tract. 2, ep. 2. Toletus in l. 1 de generat. et corrupt. c. 4, q. 7.

[3] Suar., Disp. 13 metaph., sect. 14, n. 15.

[4] Id. Disp. 14 metaph., sect. 3, n. 10 sqq.

[5] Cfr. S. Thomas, S. theol. q. 76, a. 6 et q. 77, a. 6; Opusc. (30) de ente et essentia c. 5. 7.

quam homo corrumpitur, in eo sita est, quod elementa, quae in corpore insunt, contrariam inter se activitatem habent[1]. Quae res difficilius intelliguntur, si determinationes omnes substantiales, quibus elementorum actiones intrinsecus dirigebantur, in composito penitus evanuerunt. Num anima se ipsa destituet, compositum corrumpet?

3. Accedit, ut in corruptione viventis necesse sit ponere formas novas adventicias sive cadavericas. Quae res etsi non iis absurditatibus obstructa est, quales finxerunt levioris ingenii homines, tamen obscurior est, quam quae sine gravibus rationibus admitti possit. Videntur praeterea hae formae cadavericae a sententia hominum prorsus alienae esse. Censent enim homines in morte viventis et generatione cadaveris nihil aliud accidere, nisi abitum animae, ita ut corpus vivum transmutetur substantialiter in cadaver propter solum animae discessum.

247. **Dico 3°:** Non absurde dicunt, qui censent elementa omnia materialia, quae ab anima informata sint, omnem realitatem, quam ante informationem habuerint, retinuisse, formas vero elementorum propter internam in organismum vivum susceptionem rationem formae omnino amisisse[2].

Non enim repugnat, ne in re una complures sint determinationes. Una res semel tantum et indivisibiliter informari potest, i. e. compleri et absolvi intrinsecus. Sed fieri potest, ut determinationes rerum anorganicarum (quippe quae ad actiones transeuntes referantur) ab anima subsumantur intrinsecus, ita ut iam incompletae fiant, neque intrinsecus rem absolvant. Atque hae determinationes, quamdiu anima adest, desinunt esse formae. Ratio enim formae illi dumtaxat determinationi competit, quae est in constituenda substantia suprema et ultima, i. e. ultimo rem complet, et toti rei speciem dat et indolem. „De ratione formae substantialis est, quod det Esse simpliciter et completum usque ad rationem ultimam in genere substantiae.“[3]

Et sane quidem si perduratio elementorum, quam descripsimus, secum pugnaret, id esset aut quia unitas entis ne hanc quidem pluralitatem determinationum substantialium admitteret,

[1] S. Thomas In l. de longit. vitae lect. 1; In l. 2 de coelo lect. 9.

[2] Hanc sententiam diximus primo ab Aristotele propositam, postea etiam ab Alberto Magno excultam esse et a S. Thoma primo vitae suae tempore retentam, ab hoc vero postea relictam.

[3] Suar., Disp. metaph. dist. 15, sect. 10, n. 63.

aut quia forma quaelibet substantialis exigeret materiam omni plane determinatione spoliatam ut subiectum, in quo immediate reciperetur. Atqui ex neutra ratione nascitur difficultas.

a) Unitas entis id dumtaxat sibi postulat, ut unicus sit actus perfectus et completus, determinans rem completive et absolute. Quam ob rem nullae praeter animam esse possunt formae. Quia autem activitas elementorum intrinsecus in activitate vitali subsumitur et hinc etiam ipsa elementa ad unum Esse altius (quod est Vivere) elevantur, consequens est, ut formae elementares iam rem non absolvant et terminent. Ex quo fit, ut, quae erant formae in elementis, indolem formarum prorsus amittant, fiantque determinationes subordinatae, quae ad animam tanquam materia se habeant nec ullo modo ens aliquod constituant.

b) Forma substantialis dicitur actus primus, non quia affert materiae absolute primae determinationem primam qualemcunque, sed quia primo affert determinationem entis completi et absoluti. Et informatio id unice exigit, ut potentia sit substantialis immediate a forma substantiali actuanda. Huic autem necessitati fit satis. Quia enim anima elementa intrinsecus elevat ad ordinem agendi et essendi altiorem, elementa sunt materia et entia incompleta respectu totius organismi. Sunt ergo potentia substantialis.

248. Sed multae quae hac de re oriuntur dubitationes solvendae sunt.

Dicunt 1°: In hac sententia Albertina ponitur determinationes omnes inferiores ad unam formam substantialem pertinere, quae ex ipsis conflata sit. At id esse non potest. Nam Esse simpliciter sive „Esse substantiale cuiuslibet rei in indivisibili consistit, et omnis additio et substractio variat speciem, sicut in numeris. Unde impossibile est, quod forma substantialis quaecunque recipiat magis et minus“ [1]. — *Resp.:* Sola anima putanda est esse forma substantialis. Determinationes autem illae inferiores ad materiam spectant informandam.

Dicunt 2°: Quidquid materiam determinat intrinsecus, est forma substantialis. Ex Albertina ergo sententia multae erunt in una re formae substantiales. Id quod falsum esse ostensum est. — *Resp.:* Ut realitas aliqua sive determinatio rationem formalem formae substantialis habeat, non est satis, ut rem intrinsecus quocunque modo determinet, sed requiritur, ut vere eam compleat atque absolvat ita, ut rei det essentiam specificam [2].

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 4 ad 4.

[2] Id etiam ipse Aristoteles arbitratus esse videtur, quum doceret in una re unam tantum formam esse posse. Eius mentem explicat Brentano (Psychologie des Aristoteles p. 54): „Wären mehrere Formen gleichzeitig in derselben Materie, so müssten sie von derselben Gattung sein, wie es z. B. die Form des Würfels und die Kugelgestalt oder die rothe und grüne Farbe sind.

Dicunt 3°: Si formae elementares vel organicae, realitatem quod attinet, i. e. tanquam determinationes dumtaxat subordinatae sub anima perdurare possunt, iam etiam anima vegetativa tanquam „determinatio esse posset sub anima sensitiva; immo anima vegetativa et sensitiva in homine tanquam determinationes ab anima rationali realiter distinctae. Atqui id ab omnibus fere psychologis reicitur. — *Resp.:* Formae substantiales, quae vitales sunt, illud habent proprium, quod enti completionem dant ultimam, ita ut ens non iam per altiorem aliam formam intrinsecus compleri possit. Sunt enim principia activitatis immanentis, hinc ipsius Esse perfecti. Unde videmus vitam vegetativam non subsumi intrinsecus in ipsam vitam sensitivam, sicut operationes elementorum subsumuntur in operationes vegetativas. Elementa quum naturaliter destinata sint, ut ex iis fiant mixta et viventia, fieri potest, ut ea altiori formae intrinsecus subdantur.

Dicunt 4°: Non satis apparet, qui fieri possit, ut ea realitas, quae elemento separato determinationem dat completam absolutamque, in vivo organismo non det nisi incompletam et vialem. Neque satis apparet, quo pacto realitas rem determinans eique finem certum praefigens certumque agendi modum praebens, ipsa, si rem vivam fuerit ingressa, ultra determinari possit. In determinatione enim rei teleologica et quasi ideali plus et minus locum habere non videntur. — *Resp.:* In determinatione teleologica ultima certe plus et minus locum non habet; tamen in determinatione viali. Et determinatio ultima, post ulterioris finis constitutionem, fieri potest vialis. Quae res obscura quidem est, non tamen inepta.

Dicunt 5°: Si accedente forma altiore manent realitates inferiorum, erit additio perfectionis sequentis sine corruptione perfectionis praecedentis, quod esse videtur contra rationem generationis simpliciter. — *Resp.:* Perfectio praecedens corrumpitur non quidem quoad realitatem suam, sed quoad formalitatem sive formalem indolem. Eo enim, quod perfectio ista accedenti perfectioni intrinsecus subordinatur, eam independentiam amittit, quae ad conceptum formae est necessaria. Fas est igitur in hoc negotio dicere de generatione simpliciter.

Dicunt 6°: „Omnis actus, quamdiu suam potentiam perficit, totaliter eam perficit et occupat et continet; de ratione enim actus est perficere, terminare et complere suam potentiam. Sed susceptivum occupatum et completum nihil suscipit, quousque vacuetur.“ [1] Ergo fieri non potest, ut res accipiat formam altiorem, nisi priore abiecta. — *Respondet* Albertus: „Si essent formae elementorum completi fines materiae, tunc verum esset, quod materia non esset susceptibilis aliarum formarum cum ipsis; sed hoc non est verum, quia elemen-

---

Wenn aber diese sich vereinigen liessen, so könnte auch die Kälte mit der Wärme vereinigt werden d. h. das Entgegengesetzte könnte zugleich das Entgegengesetzte sein. . . . Dem allem steht ein und dasselbe Gesetz entgegen, worauf sich die Definition der Opposition (l. 4 metaph. c. 10, 1018 a, 22) gründet. Hiermit aber würde all unser Denken seinen Halt verlieren; denn nun stünde nichts mehr im Wege, dass nicht auch das Wahre zugleich falsch wäre und das Bejahte zugleich verneint würde“ (l. 3 metaph. c. 3, 1005 b, 26 et c. 5, 1009 a, 34; l. 3 de an. c. 2, 427 a, 5).

[1] S. Thomas, Opusc. de plur. form.

tum nominat viam ad aliud, et ideo forma elementi cum aliis formis salvatur cum materia, sicut salvatur forma carnis in vivo, quia vivi sentientis materia propria est caro." [1]

Dicunt 7°: In homine unitas quantum fieri potest maxima est statuenda. Maior autem est unitas, si formae elementorum omnino interierunt. Et in homine quum anima sit altissima, subiectionem sive dependentiam corporis putandum est esse maximam. Praeterea ipsum „Ego" maxime unum est. Quibus ex rebus efficitur, ut elementa, quibus coalescit corpus humanum, sint in potentia quam maxima ad recipiendam actualitatem omnem ab anima. Elementa igitur ante propriis formis omnino exui debent, quam anima rationali informentur. — *Resp.:* Unitas quae sit in homine non est statuendum a priori ut sit maxima; sed ex observatis rebus videndum est, qualis sit ista unitas substantialis.

Dicunt 8°: Sapientissimi docent substantiam hominis componi ex anima rationali et materia prima. — *Resp.:* Id etiam nos dicimus. Sed distinguendum est inter materiam absolute primam et relative primam.

Dicunt 9°: Anima, quae cum elementis coniungitur, non minus arcte cum materia in unum Esse completur quam ipsae formae elementares. Quod si ita est, materiam absolute primam immediate determinare debet. „Quum materia habeat Esse actu per formam, oportet, quod forma dans Esse materiae ante omnia intelligatur advenire materiae et immediatius ceteris sibi inesse." [2] — *Resp.:* Satis est ut anima determinet immediate materiam relative primam.

249. **Dico 4°:** Quum tanta sit huius rei obscuritas, non sunt vituperandi ii, qui Albertinam sententiam tanquam vere probabilem permittunt. Id ut declaretur, satis est ea recolere, quae diximus.

Vidimus eum, qui sententiam Albertinam teneat, non dicere pugnantia. Sunt autem rationes, quae hanc sententiam suadeant:

1. Unumquodque elementum in vivente retinet omnes suas proprietates alteratas quidem vel ligatas, sed tamen determinatas, ita ut elementa varia ex proprietatibus chemicis cognosci possint. Et proprietates illae chemicae ad vitam non solum contribuunt extrinsecus, sed elevantur intrinsecus, atque ita elevantur, ut sint vitae vegetativae concausae, et vitae sensitivae dispositiones naturaliter necessariae. Quo posito atque concesso sequitur non solum materiam primam, sed tota elementa mansisse, et determinationes illas substantiales, quibus elementorum actiones intrinsecus dirigebantur, in corpore vivente reperiri.

2. Eo conveniunt Aristotelici (quod iam a Platone dictum erat), imperfectiones omnes, propter quas organismus a fine suo interno deficiat, a parte materiali trahendas esse, quae ex se aliquo cum rigore principio formali obsistat [3]. Sed unde talis repugnantia materiae contra animam nascitur? Ex

[1] L. 3 de coelo et mundo tract. 2, c. 1.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de an. a. 9.

[3] Ita inter alios Aquinas: „Si aliquis defectus in dispositione humani corporis esse videtur, considerandum est, quod talis defectus sequitur ex necessitate materiae ad ea, quae requiruntur in corpore, ut sit debita proportio ipsius ad animam" (S. theol. 1, q. 91, a. 3).

indeterminatione materiae, dicis. At quaeso, materia accedente anima amisit indeterminationem, estque anima, quam possidet, contenta. Qualitatibus elementaribus illud efficitur? Verum hae non „sunt", sed „insunt", neque agunt, nisi quantum formae substantiali subserviunt. An vero anima ipsa se ipsam in activitate sua habebit adversariam? Sed „manifestum est, quod una forma naturalis non inclinat, nisi ad unum" [1]. Itaque reiectis omnibus nihil aliud relinquitur, nisi ut determinationes substantiales elementorum in organismo remansisse putemus.

3°. Et haec sententia Albertina cum phaenomenis magis convenire videtur. Nam a) parum probabile est in morte viventium formas istas cadavericas repente produci. Communis hominum opinio fert in cadaveribus nihil novi substitui principio vitali, sed ea tantum remanere, quae in pereunte composito inerant. Nemo in ligno arido, in uva passa, in beluae carnibus appositis novam admiratus est substantiam, in qua modo substantiale quid denuo ortum sit, sed amissam tantum agnoscit vitam esse. b) „Si signis credere velimus, ut est apud Albertum Magnum [2], tunc signum est elementum esse in composito secundum formam hoc, quod ibi est proprietas elementi, quae est virtus eius activa et passiva secundum qualitates elementares. . . . Quum sciamus proprietatem nunquam esse sine proprio subiecto, oportebit, quod secundum aliquem modum elementum insit composito secundum formam substantialem. c) Adhuc autem in resolutione ipsum compositum non resolvitur ad materiam communem elementorum, sed potius ad elementa, et videtur etiam tunc, quod elementa sint in ipso aliquo modo secundum actum."

250. **Respondenda.** *(Ad 1,* n. 244.*)* Quidquid dicunt de forma mixti, certum est formam corporis viventis sive animam, quum sit altioris ordinis, nulla ratione ex formis elementaribus vel ex qualitatibus inter se temperatis oriri posse.

De cetero satis videmur nobis explicasse, ob quas rationes fieri non possit, ut in re una sint formae multae.

Dices: Ipsi Peripatetici multis locis docent hominem propterea esse corruptibilem, quod corpus eius ex elementis inter se hostilibus compositum sit. Sed qui hostilitati locus esse potest, si elementa cuncta una anima informantur? — *Resp.:* Phaenomena, quae in hac re reapse eveniunt, explicantur satis, si, sequentes sententiam Albertinam, ponamus manere determinationes multas substantiales, quae quidem non totaliter, tamen totae simul cum materia ab anima informatae sint.

(Ad 2.) „Esse substantiale in indivisibili consistit. . . . Unde impossibile est, quod forma substantialis quaecunque recipiat magis et minus. Nec minus est impossibile, aliquid esse medium inter substantiam et accidens." [3]

(Ad 3.) „Unaquaeque forma substantialis dat Esse simpliciter, et constituit essentiam completam in genere substantiae. Ergo una forma non potest esse dispositio ad aliam." [4] Deinde elementa chemica non tantum secundum materiam informantur ab anima, sed t o t a. Nam operationes physicae et chemicae in vita vegetali non sunt solum dispositiones, sed iis ipsis tota vita

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 6.
[2] L. 3 de coelo et mundo tract. 2, c. 8.
[3] S. Thomas, S. theol. l. c. ad 4.
[4] Suar., Disp. metaph. disp. 15, sect. 10, n. 33.

vegetalis absolvitur. Ergo non sola vivit materia prima, sed materia cum tota sua physica et chemica actualitate. Fatendum quidem est elementa non ita subdi principio vitali, ut non habeant effectus nisi eos, qui vitae inserviunt. Multa enim ab elementis tum physice tum chemice effici possunt, quae praeter vitae utilitatem, vel etiam vitae nocumento sunt. Ad id vero minime requiritur formarum materialium exsistentia, sed satis est elementorum realitas.

(Ad 4.) Permittimus determinationes substantiales, quibus substantiae organicae atque anorganicae, quae in corpore vivente insunt, in speciali suo Esse constituantur; ita tamen, ut hoc Esse, quamdiu adest anima, sit Esse incompletum. Unde illae determinationes rationem formae nullo modo habent. Fieri enim non potest, ut in re una sint formae plures.

Dices 1°: Confitentibus tamen omnibus subsistentia vel personalitas, in homine ad naturam essentialiter constitutam addita, cum hac natura unum per se constituit. Neque ergo minus repugnat, ne in re una forma addatur formae. — *Resp.:* Nulla hac in re est paritas. Nam subsistentia, quae ad naturam accedit, non est forma, sed est id, propter quod natura iam per formam substantialem constituta dicitur independens et sui iuris (Log. n. 1481). Contra in forma substantiali ratio completionis in ordine agendi et essendi est sita. Ex quo fit, ut possit aliquid ad personam trahi ita, ut cum hac personam unam constituat: neque tamen ad communionem naturae sive substantiae trahi possit ita, ut cum hac constituat substantiam unam.

Dices 2°: Difficulter tamen intelligitur, qua ratione fieri possit, ut activitas elementi subsumatur intrinsecus in actionem vitalem. — *Resp.:* Est hac in re sane aliqua obscuritas. Si quis dicit fieri posse, ut extensio *trianguli* intrinsecus subsumatur in extensionem quadranguli, nemo est, qui obloquatur; extensio enim per phantasiam repraesentari potest. Activitas per phantasiam repraesentari non potest; inde tota obscuritas. Unicuique autem cogitanti manifestum erit activitatem elementi, quae a natura etiam ad id destinata sit, ut intrinsecus vitam exsequatur, intrinsecus activitati vitali subordinari atque indi posse.

Disputatio altera.

De vita vel anima in tribus viventium ordinibus.

251. Prospectus rerum sequentium. Postquam in disputatione priore de vita generatim accepta est dictum, nunc singulatim videndum est, quae sit natura vitae in homine, in belua, in planta. Et vita quidem hoc loco intelligitur prima sive substantialis; ex qua cognita facilius erit penitius perspicere vitam secundam sive accidentalem, quae potentiis multis constituitur et habitibus habilitatibusque et actibus. De hac vita accidentali, quae est in ordine vegetativo et sensitivo, in libro altero post disputabimus; eam, quae est in ordine intellectivo, quae est gravissima, reservaturi alteri totius psychologiae parti, quam partem metaphysicam vel anthropologicam vocavimus.

SECTIO PRIMA.

De natura animae humanae.

252. **Exponitur doctrina.** Ex tribus vitae generibus, quae supra sunt constituta, primo loco consideramus id, quod perfectissimum est, vitam rationalem, quae est quaedam divinae immortalisque vitae participatio, cuius quum solus homo inter animantia sit particeps, solus ad imaginem et similitudinem Dei factus dicitur. Perfectiora enim et quae nobis propinquiora sunt, facilius perspicimus. Unde ex cognita animae humanae natura facilius ad cognoscendam naturam principii vitalis, quod est in beluis et plantis, descendemus.

Haec anima est ultima et suprema formarum naturalium, ad quam consideratio philosophi naturalis terminatur.

Anima humana ex variis suis actionibus varia nomina sortita est. Ut enim ait auctor libri de spiritu et anima (c. 34; inter opera S. Augustini): „Dum vivificat corpus, anima est; dum vult, animus est; dum scit, mens est; dum recolit, memoria est; dum iudicat, ratio est; dum spirat et contemplatur, spiritus est; dum sentit, sensus est.“

Duplex vita in anima humana distingui potest: ea, quae a materia intrinsecus dependet, vita organica, et vita spiritualis [1]. Vel etiam triplex: vita vegetativa, sensitiva, intellectiva [2]. Vel si θυμικόν a vita sensitiva distinguere velis, numerabis quattuor [3]. Propter νοῦν, quem habet homo, incredibili diversitate a viventibus reliquis separari putandus est [4].

Certum est animam humanam esse substantiam (n. 187). Certum et quoque animam humanam esse substantiam incompletam (n. 207). Ut enim recte putetur esse substantia incompleta, satis est et requiritur, ut in aliquibus suis operationibus intrinsecus pendeat a corpore. Pendet vero eo modo a corpore in activitate sensitiva et vegetativa. Ex quo consequens est, ut anima in homine sola non sit suppositum, sed pars suppositi.

Hoc loco nascitur illa quaestio, quae omni tempore habita est inter gravissimas, sitne anima humana, quamvis sit substantia incompleta, tamen substantia perfecta, i. e. substantia, quae se sola subsistat, an subsistat tantum in toto supposito, quod est homo, ita ut sine corpore per naturam suam esse non possit.

Hac de re in utramque partem et dicta sunt et scripta multa.

---

[1] L. 3 de an. c. 9, 432a, 26; De re publ. c. 5, 1254b, 9.

[2] L. 2 de an. c. 1, 412, a. 27—b, 5.

[3] L. 6 ethic. Nicom. c. 13, 1144a, 9.

[4] Ibid. c. 7, 1177a, 15 sqq.

253. Et a primis quidem temporibus apud omnes homines firmum fixumque erat eam esse animae humanae naturam, ut pereunte in morte hominis corpore anima sola superstes esse atque vivere possit. Haec de animae humanae immortalitate persuasio hominibus ex sensu naturae communi propria est (Log. n. 758) et apud cogitantem quemque confirmabatur ex consideratis huius vitae conditionibus.

Qua de re praeclare est apud PRUDENTIUM [1]:

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit
Nec poterit superesse meum post funera quidquam:
Quis mihi regnator coeli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quae iam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros ferVente libidine luxus,
Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Infitiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues avidus spoliabo clientes,
Longaevam perimam magico cantamine matrem.

Non igitur ex ipsius animae natura diligenter considerata, sed ex cognita animae humanae immortalitate concludebant illi hanc animam esse substantiam, quae non omni essendi atque operandi genere a corpore penderet. Et quoniam in repraesentanda sibi anima operationem sensus sive imaginationis omittere non valebant, initio animam dixerunt esse subtilem quandam materiam igneam sive aëream, quae umbrae instar post mortem separata a crassiore corporis materia vitam pergeret (n. 4): Sicut ANAXIMENES propter halitum animantium dixit animam esse quendam aëra, ita HERACLITUS animam igni aequiparavit, quia ignis esset res maxime fluxilis et subtilis, hinc maxime ad naturam vitae accederet. Et generatim veteres animam humanam iis significaverunt nominibus et imaginibus (velut *avis*), quibus ostenderetur se concipere animam tanquam substantiam, cuius natura naturae corporis omnino opposita esset.

Ad veritatem propius accesserunt Pythagorei et PLATO, de quorum doctrina in Prooemio satis indicavimus.

254. Primus ARISTOTELES ipsam animae humanae naturam diligenter perquisivit praecepitque naturam rerum internam ex externis phaenomenis venandam esse. Et recte id quidem. Nam modus essendi a nobis cognoscitur ex modo operandi. Unde substantia omnis, quae vel unam dumtaxat operationem habet, quae intrinsecus non pendeat a corpore, corpus superat neque a cor-

[1] L. 2 contra Symmachum v. 168 sqq.

pore in Esse suo pendere potest [1]. Sed eam operationem habet anima humana [2]. Quum enim homo intellectu cogitat quidpiam, sola anima est, quae hunc actum efficit et in se sola tamquam in loco proprio suscipit. Id demonstrat Stagirita ex cognitionis humanae ambitu et modo. Quae vero ab ipso breviter et obscure sunt dicta, ea ab eius discipulis clarissima in luce sunt posita. Cognoscit homo universalia, cognoscit materialia sub multiplici respectu immateriali, atque ad ipsa immaterialia cognoscenda assurgere potest. Potest homo reflectere in se ipsum atque dicere: Ego; hoc autem modo redire ad essentiam suam nihil aliud est quam cognoscendo manere in se ipso atque in se ipso subsistere. Ex his et rebus similibus apparet intellectum eam habere a materia independentiam, quae in facultate organica esse non potest.

Intellectum sequitur voluntas, quae fertur in bonum in genere, et praecipue in bona spiritualia, secundum aliquam boni moralis normam obligantem et cum libero arbitrio. Ex quo sequitur neque volitionem esse posse actum intrinsecus a corpore pendentem.

Id quod neque est materia, neque a materia in Esse pendet, solet vocari spirituale. Substantia spiritualis ea est, quae aut nullum ordinem habet ad informandam materiam, aut, si hunc ex natura sua ordinem habet, tamen etiam sine materia esse potest et operari. Quamquam igitur anima humana in aliquibus operationibus, sensitivis et vegetativis, intrinsecus pendet a materia, quia tamen operationes intellectivas sibi soli proprias habet, recte dicitur esse substantia spiritualis.

Haec substantia spiritualis caret partibus quum essentialibus tum integrantibus. Essentiales partes dicunt materiam et formam. Sed substantia illa spiritualis, quum sit ipsa forma corporis, ex materia et forma composita esse non potest. Neque est composita ex partibus integrantibus, id quod ex modo agendi constat. Nam cognitiones obiective simplices supponunt facultatem simplicem et hinc etiam essentiam simplicem, ex qua quippe facultas actu simplici actuanda emanet. Haec animae humanae simplicitas etiam in reflexione humana elucet. Potest enim haec

---

[1] *Εἰ μὲν οὖν ἐστί τι τῶν τῆς ψυχῆς ἔργων ἢ παθημάτων ἴδιον, ἐνδέχοιτ' ἂν αὐτὴν χωρίζεσθαι· εἰ δὲ μηδέν ἐστιν ἴδιον αὐτῆς, οὐκ ἂν εἴη χωριστή* (L. 1 de an. c. 1, 403 a, 10).

[2] *Φαίνεται δὲ τῶν πλείστων οὐδὲν ἄνευ σώματος πάσχειν οὐδὲ ποιεῖν . . . μάλιστα δ' ἔοικεν ἴδιον τὸ νοεῖν* (ibid. 403 a, 5. Atque hanc rem enucleatius proponit l. 3 de an. c. 4, 429 a, 10—b, 5).

anima ita reflecti in se ipsam, ut tota percipiat totam sitque subiectum percipiens et perceptum obiectum plane idem; id vero certe fieri non posset, si anima haberet partes integrantes.

255. Deinde de numero animarum in unoquoque homine quaerendum erit. Erant enim inter veteres, qui quattuor vel saltem tres in homine animas ponerent. Plato rationalem in cerebro voluit esse, ibi contemplantem ideas divinas; irascibilem, quae esset principium actionis et motus, in pectore collocavit; tertiam, quae ut concupiscibilis esset principium concupiscentiae, hepati inesse voluit. „Plato", ut est apud Tullium, „triplicem finxit animam, cuius principatum, i. e. rationem, in capite sicut in arce posuit; et duas partes separare voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem supter praecordia locavit." [1]

Alii posteriore tempore tres posuerunt animas, non separatas, sed inter se coniunctas et confusas.

Praeter hos vix non omni tempore erant, qui duas animas esse dicerent, unam, quae rationalis sive intellectiva esset, alteram organicam; vel etiam unam, quae esset omnis cognitionis principium, alteram vegetativam.

Separationem illam animarum a Platone positam apertis verbis reiecit Aristoteles, et satis clare significavit unam in homine animam esse, quae esset simul principium vitae rationalis, sensitivae, vegetativae. Atque Stagiritam hac de re recte iudicasse apertum esse videtur ex testimonio conscientiae, quo constat animam intellectivam experiri sensationes ut actiones suas; apertum id quoque videtur ex intima illa dependentia, qua tres in homine vitae ita cohaerent, ut manifesto appareat unum esse triplicis vitae principium. „Una operatio animae, quum fuerit intensa, impedit aliam; quod nullo modo contingeret, nisi principium actionum esset per essentiam unum." [2] Atque id ex communi apud omnes homines iudicandi et loquendi consuetudine confirmari videtur. Verum etiam haec res, quum sit gravissima, accuratius perquirenda erit.

256. Sed ordo quaerendi nondum finitus est. Primo gignitur quaestio, qua ratione fieri possit, ut anima spiritualis uniatur corpori naturali. Quae res explicatu adeo difficilis est, ut S. Augustino visa sit captu humano plane superior [3]. Non dubitaverat

[1] Tuscul. l. 1. [2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 3.
[3] De civit. Dei l. 21, c. 10.

Aristoteles suam de forma substantiali doctrinam proferre de ipsa anima humana, quum haec esset vitae rationalis principium. Hanc animam definivit actum primum corporis organici habentis in potentia vitam rationalem. Sed posteriore tempore inter ipsos Aristotelicos exorti sunt, qui dicerent fieri non posse, ut substantia animae rationalis per se esset forma corporis. Contra quos Aquinas praeclare veritatem ab Aristotele in philosophiam introductam est tuitus.

Et alia est etiam quaestio, quae cogitantem quemque percellere debet, qua quaeritur, qua ratione anima humana oriatur. Qua de re ingens est inter philosophos opinandi varietas.

Quum probatum sit animam esse substantiam vires materiales superantem, probatum quoque est animam nulla elementorum mixtione oriri posse: „Si principium alicuius operationis ab aliquibus causis procedit, oportet operationem illam non excedere causas illas, quum secunda agat virtute primae. Operatio autem animae nutritivae etiam excedit virtutem qualitatum elementarium; probat enim Aristoteles, quod ignis non est causa augmenti, sed concausa aliquo modo; principalis autem causa est anima, ad quam comparatur calor sicut instrumentum ad artificem. Non igitur potest anima vegetabilis produci ex commixtione elementorum; multo igitur minus sensus et intellectus possibilis.“ [1] Haec igitur, quae est materialistarum, opinatio a limine reicienda est; et ulteriorem de ortu animae quaestionem agere oportet.

Quum gravis sit res, quae de ortu animae humanae agitur, tum admodum ponderosa quaestio est, qua quaeritur, sitne mortuo homine eius anima superstes futura. Quum nulla unquam hac de re apud ullum sapientem hominem dubitatio fuerit, non mirum etiam Aristotelem multis locis immortalitatem animae aperte docuisse [2].

Hanc vero de immortalitate animae humanae disputationem consultius ducimus ut ad partem psychologiae alteram, quae est anthropologica, transferamus. Prius enim summa accuratione de operationibus vitae intellectivae videndum est, quam de vita animae separatae ad rem accommodate dicere possimus.

Itaque in hac sectione, quae est de natura animae humanae, erunt paragraphi quinque: prima de animae humanae spiritualitate et simplicitate; secunda de unicitate animae in homine; tertia de unitate ex anima et corpore resultante; quarta de unione animae rationalis cum corpore; quinta de animae humanae origine.

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 62.

[2] De anima humana dicens: *χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον* (l. 3, c. 5, 430a, 22. Cfr. l. 1, c. 1, 403a, 3 sq.; l. 2, c. 2, 413b, 24; l. 3, c. 4, 429a, 18. Cfr. Roffes, Die Arist. Auffassung vom Verhältnisse Gottes zur Welt [Berlin 1892] p. 165).

§ 1. De animae humanae a materia independentia eiusque simplicitate.

257. **Ordo probationis.** Aristotelicis id acceptum fuisse audivimus, ut de animae humanae natura peterent notitiam ex humanis operationibus. Atque ita animae humanae a materia independentiam probaverunt ex quarundam operationum humanarum a materia independentia. „Necesse est dicere, id quod est principium intellectualis operationis, quod dicimus animam hominis, esse quoddam principium incorporeum et subsistens. Manifestum enim est, quod homo per intellectum cognoscere potest naturas omnium corporum. Quod autem potest cognoscere aliqua, oportet ut nihil eorum habeat in sua natura, quia illud, quod inest ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum: sicut videmus, quod lingua infirmi, quae infecta est cholerico et amaro humore, non potest percipere aliquid dulce, sed omnia videntur ei amara. Si igitur principium intellectuale haberet in se naturam alicuius corporis, non posset omnia corpora cognoscere. Omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam. Impossibile est igitur, quod principium intellectuale sit corpus. Et similiter impossibile est, quod intelligat per organum corporeum; quia si esset natura determinata illius organi corporei, prohiberet cognitionem omnium corporum: sicut, si aliquis determinatus color sit non solum in pupilla, sed etiam in vase vitreo, liquor infusus eiusdem coloris videbitur. Ipsum igitur intellectuale principium, quod dicitur mens vel intellectus, habet operationem per se, cui non communicat corpus. Nihil autem potest per se operari, nisi quod per se subsistit; non enim est operari nisi entis in actu. Unde eo modo aliquid operatur, quo est; propter quod non dicimus, quod calor calefaciat, sed calidum. Relinquitur igitur animam humanam esse aliquid incorporeum et subsistens.“ [1]

Quaeritur primo:

sitne anima humana substantia in se subsistens, i. e. spiritualis.

258. **Notio vocis.** Nomen spiritus a respiratione animalium tractum videtur, qua aër cum quodam motu infertur et emittitur. Ex qua re nomen ad impulsum et motum cuiuscunque aërii cor-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 2.

poris, velut *ventum*, translatum est, fortasse propter aëris invisibilitatem. Et inde ulterius ea vox sumpta est ad indicandum aliquod, quod agit vel movet, neque tamen sensu percipi potest[1]. Sic corpora subtilissima et vires naturae nuncupabantur spiritus; et praecipue vires omnes cognoscitivae eaque omnia, quae ad constituendam cognitionem spectant[2], quae hodie vocantur „psychica“. Hac nostra aetate ex usu communi vis huius vocis restricta est, ad significandam videlicet substantiam immaterialem in se subsistentem, velut Deum, angelos. Et quia substantiae immateriales sunt simplices, conceptum simplicitatis cum conceptu spiritualitis coniungere solent.

Nonnulli ex SS. Patribus animam humanam dixerunt esse corpus sive corpoream[3]. Qua de re recordandum est isto tempore haud raro id omne vocatum esse corpus, quod reale sit et in se subsistens. Hoc modo ipsum Deum dixerunt esse corpus. Ideo S. Hilarius animam humanam corpoream dixit, quod ea esset mutationi obnoxia. Praeclare hac de re S. Augustinus[4]: „Incorpoream esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne verbi controversiam vel superfluo faciam vel merito patiar, quoniam, quum de re constat, non est opus certare de nomine: si corpus est omnis substantia vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo est in se ipso, corpus est anima. Item, si solam illam placet incorpoream appellare naturam, quae summe incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in totò, non est corpus anima.“

Spirituale igitur id dicitur, quod est materiali oppositum. Vox vero „materiale“ duplicem habet significatum. Primo enim ea voce vel ipsam materiam (Phil. nat. n. 212) significant, vel id quod ad eam ex natura sua intrinsecus pertinet, sive ut pars constituens sive ut accidens. Secundo illud „materiale“ dicunt, quod, quamvis sit a materia eiusque accidentibus diversum atque aliquam supra materiam elevationem habeat, tamen non eo gradu supra ipsam elevatum est, ut materiae non indigeat tanquam principii ad exsistendum necessarii.

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 4, c. 23.

[2] Id. S. theol. 1, q. 14, a. 1; Summa c. gent. l. 2, c. 62.

[3] Ita inter alios S. Hilarius (Comment. in Matth. c. 5), S. Hieronymus (in Matth. c. 10), Lactantius (Institut. l. 2, c. 10), Clemens Alex. (l. 1 in ep. 1 Petri).

[4] Epist. 166 ad Hieron. c. 2, n. 4.

Formae autem substantiales, quae materiales sunt, in triplici genere reperiuntur; sunt enim aut formae materiae brutae, aut principia vitalia plantarum, aut animae beluarum. Atque hae formae materiales a materia pendent: a) in operando, ita ut nulla ipsis sit operatio, quin a materia intrinsecus pendeat; b) in exsistendo, quia in se subsistere non possunt; c) in Fieri, quia ex natura fieri non possunt, nisi per eductionem ex materia intrinsecus sustentante; d) in quidditate, quia omissa ad materiam relatione definiri non possunt.

Scholion. Est aliqua inter psychologos dicendi diversitas. Sunt enim, qui una spiritualitatis voce et simplicitatem et internam a materia independentiam comprehendant. Qui substantiam spiritualem definiunt substantiam, quae in se subsistat a materia non pendens neque partibus integrantibus neque partibus essentialibus componatur. Alii voce spiritualitatis solam subsistentiam perfectam et immaterialitatem sive a materia independentiam significari volunt, ita tamen, ut huic spiritualitati ex naturae necessitate simplicitas adiuncta sit.

259. **Adversarii.** Vix ullo tempore deerant, qui spiritualitatem et simplicitatem animae humanae negarent. Qui error nomine materialismi speciali ratione insignitur. Et duplex distingui potest.

Materialismus crassior ille est, qui tenet animam omnem nihil esse praeter materiam passivam ex se per spatium diffusam sive atomicam; cui plures concedunt vires chemicas vel physicas tanquam principium activum. Qui igitur ponunt animam humanam esse aut ignem aut vaporem aut harmoniam partium materialium, aut aliud quid in hoc genere. Atque horum errorem confutatum habemus; ostensum est enim animam humanam esse substantiale quid (n. 187 sqq.).

Materialismus subtilior est illorum, qui de animae substantialitate non disputant, negant tamen ullum esse discrimen inter animam humanam et beluinam, quod essentiale sit. Qui intellectum a sensu non discernentes ponunt operationes intellectuales a corpore pendere eodem prorsus modo, quo operatio sensus a corpore pendeat; hinc animam intellectivam consequi naturam unice animalem.

Hanc autem opinionem ab Aristotele penitus confutatam esse audivimus, ostendente animam humanam habere Esse absolutum a corpore non pendens. Cuius probationis medium ex quibusdam operationibus humanis tractum esse scimus. Quum enim operatio naturaliter non possit esse nisi rei per se exsistentis, necesse est, ut illud, quod ex se habet operationem absolutam,

ex se habeat etiam Esse absolutum. Operatio autem intellectus ita est ipsius absolute, ut nullum organum in hac operatione partes habeat.

Quod praecipue patet ex rationibus tribus, quas Aquinas extensius proponit [1].

Primo intellectus percipit aliquo modo immaterialia velut Deum et substantias immateriales et de illis veras propositiones efformat. Atque etiam ipsas res materiales apprehendit sub rationibus immaterialibus, et sese ad res omnes materiales extendere potest. Ergo fieri non potest, ut cognoscat organo corporeo, quia natura determinata istius organi corporei prohiberet cognitionem omnium corporum [2]. Secundo Intelligere est universalium; in organo autem corporali recipi non possunt nisi intentiones individuatae. Tertio, quia intellectus intelligit se, quod non contingit in aliqua virtute, cuius operatio sit per organum corporale; cuius ratio est, quia cuiuslibet virtutis operantis per organum corporale oportet ut organum sit medium inter ipsam et obiectum eius. Visus enim nihil cognoscit nisi illud, cuius species potest fieri in pupilla. Unde quum fieri non possit, ut organum corporale cadat medium inter virtutem aliquam et ipsam essentiam virtutis, non erit possibile, ut aliqua virtus operans mediante organo corporali cognoscat se ipsam [3].

Facilius vero ab hominibus intelligitur veritas falsitasve alicuius doctrinae ex iis, quae inde tanquam ex semine per rectam consequentiam evolvuntur. Si anima humana spiritualis non esset, de eius immortalitate actum esset, de qua tamen nemo, qui conditiones vitae humanae consideraverit, dubitare potest. Actum quoque esset de omni ratione instituendae vitae, quae sit homine digna [4].

260. Rationes dubitandi. Videtur anima humana non esse in se subsistens, sed intrinsecus pendere a corpore. Nam (1.) nulla est operatio hominis, quae non pendeat a corpore; atque ipsum Intelligere fieri non potest sine phantasmate, quod sit in corpore.

(2.) Anima omnes mutationes patitur, quas subit corpus. Oritur, augetur cum corpore; sana est cum sano, aegrotat cum aegroto; in omnibus suis operationibus mutato cibo vel potu commutari potest, atque laeso cerebro ipse intellectus in operationibus suis perturbatur.

(3.) Organum intellectus est cerebrum. Nam illud est organum alicuius facultatis, a cuius maiore minoreve perfectione perfectio huius facultatis in operando dependet. Sed constat a maiore minoreve numero et complicatione circumvolutionum cerebralium, et maiore minoreve pondere et volumine cerebri pendere gradum maiorem minoremve virium intellectivarum. Nulla ergo est in homine facultas, quin pendeat a materia.

(4.) Quod est pars substantiae, non est subsistens; sed anima est pars hominis.

(5.) Anima humana est forma corporis, et est radix et principium omnium affectionum corporearum. Ergo etiam ipsa est corporea.

---

[1] S. Thomas 2, dist. 19, q. 1, a. 1.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75 a, 2. Cfr. in l. 3 de an. lect. 7.

[3] S. Thomas 2, dist. 19, q. 1, a. 1.

[4] Qui negat animam humanam esse spiritualem, vitam suam eo modo instituet, qui praeclare describitur in libro Sapientiae c. 2.

(6.) Filius assimilatur patri etiam in accidentibus animae; sed filius generatur a patre per decisionem corpoream; ergo anima erit corporea.

261. **Thesis: Anima humana est natura sua independens a corpore, hinc in se subsistens et spiritualis.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Non est nobis in animo, ut hac thesi exaggeratum illum spiritualismum profiteamur, qualis proponebatur a Platonicis et Cartesianis.

Qui, arbitrantes non tantum aliquas, sed omnes potentias etiam sensitivas esse solius animae, independentiam omnimodam animae humanae a materia statuerunt. Sed spiritualismo quodam moderatiore contenti sumus. Revera enim anima humana propter informationem et unitionem (n. 207) cum corpore ab hoc aliqua ratione dependet, sive extrinsecus (in operationibus intellectualibus) sive intrinsecus (in operationibus organicis), et in multis rebus easdem subit vicissitudines, quas subit corpus. Propter illam unitionem informationemque anima humana est et subsistit etiam in composito, vel in materia, quia illud Esse, quo in se subsistit, ad totum, hinc etiam ad materiam extendit, atque ita Esse suum, quod in se iam est perfecte subsistens, in materia complet.

Praenota 2°. Spirituale hoc loco re idem significat atque immateriale vel incorporeum.

Interdum haec vocabula latiore sensu accipiuntur trahunturque ad significandum omne illud, quod ex se est insensibile vel motivum, quo sensu etiam anima beluina est spiritualis et vis quaelibet, quin immo ea, quae imponderabilia vocantur. Interdum restringitur vox ad significandam virtutem quamlibet cognoscitivam sive psychicam (n. 258).

Nos hoc loco, vi vocis magis etiam restricta, spirituale illud intelligimus, quod ex se et naturaliter esse potest sine materia. Itaque conceptus spiritualitatis a conceptu simplicitatis hoc loco diversus est. Spiritualitas enim idem significat, quod independentia ipsius Esse, neque independentia qualiscunque (velut ea, quam etiam lapis habet), sed independentia a substantia extensa vel corporea.

Praenota 3°. Qui naturam animae cognoscere vult, attendere debet ad eius potentias et operationes. Nos enim ipsum Esse rerum cognoscere non possumus nisi ex earum Posse et Operari.

Ex Operari concludimus ad Posse: „Non enim operatio potest esse altioris ordinis, quam sit potentia; quum et potentia per actus specificetur, et e converso actus a potentia habeat suam dignitatem et excellentiam: tum etiam, quia illa operatio est actus immanens, qui in eadem potentia recipitur, a qua elicitur.“ [1]

Et ex Posse concludimus ad Esse. Nam sicut est proportio inter Operari et Posse, ita etiam proportio est inter potentias et substantiam.

Itaque spiritualem dicemus substantiam, quae saltem in aliquibus suis operationibus ab organorum materialium adiumento

[1] Suar. l. 1 de an. c. 9, n. 24.

intrinsecus est independens, quae igitur, ut sit et agat, non indiget corporis.

Praenota 4°. Haec thesis adversarios habet materialistas (n. 259).

262. **Argumenta.** *Arg. I* (ex immortalitate animae humanae). A primis generis humani initiis omnibus hominibus a natura insita erat de alterius post mortem vitae exsistentia firma persuasio. Ex qua persuasione proficiscentes philosophi, in naturam animae humanae quum maxima cum accuratione inquirerent, hanc animam spiritualem esse dixerunt. Et recte id quidem.

Nam 1. „multum", ut est apud Senecam (Epist. 117), „dare solemus praesumptioni omnium hominum, et apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; quum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium". „Omni in re", inquit Tullius, „consensio omnium gentium lex naturae putanda est" (Log. n. 758).

2. Ea persuasio, quae ad vitam humano modo instituendam humano generi est necessaria, falsa esse non potest. Sed hominibus persuasum esse debet animam post mortem hominis fore superstitem, modo vitam homine dignam ducere velint. Ergo haec persuasio veritati est congruens.

3. Unusquisque homo natura impellente desiderat beatitudinem. Sed in hac vita terrestri nulla beatitudo acquiri potest, quae homini satis sit. Ergo post mortem altera erit vita; nam natura non est mendax.

4. „Entia nolunt male gubernari", id quod scite Aristoteles. Mala autem est gubernatio, qua peccata praemiis, virtutes poenis plectuntur; id quod hominibus saepissime contingit, si anima interit in morte hominis. Ordo igitur iustitiae id sibi expostulat, ut post hanc altera vita futura sit.

5. Atque etiam in rebus reliquis tota hominum vita his in terris est incompletum quid, et futurae vitae inchoatio et praeparatio.

De his et rationibus similibus post dicendum erit extensius.

Sed satis nobis dixisse videmur, ut statuamus animam humanam post hominis interitum sine corpore superstitem atque victuram fore. Unde recte conclusum est animam humanam esse substantiam perfectam, quae sine corpore esse et operari possit.

Obicies: Immortalitas animae suo loco probanda erit ex animae spiritualitate. Ergo non sine circulo vitioso hoc loco spiritualitas ex immortalitate

deducitur. — *Resp.:* Certe etiam ex spiritualitate immortalitas demonstrari potest. Sed sunt etiam rationes, ex quibus, omissa spiritualitate, immortalitas certo probatur. Neque desunt, qui putent has rationes hominibus captu faciliores esse. His ut satisfaciamus, ex facilioribus difficiliora deducere conati sumus in hoc argumento. Et historia teste prius et certius hominibus de immortalitate erat persuasum, quam de spiritualitate.

263. *Arg. II* (ex naturali hominum agendi modo ab organis intrinsecus independenti). Ens quodlibet eo modo, quo est, operatur, et eo modo, quo habet Operari, habet etiam Esse. Si igitur operationes omnes, quae sunt ex anima humana tanquam ex principio, essent in coniuncto tanquam in subiecto, etiam anima ipsa esset putanda habere subsistentiam suam non in se, sed tantum in coniuncto, cuius pars est; solum enim coniunctum esset subiectum per se subsistens. Si vero aliquae saltem ex istis operationibus sunt intrinsecus a corpore independentes, iam anima ipsa putanda est esse substantia in se subsistens et a materia independens. Quod enim non subsistit in se et est a materia intrinsecus dependens, id nullam plane operationem a materia intrinsecus independentem habere potest. Atqui anima humana revera habet aliquas operationes, quae a corpore intrinsecus sunt independentes. Ergo anima humana est spiritualis [1].

Prob. min. per partes, tum ex parte voluntatis tum ex parte intellectus.

1. Ex parte voluntatis. Ex appetitu alicuius rei (n. 95, 3) cognoscitur substantia et Esse eius; quia unumquodque appetit et operatur, secundum quod est ens, et propria appetitio operatioque sequitur propriam ipsius naturam. Non potest igitur perfici appetitus et operatio alicuius rei, nisi secundum quod perficitur eius substantia. Si igitur anima secundum appetitum suum perficitur in relinquendo et superando corporea et sensibilia, non potest esse forma materialis [2].

In homine autem non sunt solum appetitiones ordinis sensitivi: appetitus ille naturalis, quo omne animal fertur in bonum naturale individui et specici sub respectu sensibilitatis, et appetitus ille elicitus, quo omne animal necessitate naturae fertur in illud bonum singulare, quod percipitur ab animali habere vim maximam ad satiandam concupiscentiam vel quietandum stimulum instinctus sui; qui appetitus haud raro cum passione coniunctus

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 2. Cfr. Quaest. disp. q. de an. a. 1.
[2] Cfr. S. theol. 1, q. 75, a. 1. 2; Summa c. gent. l. 2, c. 39. 50.

est, videlicet irascibilis et concupiscibilis, quae sunt in parte sensitiva. Sed sunt etiam appetitiones, qui sunt ordinis alterioris: appetitus naturalis, quo fertur in bonum in communi non solum sub ratione sensibilitatis, sed praecipue sub ratione ordinis et honestatis moralis, et assequendae spiritualis beatitudinis; et appetitus ille elicitus, quo homo tanquam dominus actuum suorum fertur cum libera electione in bonum illud, quod sibi praeplacere vult, sive sit ordinis materialis, sive ordinis spiritualis, praelucente semper aliqua norma honestatis moralis. Quae quum ita sint, ex consideratione voluntatis quattuor argumenta peti possunt, quibus demonstretur voluntatem hominis facultatem esse non organicam, sed solius animae.

a) Ex universalitate obiecti. Nam „nulla virtus, cuius operatio se extendere potest ad universalia omnium formarum sensibilium, potest esse actus alicuius corporis; voluntas autem est huiusmodi; omnium enim eorum, quae intelligimus, possumus habere voluntatem saltem ea cognoscendi. Apparet etiam actus voluntatis in universali: odimus enim in universali *latronum* genus; irascimur autem particularibus tantum. Voluntas ergo non potest esse actus alicuius partis corporis, nec consequi potentiam aliquam, quae sit actus corporis“ [1].

b) Ex spiritualitate obiecti voluntatis. Nulla facultas organica appetere potest obiecta spiritualia sive immaterialia, sive obiecta, quae omnem ambitum materiae transcendunt. Atqui obiecta, quae sunt in hoc genere, a voluntate humana appetuntur. Appetit enim homo beatitudinem omnem sensum supergredientem, appetit virtutem, honestatem, sapientiam, scientiam.

Cuius rei contrarium videmus in beluis. „Ad hoc ordinatur operatio cuiuslibet rei sicut in finem, in quo sua delectatio figitur. Delectationes autem brutorum animalium omnes referuntur ad conservantiam corporis; non enim delectantur in sonis, odoribus et aspectibus, nisi secundum quod sunt indicativa ciborum vel venereorum, circa quae est omnis eorum delectatio. Tota igitur operatio eorum versatur ad conservationem Esse corporei sicut in finem. Non est igitur eis aliquod Esse absque corpore.“ [2]

Alia vero sunt, quae appetuntur ab homine ut homo est. Homo appetit scientiam; secundum scientiam vero tanto magis perficitur, quanto magis immaterialia considerat. Homo appetit intellectum; Intelligere autem est universalium et immaterialium. Homo appetit manere perpetuo sive esse non solum hic et nunc, sicut bruta animalia, sed esse perpetuo. Homo appetit virtutem; virtutis autem perfectio consistit in hoc, quod homo corporis passiones non

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 60. [2] Ibid. c. 82.

sequatur, sed eas secundum rationem temperet et refrenet; quin immo cuncta bona ordinis sensibilis spernat ad conservandum bonum honestum ordinis moralis [1].

c) Ex norma boni honesti moralis, qua voluntas se obligatam esse percipit. Exsistit in homine participatio cuiusdam legis universalis, aeternae, immutabilis, qua habet naturalem inclinationem ad certos fines et actus. Quae est „nihil aliud quam lumen intellectus insitum nobis a Deo, per quod cognoscimus, quid agendum et quid vitandum“ [2]. Sicut enim cum evidentia iudicamus quaedam bona, quaedam mala esse, iudicamus quoque actiones malas omnes vitandas esse, ex bonis autem illas, quae ad integritatem ordinis et honestatis sint necessariae, ponendas esse [3]. Sed norma huius obligationis reperiri non potest in facultate organica. Nam est universalis et absoluta, atque omne bonum ordinis sensitivi longe superat.

Atque haec veritas ab ipsis nostrae thesis adversariis invitis agnoscitur. Omnes enim inter bonum et malum hominem non distinguunt ex norma alicuius boni sensibilis, ut *pecuniae, gloriae externae, roboris corporalis, voluptatis,* sed secundum normam honestatis moralis, quae totum ambitum rerum naturalium supergreditur. Et agnoscunt homini necessarium esse, ut persuasum habeat se non sensibili naturae immersum esse [4].

d) Ex libertate arbitrii, qua voluntas humana est praedita. Omnis actio organica sequitur impressionem effectam a natura in organo et est quasi naturalis reactio ad eam impressionem consequens. Non enim non potest re tota et omni ex parte subici viribus naturae et externorum agentium. Sed voluntas post acceptas impressiones et habitas cognitiones respectu omnium bonorum finitorum cum libertate eligere potest: potest contemnere obiectum movens, ab actione abstinere, immo oppositum assumere. Et tanta est haec vis voluntatis humanae, ut rem vehementius inclinantem superare et infirmiori adhaerere

[1] Dicit Plato: *Ψυχῆς οὖν ἀνθρώπῳ κτῆμα οὐκ ἔστιν εὐφυέστερον· εἰς τὸ φυγεῖν μὲν τὸ κακόν, ἴχνεῦσαι δὲ καὶ ἑλεῖν τὸ πάντων ἄριστον* (l. 5 de legg. 5, 728 C).

[2] S. Thomas, Opusc. 4, c. 1. Cfr. S. theol. 1, 2, q. 91, a. 2 ad 2.

[3] Id. S. theol. 1, 2, q. 21, a. 1.

[4] Inter alios David Strauss tanquam axioma fundamentale moralitatis statuit: „Vergiss in keinem Augenblick, dass du Mensch und kein blosses Naturwesen bist“ (Alter und neuer Glaube p. 242). Et alio loco (p. 163): „Im Menschen hat die Natur nicht nur überhaupt aufwärts, sie hat über sich selbst hinausgewollt: er soll also nicht wieder bloss ein Thier, er soll mehr und etwas Besseres sein. . . . Die sinnlichen Bestrebungen und Genüsse sind schon in der Thierwelt voll entfaltet und erschöpft, um ihretwillen ist der Mensch nicht da.“

possit atque pro libitu statuere, quodnam ex multis diversi generis bonis sibi hic et nunc eligere velit. Unde si intellectus et voluntas essent vires corporeis organis obligatae, ex necessitate sequeretur impressiones organicas esse causas, quibus electiones et actus humani omnino determinarentur, „et ex hoc sequeretur, quod homo naturali instinctu ageretur ad suas actiones, sicut cetera animalia, in quibus non sunt nisi vires animae corporeis organis obligatae, . . . et ita sequeretur, quod homo non esset liberi arbitrii, sed haberet actiones determinantes, sicut et ceterae res naturales; quae manifeste sunt falsa, et conversationi humanae contraria“ [1].

264. 2. Ex parte intellectus. In homine non sunt solum cognitiones ordinis sensitivi, sed etiam cognitiones ordinis supersensibilis [2]. Ad hunc ordinem spectant cognitiones universales, cognitiones, quae repraesentant quidditates rerum ab omni concretione materiali abstractas, deinde cognitio etiam reflexionis perfectae. Sed quae sunt in hoc genere cognitiones, eae a facultate organica effici non possunt. Habet ergo homo facultatem immaterialem. Accidens autem immateriale subiecto materiali inhaerere non potest. Ergo etiam substantia animae est immaterialis.

a) Ex universalitate cognitionis humanae. Si id, quod intelligit, esset organum sive aliquid compositum ex forma et materia, formae rerum reciperentur in eo ut individuales, et sic non cognoscerentur nisi singularia, sicut accidit in potentiis sensitivis. Manifestum est enim, quod omne, quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis; sic autem cognoscitur unumquodque, sicut forma eius est in cognoscente. Atqui principium intellectionis, quod est in homine, cognoscit res ut universales et ab omni individualitate abstractas, velut naturam *lapidis* puta lapidem, in quantum est lapis absolute; est igitur forma lapidis absolute secundum propriam rationem formalem in principio intellectivo. Ergo id quod in homine intelligit, nullo modo est organicum quid [3].

b) Ex ratione immateriali, sub qua homo obiecta percipere potest. Si intellectus totum suum Agere in composito haberet, homo nihil perciperet de rebus corporeis, nisi quod operatione organica attingere potest; cognosceret igitur materialia

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 115, a. 4.

[2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 66. [3] Id. Summa theol. 1, q. 75, a. 5.

tantum sub ratione materiali. Atqui reapse tamen res sub ratione cognoscit immateriali. Cognoscit enim res secundum genus et speciem, secundum essentiam et proprietates et accidentia et relationes multiplices, cognoscit rationes abstractas entis, unius, veri, boni, atque etiam ipsas rationes et res spirituales cognoscit, et plurima cogitat, quae, quum ab omni tempore et loco et extensione et qualitate sensibili remota sint, a nulla facultate organica repraesentari possint.

Vel sic: Obiectum facultatis organicae nullo modo extra sensibilitatis ambitum egredi potest. Atqui homo ab obiecto removere potest, quidquid est sensibile, et tamen retinet, quod cognoscat. Ita cognoscit possibilitatem, contingentiam, necessitatem, ius, officium, infinitudinem, aeternitatem, spiritum atque ipsum Deum. Ergo homo facultatem cognoscitivam habet, quae minime coarctata est ad res sensibiles tanquam ad obiectum suum specificativum.

Obicies: Nemo, qui sanae mentis sit, dubitat, quin anima humana finita sit et tamen cognoscere possit infinita. Ergo pari ratione anima potest cognoscere spiritualia etsi ipsa est materialis. Maior enim distantia est inter finitum et infinitum, quam inter materialia et spiritualia. — *Resp.:* Nos non ad distantiam provocavimus, sed ad diversitatem naturae vel ad defectum proportionis. Infinitum quum sit ens, est intelligibile, neque est positum extra sphaeram obiectorum potentiae intellectivae; haec ergo ope negationis limitum et discursus cognoscere potest infinitum (Log. n. 1425). E contrario id, quod spirituale est, est extra sphaeram obiectorum potentiae materialis, quae materialia tantum cognoscere potest, sicut sibi obiciuntur. Negata materialitate entis non manet quidquam, quod sit sensibile. Negata autem finitudine entis manet ens; manet ergo aliquid, quod intelligi possit.

c) Ex reflexione perfecta. Homo ad se ipsum per cognitionem redit reditione completa, non quidem cognoscendo se ipsum secundum nudam substantiam, sed secundum quod haec est actuata in variis suis operationibus. Et primo quidem cognoscit homo res extra se positas (Log. n. 608) easque intelligit; tum redeundo quasi actus cognoscit, et in actibus facultatem cognoscit et in facultate, qua obiectum aliquod directe intelligit, super hanc suam directam cognitionem reflectitur ita, ut in actu reflexivo actus cognoscens ut sic simul obiectum cognitum esse possit. „Omnis intelligentia intelligit essentiam suam, quia simul est subiectum intelligens et obiectum intelligibile. . . . Si se ipsam videt, intelligit quoque, se esse intelligentiam, quae percipiat se ipsam.“ [1]

Quae quum ita sint, hoc modo argumentum institui potest. Homo quum dicit: „Ego cogito“, ipsum Esse proprium a cogi-

[1] Lib. de causis § 12. Cfr. Bardenhewer, Lib. de causis (Freiburg 1882) p. 175.

tatione secernit illudque in hac invenit ex eaque evolvit. Ergo homo intelligit se ipsum. Et reapse homo non solum se cogitare scit, sed etiam se reflectere in cogitationem et in reflexionem et in reflexionis reflexionem reflectere posse.

Atqui id contingere non potest in virtute, quae actum non habet nisi per organum. Ergo ex reflexionis negotio constat intellectum non esse facultatem organicam.

Prob. min. In reflexione virtus operativa in suo actu posita simul sibi obiecta est. Reflexio enim ad immanentiam vitalem addit aliam peculiarem, quae identitate obiecti et subiecti constituitur. Sed nulla virtus organica agere potest, nisi prius organum moveatur ab obiecto cognoscendo ipsum.

Vel aliis verbis: Ut facultas aliqua percipiat se ipsam, a se ipsa moveri debet: siquidem omnis facultas in actum prodiens a re obiecta moveatur necesse est. Atqui nulla facultas organica potest movere vel immutare se ipsam. Quum enim sit corporea, agit ut quantum et extensum et hinc a contactu dependens. Contactus autem in his rebus non est eiusdem ad se, sed unius ad alterum.

Vel alio modo: „Redire ad essentiam suam nihil aliud est, quam rem subsistere in se ipsa. Forma enim, in quantum perficit materiam dando ei Esse, quodammodo supra ipsam effunditur. In quantum vero in se ipsa habet Esse, in se ipsam redit. Virtutes igitur cognoscitivae, quae non sunt subsistentes, sed actus aliquorum organorum, non cognoscunt se ipsas, sicut patet in singulis sensibus. Sed virtutes cognoscitivae per se subsistentes cognoscunt se ipsas.“ [1]

Accedit ut anima humana non reflectatur in se intuitione, sed eo, quod percipit relationem actionum suarum passionumve ut phaenomenorum ad se ipsam ut illarum causam subiectam. Sed nullum organum corporeum hoc modo a relatione vel ab ipsa subiecti essentia impressionem accipere potest.

d) Ex independentia operationis intellectivae ab omnibus conditionibus materialibus. Homo cogitat universalitatem, infinitudinem, causalitatem, varias relationes logicas et ontologicas, affirmationes, negationes; atque haec et alia cognoscit per remotionem a rationibus materialibus, per abstractionem varii generis, per reflexionem, comparationem, praedicationem, per ratiocinationem quum inductivam tum deductivam. Praeterea super omnes sensationes reflectere, eas corrigere, iis obloqui potest. Quin immo specie externa contra cognitiones internas loqui et agere potest. Potest etiam cognoscere indefinite multa, potest adhibere computos mathematicos admodum complexos; potest disponere variis rationibus materiam, colores, sonos secundum leges

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 14, a. 2 ad 1.

artis et prudentiae. Ascendere potest volatu altissimo in regnum possibilium, atque etiam concludere ad causas et effectus loco et tempore dissitos, ad causam omnium primam, et ad finem omnium ultimum.

Sed facultas, quae hoc modo a condicionibus materialibus et ab impressionibus est independens, non potest esse organica.

265. *Confirmatur 1°* (ex principatu quodam animae humanae supra corpus). Videmus animam humanam habere aliquam libertatem sive independentiam a corpore, qua non fruitur anima sensitiva. Dum potentiae sensitivae (velut phantasia, memoria) infirmantur senescente corpore, potentia intellectiva longo usu et progrediente aetate acutior atque expeditior evadere solet. Praeterea non subdita est impressionibus externis. Iisdem habitis sensationibus diversa ratione discernit, iudicat; fallacias sensuum corrigit, variis instrumentis sensus adiuvat, in sensationem reflectitur, non solum reflexione ontologica versus res obiectas, sed reflexione etiam psychologica quiescendo in ipso actu cognitionis. Praeterea passionibus resistere, affectus dominari potest. Iisdem habitis cognitionibus libere se in hanc vel illam partem vertere potest.

Confirmatur 2° (ex unicitate speciei animalium rationalium). Si anima intellectiva non esset forma in se subsistens, sed materialis, pro diversa complexione corporis organici possent esse diversae species intellectivorum, sicut pro diversa complexione corporis organici inveniuntur diversae species sensitivorum. Et quia ex experientia constat naturam in omni ordine rerum specificos gradus entium multiplicasse, revera ita esset. Reapse autem est una tantum species animalium rationalium. Ex quo igitur apertum est non pertinere animam intellectivam hominis ad ordinem perfectionis corporeae, sed infimum gradum tenere in superiore ordine perfectionis spiritualis. Et haec tantum potest esse ratio, cur unica dumtaxat sit species animalium rationalium, quia videlicet nonnisi id, quod est supremum in ordine perfectionis corporeae atque organicae, potest in unam coniungi naturam cum eo, quod est infimum in ordine perfectionis incorporeae sive spiritualis. Nam hoc ubique in transitu ab uno ordine ad alium observatur: supremum infimi tangere infimum supremi ad servandam continuitatem in gradibus entium integram.

266. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Corpus requiritur ad actionem intellectus non sicut organum, quo intellectio efficiatur, sed ratione obiecti. „Phantasma enim comparatur ad intellectum, sicut color ad visum; sic autem indigere corpore, non removet intellectum esse subsistentem.“ [1] Ea de re trita erat apud Aristotelicos haec comparatio: Anima quamdiu est in corpore, ut intelligat sese „convertere“ debet ad phantasiam, sicut is, qui vehitur curru, ut videat regionem, sese convertere debet ad currus fenestras. Vel comparari potest

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 2 ad 3.

intellectus homini, cuius oculi per necessitatem sunt ad aliquem fontem directi, ita ut alia videre non possit, nisi quae in aquae superficie quasi in speculo repraesententur. Simili fere modo anima unita corpori, ut species universalium sibi formet, species rerum singularium, quae sunt in sensu interno (vel potius res ipsas his speciebus repraesentatas), per reflexionem intueri debet. Unde turbato sensu interno anima recte intelligere non potest, sicut iste homo recte videre non potest, quum fons iste turbatus est.

Dices: At anima intelligens etiam in ipsa sua actione ab actione corporis omnino pendet. Sed sicut pendet Agere, ita pendet Esse. Ergo etiam secundum Esse pendet a corpore. — *Resp.: Dist. antec.:* Anima a corpore in actione dependet extrinsecus, in actionis inchoatione, per concomitantiam, mediate, ratione informationis, atque haec omnia, quamdiu est in corpore, *conc. antec.* dependet perfecte, intrinsecus, immediate, ratione sui, atque hinc ex necessitate absoluta, *nego antec.*[1] Itaque anima non dependet ab organo nisi eo modo, quo pictor indiget ministrante tabulam, vel pulsator organi levatore follium, vel mola aquaria pendet a catarracta.

Inst.: Anima humana ipsa in corpore recipitur. Sed Operari sequitur Esse. Ergo etiam omnes operationes animae in corpore recipiuntur. — *Resp.: Dist. mai.:* Anima in corpore recipitur ex indigentia essentiali, omnimoda, primaria, *nego mai.;* recipitur ex indigentia solum naturali, incompleta, secundaria, *conc. mai.* Et *dist. min.:* Operari sequitur Esse sub eo respectu, sub quo Esse est operandi principium, *conc. min.;* sequitur Esse secundum omnes huius conditiones, *nego min.*

Dices porro: Formae proprium est esse in alio; sed esse in alio et esse spirituale inter se se excludunt. — *Resp.:* Esse in alio, sicut accidens in subiecto vel sicut forma materialis, quae tota immergitur in materiam, et Esse spirituale inter se se excludunt. Sed anima rationalis est in alio, partem principaliorem sibi reservans[2].

(Ad 2.) Vita intellectiva, quae est in homine, ex natura sua pendet a vita sensitiva, extrinsecus quidem, sed multis rationibus. Vita autem sensitiva intrinsecus pendet ab organis. Propter hanc dependentiam necesse est, ut anima intellectiva transeat per omnes vicissitudines, quas habet corpus. Et augetur etiam, non secundum entitatem suae substantiae, sed secundum diffusionem virtutis, qua corpus crescens ab anima vivificatur. Neque mirum est debilitari intellectum ex laesione alicuius organi corporalis; nulla est enim in hoc statu coniunctionis intellectio, ad quam non requiratur operatio sensus interni, cuius organum est cerebrum. Qua de re Albertus Magnus: „Non est instantia", inquit, „de ratione et intellectu, quae impediuntur destructa media cellula capitis; quia hoc non accidit per se, sed per accidens, scilicet quod corrumpitur organum phantasiae, quo corrupto non est, a quo abstrahat intellectus."[3]

Itaque ex una parte invictis argumentis est demonstratum vim intelligendi intrinsecus et essentialiter non pendere a corpore; et ex altera parte incredibilis est intellectus a corpore dependentia, cuius tamen causa tota inde

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 9 ad 22.

[2] Ibid. q. de an. a. 1 ad 9.

[3] De homine tract. 1, q. 40, a. 1. Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 40, a. 1.

accipitur, quod pro statu praesentis vitae intellectus naturaliter ab operatione facultatum organicarum dependet. Ex quo concludendum est activitatem intellectivam non esse organicam, sed pro praesentis vitae statu a rebus organicis pendere naturaliter quidem, sed extrinsecus tantum: qua sola conclusione utriusque partis rebus et rationibus satisfieri manifestum est.

(Ad 3.) Cerebrum est organum sensus interni. Et quia operatio intellectus humani ex instituto naturae ab operatione sensus interni pendet, cerebrum pro operatione intellectus momentum habet maximum. Ex speciali dependentia, quae est inter aliquod organum et aliquam facultatem, concludi non potest organum hoc huius facultatis organum esse. Nam ea dependentia etiam inde provenire potest, quod organum sit internum facultatis alterius organum, a cuius perfectione operatio prioris facultatis extrinsecus dependet.

(Ad 4.) Anima, quum sit pars hominis, non est substantia completa, i. e. subsistens complete. Subsistens enim, sive „hoc aliquid" potest accipi dupliciter: uno modo pro quocunque subsistente, alio modo pro subsistente completo in natura alicuius speciei. Primo modo excludit inhaerentiam accidentis et formae materialis. Secundo modo excludit etiam imperfectionem partis. Unde *manus* potest dici *hoc aliquid* primo modo, sed non secundo modo. Sic igitur, quum anima humana sit pars speciei humanae, potest dici *hoc aliquid* primo modo quasi subsistens, sed non secundo modo. Sic enim compositum ex anima et corpore dicitur *hoc aliquid.*[1] Neque ex indigentia aliqua, sed ex abundantia potius efficitur, ut anima hominis sit substantia incompleta. Nam anima Esse illud, quod suum est, cum corpore communicare potest ita, ut sit unum Esse totius compositi. Unde sequitur, etsi possit anima per se subsistere, eam non habere speciem completam, sed indigere corporis ad speciem completam[2].

(Ad 5.) Non inepte dicunt, qui animam humanam dicunt esse corpoream ut quo et informative; habet enim anima humana, quidquid habent formae corporeae, et amplius; et eapropter potest communicari cum corpore, tribuereque corpori ea omnia, quae corpori tribuuntur a forma corporea. Non tamen putari potest esse etiam corporea ut quod et entitative; nam in entitate sua anima humana est omnibus formis materialibus sublimior. Etsi igitur anima humana etiam dotes formarum corporearum proprias possidet, non licet eam vocare simpliciter formam corpoream; sicut neque licet *pictorem artificem* simpliciter vocare „albatorem" eo, quod propter lucrandam pecuniam necessitatem habeat, ut aliud agendo colorem album parietibus inducat.

Obicies 1°: Quod est et subsistit in corpore et est forma corporis, id non habet Esse et subsistentiam nisi cum interna a corpore dependentia. At vero quum unum idemque sit Esse corporis et animae, anima humana est et subsistit in materia et est forma substantialis corporis. — *Resp.: Dist. mai.:* Quod isto modo exsistit in materia ut forma informans et dependens, ita ut actus essendi primo et per se sit solius compositi, id non habet Esse nisi intrinsecus a materia dependens, *conc. mai.;* Id vero, quod exsistit in materia ut forma informans quidem, sed independens, quod igitur Esse, in quo ipsum subsistit, cum materia ita communicat, ut idem sit Esse ipsius et Esse compositi, id

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 2 ad 1; Quaest. disp. q. de an. a. 1 ad 8.
[2] Ibid. ad 1.

non habet Esse nisi cum interna a materia dependentia, *nego mai.* „Quum dicitur unumquodque esse in alio, secundum modum eius in quo est, intelligitur, quantum ad capacitatis ipsius modum, non quantum ad naturam eius. Non enim oportet, ut id, quod est in aliquo, habeat naturam et proprietatem eius, in quo est, sed quod recipiatur in eo secundum capacitatem ipsius. Manifestum est enim, quod *aqua* non habet naturam amphorae: unde nec oportet, quod anima habeat ipsam naturam corporis." [1]

Dices 2°: Ens, cui materia resistere valet, non est supra materiam elevatum. Sed impulsioni animae humanae materia obsistere potest, id quod patet in ferendo pondere vel movendo curru. Ergo anima humana est materialis. — *Resp.:* Actiones omnes organicae, quae ab homine efficiuntur, a toto composito egrediuntur, non a sola anima. Hae vero actiones virtutem suam mechanicam hauriunt ex fontibus materialibus, non vero ex virtute motrice spiritus moventis res materiales. Anima humana, quamdiu est unita corpori, est ligata quoad effectus mechanicos ex se sola producendos, neque ullas habet operationes sibi soli proprias praeter intellectum et voluntatem.

Porro dices: Forma omnis suam naturam cum materia communicat. Si ergo anima est spiritualis, oportet dicere corpus humanum esse spirituale, quin immo digitum esse spiritualem. — *Resp.:* Forma, quae est tota materiae immersa, cuiusmodi sunt animae beluinae, ea certe totam suam naturam cum materia communicat. Eae vero formae, quae ex parte manent a materia independentes, illud tantum Esse cum materia communicant, quod dependentiae in Agere et in Esse respondet; idque communicant primo et per se toti corpori, non autem parti.

(Ad 6.) In generatione hominis contingit, ut complexio corporis sit aliqua ratione causa animae per modum disponentis [2].

267. **Solvuntur quae restant dubia.** *Dicunt 1°:* Id quod in se subsistit, ipsum operari dicitur. Sed anima non dicitur operari, aedificare, sentire, intelligere. Hae enim operationes omnes homini, et non animae attribuuntur. — *Resp.:* Ex hac loquendi consuetudine nihil sequitur, quod thesi contrarium sit. Ut enim aliquid per se operari dicatur, non satis est, ut subsistat, sed ut per se exsistat, i. e. ut exsistat tanquam totum. Anima est pars hominis. Operationes partium attribui solent toti per partes; unde dicimus hominem videre per oculum, palpare per manum, hominem intelligere per animam. Nam per se agere convenit per se exsistenti. Sed interdum dicitur „per se exsistens" etiam id, quod non est inhaerens ut accidens neque ut forma materialis, etiamsi est pars. Secundum hunc modum dici potest oculus videre et anima intelligere.

Dices: Si anima posset per se subsistere, esset specialis gradus entium. Atqui nemo dixerit aliquam formam seorsum sine materia constituere specialem gradum entium. — *Resp.:* Etsi anima rationalis per se potest subsistere, non tamen per se habet speciem completam. Ex quo fit, ut animae separatae non constituant specialem gradum entium [3].

Dicunt 2°: Si esset anima spiritualis in homine, ea per reflexionem immediate suam essentiam cognosceret in se ipsa. Atqui experientia teste id fieri

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 10 ad 14.

[2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 65. [3] Id. S. theol. l. c. ad 4.

non potest. — *Resp.:* Anima quamdiu est in corpore ut forma substantialis, non est actu intelligibilis nisi in suis operationibus. Etsi igitur exsistentia animae est immediate evidens, eius essentia per ratiocinia ex eius operationibus investiganda est.

Dicunt 3°: Est etiam in parte sensitiva aliqua conscientia sive reflexio. Nunc autem dicet eapropter animam sensitivam spiritualem esse. Ergo neque ex conscientia intellectiva ad animae humanae spiritualitatem concludi potest. — *Resp.:* Magnum inter conscientiam sensitivam et intellectivam discrimen est (Log. n. 659). Conscientiae intellectivae proprium est, ut ad actus animae praesentes redeat per completam reflexionem atque hoc modo cognoscat ipsum Esse animae. 1. Dicitur anima intellectiva cognoscere se ipsam per reflexionem completam. Quae inest in parte sensitiva, ea est incompleta, a) quia actus sensuum externorum percipiuntur sensu interno; b) quia sensus non penetrat usque ad percipiendum ipsum Esse. „Quamvis sensus cognoscat se sentire, non tamen cognoscit naturam suam et per consequens nec naturam sui actus nec proportionem eius ad res, et ita nec veritatem eius. Cuius est ratio, quia illa, quae sunt perfectissima in entibus, ut substantiae intellectuales, redeunt ad essentiam suam reditione completa: in hoc enim, quod cognoscunt aliquid extra se positum, quodammodo extra se procedunt: secundum vero quod cognoscunt se cognoscere, iam ad se redire incipiunt, quia actus cognitionis est medius inter cognitionem et cognitum. Sed reditio ista completur, secundum quod cognoscunt essentias proprias: unde dicitur in libro de causis (prop. 15), quod omnis sciens essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa. Sensus autem, qui inter ceteros est propinquior intellectuali substantiae, redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire; non tamen completur eius reditio, quia sensus non cognoscit essentiam suam. Cuius hanc rationem Avicenna assignat, quia sensus nihil cognoscit nisi per organum corporale. Non est autem possibile, ut organum medium cadat inter potentiam sensitivam et se ipsum.“ [1]

2. Dicitur anima cognoscere se secundum suum Esse. Dum enim sensus, quo sentiens sentit se, non sentit suum Esse, nisi quantum id in actione latet, anima intellectiva, quippe quae generatim in phaenomenis ipsum Esse percipiat, in sui cognitione se ipsam distinguit a suis operationibus et operationes percipit ut suas. Observa tamen, per hanc primam de se cognitionem: „an sit“, nondum sciri, „quid sit“, sed ad hanc secundam cognitionem de mente habendam requiri adhuc diligentem et subtilem inquisitionem [2].

3. Dicitur tamen anima ad sui conscientiam indigere, ut redeat ad proprios suos actus, i. e. non posse se ipsam immediate percipere et directe per suam substantiam sive essentiam. Id constat a) directe ex experientia, quae testatur me eo percipere me ipsum, quod percipiam me intelligere, sentire, nec me tum posse percipere me ipsum, quum ab actionibus sensitivis, hinc etiam intellectivis impeditus sum; b) ex eo, quod non possimus habere conceptum proprium et intuitivum nostrae animae, sed apprehendamus essentiam et facultates animae per respectum dumtaxat ad operationes et per conceptus

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 1 de verit., a. 9.

[2] Id. S. theol. 1, q. 81, a. 1.

analogos et negativos; c) ex natura nostrae animae, secundum quam pro obiecto primario habet quidditates rerum materialium et inde abstractione ascendat ad cognitionem immaterialium; d) et praeterea ex eadem natura nostrae animae cum corpore coniunctae manifestum est eam non esse secundum se intelligibilem actu, fieri autem intelligibilem actu per susceptionem specierum intelligibilium a rebus materialibus abstractarum. Hoc ita intellige: Est nimirum anima naturaliter destinata ad id, ut unita corpori ultimam sui actus perfectionem mediante sensu acquirat, in quantum scilicet rationes actu intelligibiles a re materiali abstractas in se suscipit. Sunt autem hae rationes abstractae, in quantum animae inhaerent, praecise actus ipsius intellectus. Si igitur anima percipit rationes istas actu intelligibiles, quatenus eae in ipsa insunt, suos ipsius actus percipit.

Itaque anima antecedenter ad suas operationes non est cognoscibilis nisi potentia; quando autem actu operatur, fit cognoscibilis actu et quidem quoad suam exsistentiam cum immediata evidentia, quoad essentiam vero in confuso tantum[1]. Et ad hoc quidem, ut anima sui conscia fiat, requiritur actus reflexus distinctus; non autem necesse est, ut species aliqua adsit vel per modum habitus maneat in anima (prout id accidere solet in cognitione aliarum rerum), sed quod alias facit species vel habitus, id quoad conscientiam reflexam praestat ipsa animae essentia, „quia ex ipsa sua essentia anima est potens prodire in actum, quo se actualiter cognoscat.“[2]

4. Dicitur anima cognoscere se redeundo in se ipsam. „Locutio haec, qua dicitur, quod sciens se ad essentiam suam redit, est locutio metaphorica. Non enim in intelligendo est motus, ut probatur in l. 7 phys. (com. 20), unde nec proprie loquendo est ibi recessus aut reditus; sed pro tanto dicitur esse processus vel motus, in quantum ex uno cognoscibili pervenitur ad aliud, et id in nobis fit per quendam discursum, secundum quem est exitus et reditus in animam nostram, dum cognoscit se ipsam. Primo enim actus ab ipsa exiens terminatur ad obiectum et deinde reflectitur super actum et deinde super potentiam et essentiam. . . . Sed tamen sciendum, quod reditio ad essentiam in libro de causis nihil aliud dicitur, nisi substantia rei in se ipsa. Formae enim in se non subsistentes sunt super aliud effusae et nullatenus ad se ipsas collectae, sed formae in se subsistentes ita ad res alias effunduntur, eas perficiendo vel eis influendo, quod in se ipsis per se manent.“[3]

5. Dicitur redire in proprios suos actus, i. e. non tantum intellectus, sed etiam voluntatis. Volitio enim est quaedam inclinatio consequens ad formam intellectam; quum autem inclinatio quaelibet alicuius rei est in ea re per modum ipsius, volitio in intelligente inest intelligibiliter. hinc intelligi ab ipso potest.

268. Corollaria. *Coroll. 1.* Recte Aristotelici[4] intellectui aliquam impassibilitatem attribuerunt, quae non sit in sensu.

[1] Cfr. S. Thomas, S. theol. 1, q. 87, a. 1.
[2] Id. Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 8.
[3] Ibid. q. 2 de verit., a. 2 ad 2. Cfr. S. theol. 1, q. 14, a. 2 ad 1.
[4] Arist. l. 3 de an. c. 4, 429.

Rem scimus multiplici ratione pati posse (Log. n. 1559). Primo propriissime, quum ex receptione alicuius sequitur abiectio alicuius convenientis. Secundo latius, quum ex receptione alicuius sequitur abiectio alicuius sive convenientis sive disconvenientis. Tertio stricte, quum ad receptionem alicuius nulla sequitur abiectio.

Hoc loco intelligitur passio vi vocis propriissima, quam dixerunt sensui accidere per accidens saltem, intellectui vero nullo modo. Etsi enim sensus hoc modo non patitur a convenienti sensibili, patitur tamen, quum propter vim immoderatam alicuius sensibilis excellentis proportio debita organi corrumpitur. Per experientiam enim constat propter impressionem vehementiorem alicuius rei, quae praeter modum sensum afficiat, sensum incapacem fieri ad percipienda debiliora vel ad sentiendum quodlibet. Atque id non solum in sensibus accidit externis; sed aliqua ratione etiam in sensibus internis, velut quum quis ex admodum intensa et diutius protracta phantasiatione phantasiam fatigari persentiscit et impotentem reddi ad operandum ulterius.

At vero intellectus ab acri intuitione intelligibilis rei vel excellentissimae minime aspectum amittit, sed potius augetur viribus et incredibiliter roboratur ad inspicienda etiam intelligibilia, quae obscuriora sunt. Et quamvis post acrem longamque meditationem intellectualem sequatur virium fatigatio, id tamen non evenit propter ipsam intellectionem, sed ex operatione phantasiae intellectionem concomitante, ex qua sequitur fatigatio cerebri.

Non defuerunt inter Aristotelicos, qui ex his rebus petierint argumentum ad probandam animae humanae spiritualitatem.

Coroll. 2. Anima humana est substantia incompleta quidem, quia ex natura sua est destinata ad informandum corpus; et operationes sunt, quarum anima humana est principium incompletum. (Hoc modo differt ab angelo.) Sed est tamen substantia perfecta, quia habet etiam operationes, quae a corpore intrinsecus non pendent, et hinc etiam habet Esse a corpore non pendens, neque ad exsistendum indiget corpore. (Hoc modo differt ab anima beluina.) Itaque anima humana in confinio quasi constituta est substantiarum spiritualium atque materialium.

Quum in subsistentia sive ratione substantiae gradus quadruplex distingui possit: non inhaerere, non informare cum dependentia, nullo modo informare, esse absolute independens, gradus secundus competit animae humanae.

Quod si anima humana recte dicitur substantia incompleta, non tamen est substantia incompleta propter indigentiam, quasi altero principio indigeat, ut esse et operari possit; sed ideo, quod praeter potentias intellectus et voluntatis completas habet potentias sentiendi et vivendi, quae sine materia incompletae sunt.

Si animam humanam secundum ipsam consideres, eam vere et proprie substantiam dicere debes. Reliquae formae substantiales, quae in rebus naturalibus insunt, sunt tantum principia formalia substantiae, et sic non pertinent ad genus substantiae nisi reductive.

Quaeritur secundo:

sitne anima humana omnino simplex.

269. **Notio simplicitatis accuratior.** Cum animae humanae spiritualitate, de qua modo disputatum est, intime cohaeret eius simplicitas. Simplex est ens, quod neque actu neque potentia habet multa componentia.

Simplicitas distinguitur multiplex (Log. n. 1335, schol. 6). Simplicitas quoad essentiae perfectionem est, quatenus perfectio per formam exhibita secundum totam suam rationem invenitur in re tota et in qualibet rei parte, velut *albedo* in toto pariete et in qualibet parietis parte. Deinde simplicitas essentialis sive quoad essentiam est, qua excluditur compositio ex forma et materia. Praeterea simplicitas naturalis est, quum natura totius compositi postulat, ut componentia in unum totum unita sint, ita ut exigentia totius sit in unaquaque parte. Tandem, quae restat, simplicitas entitativa est, quum totum est in toto et totum in qualibet parte non solum exigitive sive connexive, sed entitative ita, ut omni ratione partes excludantur.

Erant qui dicerent animam humanam ex forma et materia compositam esse (n. 218). Verum haec opinatio evanescet, ubi primum ostenderimus eam per se et essentialiter esse formam huius quod experiamur corporis. Si enim anima humana est forma huius quod novimus corporis, is, qui diceret animam ipsam iterum ex forma et materia esse compositam, aperte proferret quae inepta sunt.

Nam id, quod est ex materia et forma compositum, aut secundum se totum erit forma alterius, aut secundum aliquid sui. Non secundum se totum; nam est contra indolem materiae, ut sit pars actus sive formae informantis; et est etiam contra indolem animae intellectivae, ut in se habeat materiam. Si enim anima intellectiva esset composita ex materia et forma, formae rerum reciperentur in ea ut individuales, neque igitur cognosceret nisi individualia, sicut accidit potentiis sensitivis. Neque secundum aliquid sui esse posset forma corporis. Hoc enim posito id animae, quod esset forma corporis, diceremus animam [1].

Restat igitur, ut videamus, sitne anima humana etiam entitative simplex.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 5; Quaest. disp. q. de an. a. 6; 2, dist. 17, q. 1, a. 2.

Apud veteres atque etiam posteriore tempore erant qui dicerent omnes animas constare ex partibus, quae partibus materiae responderent. Ex quo conclusit Pomponatius ex revelatione christiana tantum, et non ex ratione naturali, constare animam humanam incorruptibilem esse.

Etiam Aristoteles interdum partium animae mentionem fecit [1], sed nomine partium significavit facultates, vel facultatum complexus. Et non semel dixit Aristoteles, ex quibus aperte manifestum est simplicitatem animae ab ipso statutam esse.

Est vero quaedam animae simplicitas, quae ex proprietatibus vitae sensitivae deducitur, quae igitur non solum animae humanae, sed etiam animae beluinae competit.

De hac simplicitate praeclare S. Augustinus [2]: „Nam quum exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur, quamvis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen non latet; neque id, quod sentitur, per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur, ubi fit, nisi quia et ibi tota est, ubi fit; nec ut tota ibi sit, cetera deserit.“ Et alio loco [3]: „Partis corporis passionem tota sentit; nec in toto tamen corpore; quum enim quid dolet in pede, advertit oculus, loquitur lingua, admovetur manus. Quod non fieret, nisi id, quod animae in eis partibus est, et in pede sentiret; nec sentire, quod ibi factum est, absens posset. Non enim nuntio aliquo credibile est fieri, non sentiente quod nuntiat; quia passio, quae fit, non per continuationem molis currit, ut ceteras animae partes, quae alibi sunt, latere non sinat: sed illud tota sentit anima, quod in particula fit pedis, et ibi tantum sentit, ubi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quae tota simul sentit in singulis.“

Deinde [4]: „Anima corpus hoc terrenum atque mortale praesentia sua vivificat; colligit in unum, atque in uno tenet; diffluere atque contabescere non sinit; alimenta per membra aequaliter suis cuique redditis distribui facit; congruentiam eius modumque conservat, non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo atque gignendo. Haec communia sunt homini cum arbustis. . . . Intendit se anima in tactum, et eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, levia, gravia sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, formarum gustando, olfaciendo, audiendo videndoque diudicat, atque in iis omnibus ea, quae secundum naturam sui corporis sunt, asciscit atque appetit; reicit fugitque contraria. . . . Sed haec rursus omnia posse animam etiam in bestiis nemo negat.“

De eadem re praeclare S. Gregorius Magnus: „Anima rationalis sic infusa est corpori, ut non per membrorum partes partibus sit divisa. Nam in quocunque loco pars corporis percutitur, tota dolet. Miro autem modo una vivificatione membris praesidens, quum ipsa per naturam non sit diversa, per

[1] L. 3 de an. c. 4 init. [2] In epist. 28 vel 166.
[3] L. 1 de immortalitate animae c. 16.
[4] L. de quantitate animae c. 33.

corpus tamen agit diversa. Ipsa quippe est, quae per oculos videt, per aures audit, per nares odoratur, per os gustat, per omnia membra tangit." [1]

Sed praeter hanc simplicitatem alia quaedam statuta est, quae animae humanae propter eius spiritualitatem sit propria, neque ullo modo reperiatur in animabus reliquis. De hac nunc videndum est.

Et multis quidem rationibus Aristotelici conati sunt hanc animae humanae simplicitatem demonstrare, velut ex eius incorruptibilitate, ex libertate voluntatis, ex natura humanae cognitionis [2].

270. **Rationes dubitandi.** Videtur anima humana non esse substantia simplex. Nam (1.) simplicitas incredibilem imperfectionem arguit. Ergo humanae animae competere non potest [3].

(2.) Si anima humana esset substantia entitative simplex, in uno tantum puncto corporis humani praesens esse posset. Reapse vero per spatium maius minusve diffusa est.

(3.) Quidquid movet materiam per tempus et spatium continuum, positionem partium materialium mutare debet. Ipsum ergo extensionem habet. Sed anima humana movet corpus. Ipsa ergo extensionem habet (ita Telesius, Campanella).

(4.) Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Ergo forma omnis in subiecto extenso recepta etiam ipsa subiecto coëxtenditur.

271. **Thesis: Substantia animae humanae caret partibus entitative diversis, atque ita est omnino simplex.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* In hac thesi non agitur de simplicitate quoad essentiae perfectionem; neque de simplicitate illa negativa, qua fit, ut nulla forma per se dividi possit, sed per accidens tantum; neque de simplicitate essentiae, qua excluditur compositio ex materia et forma; neque de simplicitate illa naturali, quae sola partium annexione constituitur inter se ad constituendum unum exigentium (qualis est in beluis). Cogitanti enim cuique apertum est haec simplicitatis genera animae humanae omnino attribuenda esse. Neque tamen de simplicitate absoluta agitur, qua omne prorsus genus compositionis ab anima humana excludatur. Constat enim hanc simplicitatem soli Deo competere. Sed nos hoc loco eam compositionem entitativam a substantia animae alienam esse volumus, quae se in corporibus per quantitatem manifestare solet.

[1] L. 2 in Ezechielem hom. 5.

[2] Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 4, q. 27.

[3] „Die arme, abstracte, unwahre Kategorie der Einfachheit ist für die Seele zu schlecht" (Hegel).

Praenota 2°. Res simplex si continuo comparatur, aut est intra genus continui, quum in ipso continuo situm determinatum habet (velut *punctum, instans, momentum*); aut est extra omne continui genus, extensione quidem formali caret: nihilo tamen minus, quoniam in extensione situm determinatum non habet, propter excessum perfectionis, extenso praesens esse, hinc per intimam praesentiam ad corpus referri, cum corpore coniungi potest atque etiam interveniente corpore sibi coniuncto ab aliis corporibus affici.

Praenota 3°. Adversantur huic thesi (praetermissis materialistis) nonnulli physiologi et philosophi vitalismo addicti. Inter quos etiam H. Ulrici. Qui, non valentes abdicare sese imaginibus phantasiae, statuunt animam esse substantiam extensam.

272. **Argumenta.** *Arg. I* (ex natura formarum). Nulla forma ex se habet compositionem entitativam, sed huius particeps esse non potest nisi propter internam a materia dependentiam. Atqui anima humana, quum sit spiritualis, intrinsecus a materia non pendet. Ergo anima humana habet simplicitatem entitativam.

Vel sic: Ratio, ob quam animas beluinas dicimus esse unas essentialiter connexiveque simplices, sed tamen entitative compositas et absolute divisibiles, in eo sita est, quod hae animae internam cum materia connexionem habent. Atqui anima humana, quum sit spiritualis, eam connexionem internam non habet. Ergo nulla est ratio, ob quam eam putemus esse in entitate sua compositam.

Arg. II (ex reflexione perfecta). Quidquid entitative compositum est, perfecte reflecti atque in se redire non potest. Perfectio enim reflexionis humanae in eo cernitur, quod, qui in se redit per reflexionem, invenit se totum sub ratione causalitatis tanquam principium sive radicem ultimam cognitionis, idque sub ratione totalitatis. Haec reflexio est quaedam conclusio sive complicatio sui in se, ita ut reflectens inveniat se ipse totum in se toto, et se totum in qualibet sui parte; se igitur totum percipiat per modum obiecti entitative simplicis, non vero obiecti habentis partes extra partes suas.

Atqui anima humana perfecte reflecti et in se hoc modo redire potest (n. 267, 3). Ergo non est entitative composita.

Arg. III (ex obiectis entitative simplicibus, quae ab anima humana percipi possunt). Anima humana percipit res ut totas et ab omni compositione abstractas, velut ipsam simplicitatem, identitatem, unitatem, ens, universalia, essentias rerum immaterialium et materialium omissa omni figura, loco, quantitate. Ex

quo manifeste apparet animam humanam habere facultatem exprimendi in se species rerum simplicium.

Atqui in facultate extensa species rerum simplicium exprimi non possunt. Si enim species entis simplicis, velut *iustitiae,* est in subiecto extenso sive composito, aut erit in una tantum parte, aut erit in singulis partibus formalibus, aut erit per omnes partes entitativas diffusa eo modo, quo id accidit in sensationibus. Non in una parte; nam haec pars iterum in eandem quaestionem trahenda erit. Neque in singulis partibus formalibus, secus tot erunt cogitationes, quot sunt partes; et de unaquaque parte redibit quaestio integra. Neque species illa per partes entitative diffusa esse potest. Quum enim obiectum nullas partes entitative diffusas habeat, neque cognoscentem determinare potest ad se cognoscendum ut diffusum quid. Id autem fieret, si repraesentatio obiecti per partes entitativas diffusa esset.

273. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Simplex est quod caret componentibus. Potest autem ens carere partibus aut propter defectum perfectionis, aut propter defectum distinctionis in perfectione. Perfectio igitur entis simplicis non est sita in sola exclusione compositionis, sed in realitate positiva, qua compositio excluditur (Log. n. 1335, schol. 5).

(Ad 2.) Quod simplex est per defectum, velut *punctum,* id in uno tantum spatii puncto praesens est. Id vero, quod simplex est per excessum, etsi diffundi non potest diffusione interna partium, neque exhibitione sui ipsius diffusiva ad efficiendam cognitionem, potest tamen diffundi diffusione externa praesentiae, efficientiae, informationis.

(Ad 3.) Id quod movet corpus, non habere debet extensionem formalem, sed satis est, ut habeat extensionem virtualem, i. e. illum essendi modum, qui extensioni formali sufficiat. Ad movendum enim requiritur quidem contactus aliquis, non vero ille contactus quantitatis, qualis est inter res corporeas; sed is ab omnibus imperfectionibus, quae oriuntur ex natura corporum, absolvendus est, retinendus ipse contactus, quem vocant claritatis gratia „contactum virtutis".

Probatum est autem a natura animae humanae extensionem formalem et quantitatem omnino alienam esse. Movetur enim haec anima rebus immaterialibus. Sunt vero aliqua, quae in terminis quantitatis ultimis non tangunt, dicuntur nihilominus tangere, quantum agunt. Qui „tactus" ille est, quem modo „virtutis" vocavimus. Hic „tactus" a tactu corporeo tribus rebus differt. Primo, quia hoc tactu id, quod est indivisibile, potest tangere divisibile. Substantia intellectualis non est indivisibilis sicut punctum, quod sit terminus quantitatis in continuo, sed est indivisibilis quasi extra genus quantitatis exsistens; unde non respondet ipsi aliquid indivisibile quantitatis ad tangendum. Secundo, quia tactus quantitatis est solum secundum ultima, i. e. superficies, tactus autem virtutis est ad totum, quod interveniente hoc tactu patitur et movetur. Tertio, quia in tactu quantitatis tangens est extra illud, quod tan-

gitur, propter impenetrabilitatem corporum. Tactu autem virtutis efficitur, ut substantia tangens sit intra id, quod tangatur [1].

(Ad 4.) Forma, quae in subiecto recipitur cum omnimoda immersione et dependentia, ea etiam extensionem quod attinet naturam recipientis subiecti sequi debet. Si vero aliqua forma sese materiae communicat cum aliqua sui reservatione et manente independentia a materia, ea extenso subiecto coextendi debet extrinsecus per praesentiam, non vero intrinsecus per proportionem partium.

Dices 1°: Forma materiae commensurari debet; ergo extensa esse debet secundum extensionem materiae. — *Resp.: Dist. antec.:* debet commensurari commensuratione quantitatis sive contactus quantitativi, *nego antec.;* debet commensurari commensuratione actus et potentiae, hinc praesentiae sive contactus virtutis, *conc. antec.* [2]

Obicies 2°: Id quod habet potentias extensas, ipsum extensum esse debet: Sed anima humana habet potentias sensitivas et vegetativas, quae extensae sunt. — *Resp.: Dist. mai.:* Id quod est subiectum potentiarum extensarum, ipsum debet esse extensum, *conc. min.;* id quod est principium tantum et radix potentiarum extensarum, ipsum debet esse extensum, *nego min.* Anima humana non est subiectum potentiarum organicarum, sed harum principium tantum et radix. Ad id vero satis est, ut extensa sit virtualiter et eminenter; neque requiritur, ut etiam formaliter extensa sit.

274. **Solvuntur quae restant dubia.** *Dicunt 1°:* Quum dico „Ego", dico rem compositam [3]. — *Resp.:* Quum dico „Ego", dico id, in quo anima est pars princeps; atque id sane compositum est.

Dicunt 2°: Per nutritionem partes novae homini accrescunt, quae post intereunt. Ex quo apparet etiam ipsam animam acquirere partes usque novas, amittere veteres. — *Resp:* Id fieri putandum est in formis, quae totae et totaliter materiae immerguntur, neque ulla ratione Esse habent, quod a materia sit independens. Ostensum est autem animam humanam a materia non pendere.

Dicunt 3°: Quid fiet absciso pede, si anima ipsa simplex est? Num revertetur ad corpus reliquum, quod iam ab ipsa totum occupatur? — *Resp.:* Cessabit anima ab informatione pedis amputati atque minorem sortietur praesentiam sive ubicationem; quae res nullo motu locali interveniente absolvitur.

Dices: Haud raro in separata parte, velut in palpitante corde, vita inest. Ergo etiam pars ab anima decerpta est. — *Resp.:* Non sunt motus vitales, sed naturales tantum.

275. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo etiam anima intellectiva est tota in toto corpore et tota in qualibet corporis parte — non tantum totalitate naturae, i. e. essentiali, qua constituatur species — hoc enim modo forma quaelibet tota est in omni sui

[1] Ita S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 56. Cfr. S. theol. 1, q. 75, a. 1 ad 3.

[2] Cfr. Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 3, q. 27 ad 2.

[3] „Die Vorstellung von meinem ‚Ich' ist nicht einfacher und einheitlicher, als wenn ich mir die ganze Kraft eines Körpers in einem Punkte (Schwerpunkt) vereinigt denke" (Kant).

parte — sed totalitate integrali; non tamen secundum omnes virtutes [1].

Dices 1°: Si anima tota est in digito, digitus erit homo. — *Resp.:* Homo quum significet id, quod in natura humana subsistit, illud dumtaxat dicitur, quod est compositum ex anima et materia illi adaequata.

Obicies 2°: Si tota anima in pede est, etiam intellectus in pede est. — *Resp.:* Anima est in pede ut informans, intellectus vero est in anima ut inhaerens; in corpore autem nullo modo (nisi fortassis si propriam dicendi rationem negligere velimus, in capite propter sensum internum intellectui famulantem). Unde id tantum sequitur, intellectum esse in anima pedem informante.

Inst. 3°: Ergo anima simul ascendit et descendit in eo, qui alteram manum deprimit, tollit alteram. — *Resp.:* Anima, quum sit definitive in toto homine, non mutatur simpliciter, nisi quum totus homo mutatur [2]. Mutatur tamen secundum quid, i. e. ut informans pedem vel manum. Et hoc modo fieri potest, ut anima simul ascendat et descendat secundum diversas partes, in quibus est [3].

Obicit 4°: Galluppi [4]: Id quod quis dicit de toto, dicit de partibus. Qui igitur animam dicit esse totam in qualibet parte corporis, ponit in anima partes esse. — *Resp.:* Quum dicimus totam animam esse in qualibet parte corporis, intelligimus tantum perfectionem naturae, non vero comprehensionem multarum partium [5].

Coroll. 2. Ergo pugnantia proferunt pantheistae, quum arbitrantur animas singulas hominum ex Dei substantia decerptas esse. Fieri enim non potest, ut res simplex et in se subsistens ex alia re decerpatur. Praeterea anima humana modo actu, modo potentia vult quidpiam, et intelligit, et scientiam a rebus acquirit, et diversas potentias habet, quae omnia aliena sunt a Deo, qui est actus purus, neque ab alio quidquam accipit, neque ullam in se diversitatem habet [6].

Etiam Pythagoram docuisse ex Deo vel ex anima mundi animos nostros decerpi, refert Tullius [7]. In opinatione simili haeserunt Stoici, Plutarchus, Manichaei, Priscillianistae.

Coroll. 3. Ergo anima humana neque per se neque per accidens unquam in partes dissolvi potest. Quum sit indivisibilis, dissolvi in partes non potest. Quum a materia non pendeat, corrupto subiecto non interit.

Quae veritas, quae ad res in tota philosophia gravissimas pertinet, pro dignitate in omnes partes tractari non potest, nisi postquam de vita intellec-

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 8. [2] Id. 1, dist. 37, q. 1, a. 3 ad 4.
[3] Id. Quaest. disp. q. de an. a. 10 ad 12.
[4] Lectiones logicae et metaphysicae lect. 73.
[5] S. Thomas 1, dist. 8, q. 5, a. 3 ad 1. [6] Id. S. theol. 1, q. 90, a 1.
[7] L. 1 de nat. deor. c. 11.

tiva hominis diligenter disputatum erit. Quam ob causam de hac re in altera psychologiae parte enucleatius dicturi sumus.

§ 2. De unicitate animae in homine.

276. **Variae sententiae.** Probatum multis argumentis est esse in unoquoque homine animam rationalem, quae sit substantia in se subsistens et entitative simplex. Propter hanc excellentem animae rationalis perfectionem nonnulli permoti sunt, ut dicerent esse praeter hanc in homine animas inferiores, quae obeundis muniis ignobilioribus sub dominio animae spiritualis destinatae essent.

Tria a Platone *μέρη* vel *γένη τῆς ψυχῆς* scimus posita esse: *ἐπιθυμίαν*, *θυμόν*, *νοῦν*. Atque has animas non modo distinctas inter se, sed etiam loco divisas esse dixit, concupiscibilem eamque nutritivam (*τὸ ἐπιθυμητικόν*) in hepate, irascibilem (*τὸ θυμοειδές*) in corde, cognoscitivam (*τὸ λογιστικόν*) in cerebro [1].

„Quam quidem opinionem", ut est apud Aquinatem, „Aristoteles reprobat, quantum ad illas animae partes, quae corporeis organis in suis operibus utuntur, ex hoc, quod in animalibus, quae decisa vivunt, in qualibet parte inveniuntur diversae operationes animae, sicut sensus et appetitus. Hoc autem non esset si diversa principia operationum animae, tanquam per essentiam diversa, diversis partibus corporis distributa essent. Sed de intellectiva videtur sub dubio relinquere, utrum sit separata ab aliis partibus animae solum ratione an etiam loco." [2] Et apud Stagiritam res certa erat eandem animam, quae bonum concupiscat, debere id etiam cognoscere; et omnes passiones partis irascibilis habere radices in parte concupiscibili.

Multis praeterea locis Aristoteles praecipit inter animam intellectivam et sensitivam non esse discrimen, sicut inter substantias duas, sed sicut inter unius substantiae partes [3].

Praeterea saepenumero inculcavit Aristoteles in una re unam tantum formam substantialem esse posse [4]. Quod si ita est, iam non multis opus est, quibus demonstretur in uno organismo unam tantum animam esse [5].

[1] Plato, De republ. l. 4, p. 436 sqq. et aliis locis. Cfr. Zeller, Philosophie der Griechen II, 713.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 3.

[3] *Ἔτι δ' εἰ μὴ πολλαὶ ψυχαὶ ἀλλὰ μόρια. . . .* L. 1 de an. c. 1, 402 b, 9. Alios locos collegit Brentano, Psychologie des Aristoteles p. 117.

[4] L. 1 phys. c. 7, 190 b, 28; De sens. et sensibili c. 7, 447 b, 17; l. 4 metaphys. c. 6, 9016 a, 24; l. 4, c. 10, 1018 a, 22; l. 4, c. 28, 1024 b, 9, et multis aliis locis. [5] L. 1 de an. c. 1, 402 b, 9; l. 2, c. 2, 413 b, 13.

Ii, qui medio aevo Aristotelem secuti sunt, communi fere sententia sunt arbitrati unam esse in homine animam, quae simul esset nutritiva, sensitiva, intellectiva. Qui contra Platonem repetebant id, quod dixerat Aristoteles „ratiocinativam et universaliter cognoscitivam, concupiscibilem et irascibilem non esse tres animas distinctas, multo minus loco ac subiecto seiunctas".

„Ratio est, quia concupiscibilis non potest appetere iucunda et refugere molesta, quin illa cognoscat; ergo ipsa anima concupiscibilis est cognoscitiva, alioquin concupisceret bonum incognitum. Rursus irascibilis non potest irasci et pugnare, nisi concupiscat bonum, pro quo pugnat, alioquin irasceretur et pugnaret propter bonum, quod non concupiscit; ergo anima irascibilis est simul concupiscibilis et cognoscitiva. Hinc est, ut omnis appetitus oriatur ex cognitione, et omnes passiones irascibilis initium habeant ab aliqua passione concupiscibilis et ipsa terminentur. Ira enim e. g. quae est passio irascibilis, incipit a tristitia propter contemptum, et terminatur delectatione de vindicta: tristitia autem et delectatio sunt passiones concupiscibiles. Hinc etiam oritur, quod, quia bruta concupiscunt sola delectabilia, pugnent et irascantur propter sola delectabilia gustus et tactus, sicut propter haec eadem pleraeque rixae oriuntur inter homines brutales. Quum igitur eadem anima debeat esse simul irascibilis, concupiscibilis et cognoscitiva, non possunt esse tres animae, alioquin anima illa, quae cognosceret bonum, non appeteret bonum; illa, quae appetit, non cognosceret; illa quae pugnat propter bonum, non cognosceret, nec concupisceret tale bonum; quae concupiscit, non irasceretur, neque pugnaret pro bono concupito: quae manifeste sunt absurda. A fortiori patet, quod in animali non possunt esse tres animae, loco ac subiecto distinctae. Est enim adhuc absurdius quod, quia anima, quae est in capite, cognoscit bonum, illa, quae est in hepate distante a capite, concupiscat bonum a se incognitum. Quare ad summum cognoscitiva, concupiscibilis et irascibilis possunt esse tres potentiae eiusdem animae receptae in diversa parte corporis." [1]

Praeterea his potissimum rationibus nitebantur: 1. Quae attribuuntur alicui eidem secundum diversas formas, praedicantur inter se per accidens. Si igitur in homine tres diversae sunt animae, haec praedicatio: homo est animal, animal est vivum, erit per accidens. Atqui reapse est praedicatio per se (Log. n. 270, schol. 2). 2. Si in homine ponantur plures animae, homo non erit ens unum, sed plura. 3. „Si darentur plures animae in eadem parte materiae e. g. vegetativa, sensitiva et rationalis, sola vegetativa esset forma substantialis, quum daret materiae primum Esse; sensitiva vero et rationalis essent formae accidentales, quum darent Esse secundum supponens primum Esse." 4. Diversae vires, quae non radicantur in uno principio, non inter se impediunt. Videmus autem diversas operationes animae inter se impedire; quum enim una est intensa, altera remittitur [2].

Sed inter Graecos veteres etiam alii fuerant, qui tres ponerent in homine animas. Ita Pythagoras mentem, animam,

[1] Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 4, q. 25.

[2] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 58.

sensum distinxerat, vel etiam quartam addiderat, quae esset genetrix.

Democritus et Epicurus, quum de natura animae humanae ineptam haberent sententiam, rationalem quidem partem sitam esse in pectore docuerunt, irrationalem vero tota corporis concretione esse diffusam [1].

277. At posteriore etiam tempore a nonnullis pluralitas animarum in uno homine est proposita.

Duas in homine inesse animas docuerant Manichaei, unam bonam alteram malam, utramque rationalem, quarum una omnis noxae expers a bono Deo condita esset, altera a numine pessimo plena vitiis [2].

Apollinaris duas admiserat: sensitivam et rationalem.

Ioannes Philoponus aliique tres animas usque permixtas posuerunt.

Ibn Gabirol (Avicebron) tres docuit esse animas, ita ut vegetativa esset materia sensitivae, sensitiva materia intellectivae.

Averrhoes duas animas intellectivas finxit in unoquoque homine, intellectum agentem (Log. n. 861), qui esset anima universalis communis omnibus, et intellectum passivum, qui simul cum phantasia esset anima unicuique homini propria.

Sunt quoque qui tria opinentur esse in homine principia: corpus, animam sensitivam, animam rationalem.

Trichotomiam hanc proposuerunt Occamus [3], Paulus Venetus [4], Franc. Maironius, Antonius Mirandulanus, qui dixerunt praeter corpus esse in homine substantiam incorpoream a Deo creatam et animam materialem ex semine oriundam. In hac opinatione aliquid haeserunt Baco de Verulamio, Petrus Gassendi [5] atque etiam Buffon [6] aliique. Qui ex pugna potissimum, quam experiremur inter mentem et sensum, intulerunt unicum utriusque principium esse non posse. Alii, inter quos Ioannes Clericus (Le Clerc, 1657—1736), inter animam et corpus intercedere putant principium intermedium tanquam „mediatorem plasticum“, a quo operationes hominis physicae procedant. Quorum multi totam

---

[1] Plutarch. l. 4 de placit. phil. c. 4.

[2] S. August. l. de duabus animabus c. 12.

[3] Quodl. 2, q. 2.

[4] Summa de an. c. 5.

[5] Animadvers. de phys. Epicuri p. 555.

[6] Discours sur la nature des animaux.

vitam sensitivam deferunt animae organicae, solam intellectivam reservantes animae rationali, ita ut in homine distinguant animam et principium animalis vitae[1].

Ex Leibnizii sententia unaquaeque monas in quolibet vivente intellectionem habet sive animam; sic membra corporis permultis elementis viventibus referta esse putat; in toto vero corpore unam esse animam dominantem. „Quodlibet corpus vivum habet entelechiam unam dominantem, quae est anima in animali; sed membra huius corporis viventis plena sunt aliis viventibus, plantis, animalibus, quorum quodque iterum suam habet entelechiam sive animam dominantem[2].

Storchenau censuit in homine esse animam intellectivam, quae esset simul principium vitae sensitivae, et animam vegetativam. Similiter Herbart dixit corpus sine anima esse plantam vivam, et animam esse parasiti instar in corpore.

Ab hac sententia non multum abest id, quod a nonnullis Vitalistis defenditur, esse in homine duo principia, animam sive principium psychicum, et vim vitalem, quae inter se conspirent quidem, sed non confundantur.

Et multae sunt praeterea opinationes recentiorum philosophorum, quae ad hunc locum reduci possunt; quas tamen singulatim cognoscere non tanti est, ut eas enumeremus[3].

Ab Antonio Günther aliisque sententia est proposita, quae placitis Apollinaris est finitima. Dicit is duas esse in unoquoque homine animas: *πνεῦμα*, *ψυχή*. Est enim in universo mundo una substantia, fundus vivus, „natura“, quae sese evolvat ita, ut stadium infimum sit vita anorganica, a qua ascendatur ad vitam vegetativam atque sensitivam. Sed universale illud et unum principium sive fundus vivus ex se non potest sese evolvere, ut fiat rationalis. Ubi primum igitur in homine vitam sensitivam ut gradum summum attigit, per creationem accedit desuper anima rationalis, ita ut unusquisque homo compositus sit ex natura viva sensitiva et anima spirituali.

---

[1] Ita Th. Jouffroy (1794—1842), Nouveaux mélanges philosophiques; De la légitimité de la distinction de la psychologie et de la physiologie.

[2] Princip. philos. § 73.

[3] Schelling: „Die Seele ist das sanfte mittlere Wesen zwischen Leib und Geist.“ Ennemoser: „Geist und Materie, darüber Seele als persönliche Einheit.“ Krause: „Leib, Seele, als Bindemittel das Ur-Ich (Vernunft-Ich).“ Volkmuth: „Leib, Seele, Geist, Natur.“

Haec Günthieri sententia ab aliis ita mutata est, ut anima intellectiva dicatur esse etiam sensitivae principium in homine, natura solius vitae vegetativae.

Aetate recentissima inter eos, qui hypnotismum et occultismum in psychologiam introducere student, reperies, qui de duabus animabus dicant, una, quae sit nobis nota et subdita conscientiae, altera, quae conscientiam fugiat et occupetur in construendis figmentis organicis atque psychicis et dotibus admirabilibus exornata sit; cuius quidem rei suo loco mentio incidet.

Atque his positis una sequitur quaestio, qua

Quaeritur:

sitne una tantum in homine anima.

278. **Rationes dubitandi.** Videtur in homine praeter animam intellectivam alteram esse organicam vel etiam duas. Nam (1.) corruptibile et incorruptibile non sunt unius substantiae. Principium intellectionis incorruptibile est, principium autem sensationis et vegetationis est corruptibile, id quod manifeste apparet in plantis et bestiis. Quod si anima sensitiva in homine est incorruptibilis, non erit eiusdem generis anima sensitiva in homine et in beluis.

(2.) Homo rationalitatem habet ab anima intellectiva. Animalitatem autem ab anima sensitiva. Ergo intellectiva comparatur ad corpus animatum anima sensitiva, ut forma ad materiam.

(3.) Si in homine anima rationalis, sensitiva, vegetativa sunt idem secundum substantiam, ubicunque est una, erit et alia. Id vero falsum est. In ossibus est quidem anima vegetativa, quia ossa nutriuntur atque augentur. Sunt autem ossa sine sensu; abest igitur ab his anima sensitiva.

(4.) Motus illi mechanici et eventus chemici, quibus vita organica absolvitur, a re incorporea, qualis est anima spiritualis, oriri non possunt.

(5.) Ardet in homine lucta gravis inter animam rationalem et animam sensualem. Sed lucta ex conceptu est inter duo.

279. **Thesis: Una est in homine anima eaque rationalis, quae vitae tum intellectivae tum sensitivae tum vegetativae est principium.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Ostensum est ante, unumquodque ex tribus vitae generibus indigere anima tanquam principio substantiali (n. 187. 193. 196).

Praenota 2°. Una dicitur, quia est una formaliter et realiter; quamquam virtualiter est triplex, quia anima intellectiva continet perfectiones animae sentientis et vegetantis.

„Sicut superficies, quae habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona et per aliam est pentagona . . . ita nec per aliam animam Socrates est homo et per aliam animal, sed per unam eandemque.“ [1] Atque haec

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 3.

anima virtualiter continet vitam sensitivam et vegetativam. Verum haec virtualitas est a parte causae tantum, non vero a parte effectus, qui effectus formalis est non secus, ac si a causa formaliter sensitiva et vegetativa procederet. Unde ea est dicendi formula, ut anima humana dicatur continere in se animas inferiores, non solum virtualiter eminenter (eo modo, quo etiam angelus vitam sensitivam continet), sed etiam virtualiter formaliter.

Praenota 3°. Anima rationalis dicitur triplicis vitae principium, i. e. anima, quae est rationalis, non anima qua rationalis. Operationes enim vitae sensitivae atque vegetativae ex se non peraguntur duce ratione sive intellectu, sed duce appetitu naturali et elicito, qui inest in vita organica.

Praenota 4°. Qui sint huic thesi adversarii, ex supra enarratis colligi potest. Et vis prima huius thesis ea est, ut ab homine omnes animae aliae praeter unam rationalem excludantur.

280. **Argumenta.** *Arg. I* (ex non multiplicandis sine ratione entibus; quod argumentum vim negativam habet contra adversarios). Multiplicitas animarum in homine est supervacanea. Ergo non est admittenda. *Prob. antec.:* Anima, quae est rationalis, ea omnia efficere potest, quae ab adversariis attribuuntur animabus tribus. Id esse posse adversarii negant, propter operationes diversas quin immo oppositas.

Sed a) non obstat operationum diversitas; nam una anima esse potest diversarum operationum principium. Vel quis ponet multas animas pro diversitate intellectus, voluntatis, visus, auditus, aliarum rerum?

Neque b) obstat, quae inter operationes hominis esse potest oppositio. Nam sicut lucta est inter partem sensitivam et intellectivam, ita etiam esse potest inter intellectum et voluntatem; atque inter ipsam voluntatem ut tractam huc, et ut tractam illuc. Quae lucta satis explicatur ex oppositione obiectorum vel etiam facultatum.

Arg. II (ex unitate conscientiae). Conscientia etsi ex se non ad suppositum, sed ad principium refertur, testatur tamen homini, eundem esse qui cogitet, et qui sentiat curetque indigentias vitae vegetativae ut suas. Ergo cogitatio et sensus et quae cum sensu cohaeret vitae vegetativae cura sunt ex uno eodemque principio ultimo, cuius identitatem per reflexionem cogitando deprehendimus.

Arg. III (ex dependentia inter vitam triplicem in homine). Antequam ad argumentum veniamus, haec dependentia paucis est describenda.

Est igitur dependentia quum quoad evolutionem, tum quoad operationes.

1. Quoad evolutionem evolvuntur facultates cognoscitivae omnes, evolvente se organismo corporeo per vegetationem; et in multis rebus debilitato vel laeso organismo impeditur non modo vita vegetativa sensitivaque, sed etiam ipsa vita intellectiva.

2. Quoad operationes: a) Vita vegetativa in homine est conditio necessaria vitae sensitivae, haec vitae intellectivae. Nam per vegetationem efformantur organa sensuum; neque ullibi intellectus elementa intelligibilia reperit, nisi in rebus obiectis sensui.

b) Contra vita tum sensitiva tum intellectiva est in homine conditio necessaria vitae vegetativae; prior quia homo appetitu sensitivo et sensatione et motu spontaneo ad vegetandum indiget; altera, quia homini a natura per instinctus et apparatus animales non est satis provisum, ut vitam vegetativam degere possit; sed ad hunc finem homini necessarium est, ut intellectum adhibeat.

c) Quo magis intenditur vitae vegetativae operatio, eo minus proficit ea, quae est animae rationalis. Quin immo operatio intellectus etiam impeditur operationibus sensuum, si hae nimis intensae fuerint. Et contra ex attentione nimia ad actus intellectivae facultatis impeditur operatio sensus, quin immo ipsa nutritio. Atque haec mutua impeditio tanta est, quanta esse potest solummodo inter unius eiusdemque principii operationes.

d) Actus multi vitae vegetativae (velut prehensio, trituratio, deglutitio ciborum, respiratio aëris) magnam partem appetitui sensitivo et voluntati subsunt. Passiones, imaginationes, mentales operationes vim magnam habent in motus automaticos, digestionem, circulationem sanguinis. Sic dolor magnus sudorem excitat, comestionis imaginatio salivam in ore segregat, aspectus rei sordidae vomitum provocat, maeror nutritionem impedit, ira motum cordis accelerat, sescenta in hoc genere alia. Praeterea alimentorum genus, clima, aetas et alia similium incredibilem vim habent ipsam vitam intellectivam quod attinet [1].

---

[1] Recte Bernheim (Neue Studien [übersetzt von Freud, Leipzig 1892] p. 31): „Die Absonderung, die Ernährung, die Athmung, der Blutumlauf stehen unter der directen Herrschaft des Rindencentrums. Als psychisches Organ greift das Gehirn überall ein. Die psychischen Störungen klingen in den Verdauungsfunctionen wieder. Sorgen, moralische Aufregungen, Schreck, Zorn, Kummer oder Freude wirken jeden Augenblick auf die Verdauungsthätigkeit; der Appetit wird gesteigert, vermindert, vernichtet, der Magen verdaut schlecht,

His et multis aliis positis, quae enumerare longum est, hoc modo argumentum concluditur. Est maxima dependentia in homine inter vitam intellectivam, sensitivam, vegetativam, non solum quoad evolutionem, sed etiam quoad operationes. Atqui huius rei nullo modo causa esse potest, si tres sunt in homine animae; potest vero, si una tantum est anima.

Etenim si tres in homine sunt animae, una organismum curans, altera organismo operans, tertia in organismo tantum domicilium habens, ponendum est 1° ens unice intelligens esse, cuius facultates ex se pendeant ab alterius entis evolutione, idque multis rebus patiatur ab ente sentiente et vegetante.

Ponendum est 2° ab alio adhiberi organa, ea construi ab alio atque restaurari; itaque principium vegetativum parare organa alteri sentienti, et principium sensitivum sentire famem non suam, sed alterius (n. 80), organa deinde unius hominis pertinere ad principia tria.

Neque dicas — id quod monet Sylv. Maurus [1] — „quod, quia eidem materiae est unita anima sentiens et intelligens, potest anima intelligens ad discurrendum iuvari iis, quae percipit anima sentiens; nam nullum cognoscitivum iuvatur ac dirigitur immediate a cognitionibus, quas ipsum non cognovit.

---

zieht sich schmerzhaft zusammen (Krampf), er sondert schlecht ab (Veränderung des Magensaftes, der Nervus vagus), erzeugt, wenn er durch eine organische Hirnläsion oder durch eine emotive functionelle Störung erregt ist, Erbrechen. Gemüthsbewegungen erzeugen Diarrhöe, Verstopfung, Erbrechen und Gasauftreibung, beeinflussen den Mechanismus der Gallenbildung, erzeugen Polychotie und Ikterus. Die Ernährung, welche unter dem Einflusse der trophischen, vasomotorischen, secretorischen und der Nerven der blutbildenden Organe steht, ist durchaus von dem psychischen Befinden abhängig. Eine längere Verstimmung äussert ihre Rückwirkung auf die vegetativen Functionen; die Assimilation wird gestört, die eingeführten Nährungsmittel schlagen nicht an, die rothen Blutkörperchen verfallen mannigfaltigen Veränderungen oder erneuern sich nicht; Chlorose, Anämie, Glykosurie, Purpura, Marasmus treten nach grossen Gemüthsbewegungen auf. Die Wärmebildung steht in directem Zusammenhange mit der functionellen und organischen Gesundheit des Gehirns. Wir haben in den letzten Jahren Wärmecentren in der Gehirnrinde kennen gelernt. ... Wir brauchen kaum zu betonen, welchen vorwaltenden Einfluss das Seelenorgan durch Vermittelung des Nervus vagus und Sympathicus auf die Circulation und Athmung übt. Wer weiss nicht, dass Herzklopfen, Herzstillstand, Pulsunregelmässigkeit und Verlangsamung, dass Beschleunigung der Athmung, keuchendes, unregelmässiges, ängstliches Athmen Folgen von Gemüthsbewegungen sind oder auch durch die blosse ängstliche Selbstbeobachtung erzeugt werden können?“

[1] L. c.

Non igitur plures animae constituunt unum animal, quia sunt in eadem materia, sed e converso plures partes materiae constituunt unum animal, quia habent unam et eandem animam; e. g. oculus et auris constituunt unum animal, quia habent unam animam, quae eadem videt per oculum et audit per aurem, tanquam per suum instrumentum."

At vero si una in homine est anima rationalis, a qua vita triplex oritur, ingens illa dependentia satis intelligitur. Hoc enim posito, anima illa, quatenus immaterialis est, non patitur a re materiali neque agit in sensatione et vegetatione. Sed quatenus est sensitiva et vegetativa, est id, quo patitur corpus; et est id, quo corpus secundum vitae normam evolvitur. Itaque anima una, quae ex se est et spiritualis et ad informandum corpus destinata, potentiis triplicis ordinis instructa est, ita ut potentiae inferiores sint quasi causae materiales potentiarum superiorum [1]. Etiam facile intelligitur, cur ab initio sui ortus anima humana quoad omnium facultatum usum et adhibitionem nondum evoluta sit, evolvatur vero cum organismo sese evolvente.

Arg. IV (ex lucta intestina inter rationem et concupiscentiam). Per experientiam constat animam humanam trahi ad diversa bona spiritualia et materialia eamque luctam non externam esse inter multas luctantes animas, sed esse unicuique agenti internam. Est igitur lucta, non sicut inter equitem et equum, sed sicut inter inclinationes ad bona diversa et opposita in uno eodemque agente. Ergo unum est in homine triplicis vitae principium substantiale [2].

281. *Confirmatur 1°* (ex modo, quo homo intelligit). Intellectus humanus aliquo modo ab ipsis rebus materialibus ad cognoscendum movetur interveniente impressione materiali. Sed facultas spiritualis, quae hoc modo a rebus materialibus ad cognitionem habendam movetur, radicem in eadem substantia habere debet, in qua radices habet suas facultas sensitiva. Directe enim facultas spiritualis eo modo ab obiecto materiali moveri non potest. Restat ergo, ut moveatur indirecte. Indirecte autem moveri non potest, nisi interveniente sympathia quadam, quae non est nisi inter facultates unius animae. Ponendum est igitur unam esse animam, quae una facultate cognoscat idem, quod facultate alia cognoscit.

Confirmatur 2° (ex unicitate unius formae in una re). Suo loco demonstrandum erit etiam ipsam animae rationalis substan-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 77, a. 7. [2] Sylv. Maurus l. c. ad 2.

tiam per se et essentialiter esse corporis formam. Si igitur in uno homine tres sunt animae, etiam tres sunt formae. Nam anima rationalis non suscipit intrinsecus operationes organicas in ipsam operationem intellectivam, neque anima sensitiva suscipit operationem vegetativam in ipsam operationem sensitivam, sicut (ex multorum opinione) operationes chemicae et physicae suscipiuntur in ipsam operationem vegetativam. Sed in homine operatio vegetativa intrinsecus non pendet ab operatione sensitiva; neque operatio sensitiva intrinsecus pendet ab intellectione. Unde si sunt harum trium operationum tria principia substantialia, iam unumquodque eorum rem suo modo concludit atque absolvit: quam ob rem unaquaeque anima erit forma formaliter accepta.

Atqui fieri non potest, ut in una re sint tres formae formaliter acceptae[1]. „Nihil est enim simpliciter unum nisi per formam unam, per quam habet res Esse. Ab eodem enim habet res, quod sit ens, et quod sit una; et ideo ea, quae denominantur a diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut *homo albus*. Si igitur homo ab alia forma haberet, quod sit vivum, scilicet ab anima vegetativa, et ab alia forma, quod sit animal, scilicet ab anima sensitiva, et ab alia, quod sit homo, scilicet ab anima rationali, sequeretur, quod homo non esset unum simpliciter." [2]

Dices: Non est absurda sententia, quam Aristoteli et Alberto Magno ascribunt, qua ponitur in re mixta manere formas elementorum non quidem formaliter ut formae rem terminantes et concludentes, sed realiter tantum ut rem vialiter determinantes, ita ut nullo modo formae vocari possint. Ergo fieri potest, ut in una re sint tres animae, quarum ultima et suprema tantum rationem formae substantialis habeat. *Resp.:* In hoc differunt formae vitales ab anorganicis, quod propter actionis immanentium ex natura sua rem concludunt absolvuntque ut unam.

Confirmatur 3° (ex unitate viventis in homine). Si in homine essent tres animae, i. e. principia tria, quorum unumquodque immanenter agit, essent tria etiam viventia: eo fere modo, quo planta parasitica cum planta, cui inest, constituit duo viventia. Omnis enim anima, quum sit principium activitatis immanentis, non perficit ens cui inest determinatione interna qualicumque,

[1] *Τὸ γὰρ αἴτιον τοῦ εἶναι πᾶσιν ἡ οὐσία* (Arist. l. 2 de an. c. 4, 415 b, 12). Cum ente autem convertitur unum *τὸ ὂν καὶ τὸ ἓν ταὐτὸν καὶ μία φύσις* (l. 3 metaphys. c. 2, 1003 b, 22).

[2] Summa c. gent. l. 2, c. 58. 68; l. 4, c. 80; 3, dist. 2, q. 1, a. 3; et 4, dist. 44, q. 1, a. 1; Quaest. disp. q. 8 de pot., a. 4 ad 2; q. 10 de verit., a. 1 ad 2; q. de spir. creat. a. 3. 4; de an. a. 9 (in l. 2 de an. lect. 1).

sed determinatione ultima ens in se concludente, hinc ex essentia sua habet rationem formae substantialis. Fieri autem non potest, ut in una re sint plures formae (Phil. nat. n. 209).

Atqui in uno homine est unum vivens. Quod apertum est a) ex testimonio conscientiae, quo constat munia vegetabilia et sensitiva obiri a nobismet ipsis et non a famulis nobis subditis. b) Ex consensu universali hominum. Solent enim homines omnes concipere hominem non ut animam utentem animali sive ente sentiente, sed ut animal rationale. Deinde praedicant omnes hominem esse animal et animal esse vivens, praedicatione, quae fit per se primo. „Quae autem sumuntur a diversis formis, praedicantur ad invicem, sed per accidens, si formae non sint ad invicem ordinatae, puta quum dicimus, quod *album* est dulce; vel si formae sint ordinatae ad invicem, erit praedicatio per se in secundo modo dicendi per se, quia subiectum ponitur in definitione praedicati, sicut *superficies* praeambula est ad colorem. Si ergo dicamus, quod *corpus superficiatum est coloratum*, erit secundus modus praedicationis per se.“ [1] Oportet igitur unam eandemque formam esse, qua aliquid est animal, et qua aliquid est homo.

Confirmatur 4° (ex naturae consuetudine). In natura quae sunt dispersa in inferioribus, adunata in superioribus esse solent. „Forma est similitudo agentis in materia. In virtutibus autem activis et operativis hoc invenitur, quod quanto aliqua virtus est altior, tanto in se plura comprehendit non composite, sed unite. Sicut secundum unam virtutem sensus communis se extendit ad omnia sensibilia, quae secundum diversas potentias sensus proprii apprehendunt (Log. n. 112). Perfectioris autem agentis est inducere perfectiorem formam. Unde perfectior forma facit per unum omnia, quae inferiores faciunt per diversa, et adhuc amplius; puta si forma corporis inanimati dat materiae Esse et Esse corpus, et forma plantae dabit ei et hoc et insuper Vivere. Anima vero sensitiva et hoc, insuper et sensibile esse. Anima vero rationalis et hoc et insuper rationale esse. Sic enim inveniuntur differre formae rerum naturalium secundum perfectum et magis perfectum . . ., propter quod species comparantur numeris, quorum species per additionem et subtractionem unitatis variantur. Unde etiam Aristoteles dicit, quod vegetativum est in sensitivo,

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 3.

et intellectivum in vegetativo, sicut trigonum in tetragono et tetragonum in pentagono; pentagonum enim virtute continet tetragonum; habet enim hoc et adhuc amplius; non autem quod seorsum in pentagono sit id quod est tetragoni, et id quod est pentagoni proprium tanquam duae figurae. Sic etiam anima intellectiva continet sensitivam, quia habet hoc et adhuc amplius; non tamen ita, quod sint duae animae." [1]

282. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Anima, quae est sensitiva tantum, ea est corruptibilis. Si vero anima et sensum habet et intellectum, ea est incorruptibilis. Sensus enim etsi non dat incorruptionem, tamen enti intellectivo incorruptibilitatem auferre non potest. Anima humana et beluina quum sint formae, ex se non collocantur in genere vel specie. Sed in genere et specie sunt composita. Homo autem ex natura sua corruptibilis est, sicut et alia animalia.

(Ad 2.) Anima intellectiva virtute continet id, quod sensitiva habet, et praeterea habet amplius. Ratio igitur seorsum considerat id, quod ad virtutem sensitivam pertinet, quasi quoddam imperfectum et materiale. Et quia hoc homini et aliis animalibus commune est, ut ratio *generis* accipitur. Id vero, in quo anima humana sensitivam excedit, quasi formale et amplectivum accipitur, ex quo formatur *differentia* hominis specifica. Non autem putare oportet his diversis intentionibus logicis ex rerum partibus diversitatem realem respondere.

(Ad 3.) Anima sensitiva et vegetativa esse possunt una, neque tamen necesse est, ut in unaquaque parte corporis appareant omnes eius operationes. Sicut enim visus est in oculo, ita auditus in aure. Atque ita in rebus aliis pro diversa partium dispositione diversae functiones apparent [2].

(Ad 4.) Omnes effectus organici, si considerantur ut effectus physici et chemici, efficiuntur qualitatibus corporeis; si considerantur ut vitales, efficiuntur dirigente intrinsecus anima, quae istos eventus quasi animat ad fines vitales consequendos. Ab anima sunt etiam potentiae vitales, quae actuantur in actibus vitalibus, ut vitales sunt. Potentiae vegetativae et sensitivae, si considerantur in anima humana tanquam in suo principio et radice, sunt ibi ut perfectio, qua anima spiritualis potest praestare in humano corpore, quidquid praestat anima organica in plantis et beluis.

(Ad 5.) Lucta externa est inter duo vel plura; lucta vero interna est in uno ente, quod diversis respectibus et tractionibus est expositum. Ita una anima spiritualis diversis apprehensionibus et contrariis affectibus distrahi potest.

Dices: At vero in anima una esse non possunt simul inclinationes et actus contrarii. — *Resp.:* Efficaces sub eodem respectu simul esse non possunt, tamen inefficaces.

283. **Solvuntur quae restant dubia.** *Dicunt 1°:* Animae humanae reflectenti per conscientiam in semet ipsam aperiuntur omnes suae operationes internae.

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 3.

[2] Ibid. q. de an. a. 11 ad 20.

Sed non aperiuntur ex se operationes vegetativae; hae ergo ab alio sunt principio substantiali. — *Resp.:* Ea tantum aperiri possunt animae reflectenti, quae ex naturae instituto sunt sensibilia. Sed sapienter a natura provisum est, ne omnes eventus vegetativi homini reflectenti aperti sint.

Dicunt 2°: Indecorum est, et graviter derogans dignitati animae intellectivae, quae altissimae contemplationi destinata sit, hanc occupari vilissimis istis ministeriis, ut sunt digestio, secretio, excretio, alia vegetativae vitae opera. Hae ergo res ab anima spirituali non sunt; sed curantur ab anima inferiore. — *Resp.:* Videant, qui ita obiciunt, num ipsi melius dignitati animae humanae consulant, quum putent eam esse spiritum purum, affixum et concretum quasi bestiae, quae, ut est bestia, inter omnes bestias maxime est exposita vitae organicae miseriis. — Nos vero posuimus animam humanam ex natura sua destinatam esse ad ducendam vitam organicam, ex qua ipsa habeat emolumenta maxima. Quam ob rem ex coniunctione huius animae cum materia, anima non infra naturam suam deicitur, sed materia ad finem altiorem elevatur.

Dicunt 3°: Tota operatio animae intellectivae voluntate et intellectu peragitur. Atqui manifestum est operationes organicas neque intellectione neque ulla volitione perfici. — *Resp.:* Concedendum est animam intellectivam solam, quamdiu est corpori alligata, praeter intellectionem et volitiones (vi vocis latiore acceptas) nullas habere operationes, quae sint solius animae. Coniuncta autem corpori est subiectum vitae organicae, a qua ipsa naturaliter pendet etiam in operatione intellectiva.

Dicunt 4°: Haud raro in cadavere apparent operationes vitales; crescunt ungues et capilli; quum partes nervorum extremae a scintilla electrica attinguntur, apparent motus contractibilitatis et tensionis. — *Resp.:* In viventi corpore plurimae accidunt fibrillarum et molecularum motiones affectionesve, quae ex se non vitales sunt, sed mechanicae, physicae, chemicae, quae tamen praesente anima ad fines vitales diriguntur; quum vero abest anima, quamdiu in cadavere manent dispositiones mechanicae, physicae, chemicae, efficiuntur istae res secundum leges naturales materiae.

284. **Scholion.** Si quaerat quis, qua ratione anima rationalis in homine contineat animam sensitivam et vegetativam, is aliquam quoad loquendi modum controversiam apud philosophos reperiet.

Haud inepte iudicant, qui hoc modo statuunt:

1. Anima rationalis, quatenus est anima, est formaliter sensitiva et vegetativa, unde non solum virtualiter sed etiam formaliter continet animam beluinam et plantarem, quatenus sunt animae.

2. Anima rationalis, quatenus est in homine, est sensitiva hoc modo, et vegetativa hoc modo; quam ob rem habet vitam beluinam et plantarem non formaliter quidem, sed eminenter, quia evehit vitam sensitivam et vegetativam ad eum modum, qui hominis proprius est.

3. Anima rationalis, quatenus est in homine, non continet formaliter animam bruinam et plantarem, sed ad summum virtualiter imperfecte [1].

§ 3. De unitate ex anima et corpore resultante.

285. **Intimum inter animam et corpus commercium.** De hoc commercio praeclare Aquinas: „Secundum naturae ordinem propter colligantiam virium animae in una essentia, et animae et corporis in uno Esse compositi, vires superiores et inferiores et etiam corpus et anima invicem in se effluunt, quod in aliquo eorum superabundat. Et inde est, quod ex apprehensione animae transmutatur corpus secundum calorem et frigus, et quandoque usque ad sanitatem et aegritudinem, et usque ad mortem; contingit enim aliquem ex gaudio vel tristitia vel amore mortem incurrere. Et inde est, quod ex ipsa gloria animae fit redundantia in corpus glorificandum. . . . Et similiter est e converso, quod transmutatio corporis in animam redundat. Anima enim coniuncta corpori eius complexiones imitatur secundum amentiam vel docilitatem et alia huiusmodi. . . . Similiter ex viribus superioribus fit redundantia in inferiores, velut quum ad motum voluntatis intensum sequitur passio in sensuali appetitu, et ex intensa contemplatione retrahuntur vel impediuntur vires animales a suis actibus; et e converso ex viribus inferioribus fit redundantia in superiores, ut quum ex vehementia passionum in sensuali appetitu exsistentium obtenebratur ratio, ut iudicet quasi simpliciter bonum id, circa quod homo per passionem afficitur." [2] Huius commercii nunc ratio quaerenda est. Quod si haec ratio in eo poni possit, ut animam etiam intellectivam et corpus in una natura substantiaque una putemus coniuncta esse, ratio sane habetur, quae satis est. Quorum enim commune est Esse, etiam communes sunt affectiones et operationes et vires. Ea autem, quorum affectiones et operationes et vires communes sunt, per influxum physicum internum inter se pendere possunt. Verum haec naturae unitas ex anima spirituali et corpore materiali difficiliorem explicatum habere videtur. Quam ob rem reperiuntur, qui dicant corpus in homine uniri animae in-

[1] Cfr. Sylv. a S. Ioan. Bapt., Instit. philosoph. III (Mont. Casin. 1875), 403 sqq.

[2] S. Thomas, Quaest. disp. q. 26 de verit., a. 10.

time quidem, sed extrinsecus, eo fere modo quo instrumentum coniungitur artifici [1].

Contra docuerunt Aristotelici, etiam in homine animam intellectivam et materiam corporis coniungi in naturam unam. De unitate hominis igitur videndum est. De qua Aquinas: „Ex anima et corpore in unoquoque nostrum constituitur duplex unitas, naturae et personae. Naturae quidem, secundum quod anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fiat una natura, sicut ex actu et potentia, vel materia et forma. Unitas vero personae constituitur ex eis, in quantum est unus aliquis subsistens in carne et anima.“ [2]

Quaeritur primo:

quaenam in homine ex anima et corpore resultet unitas.

286. **Introducitur quaestio.** Suo loco (n. 207) demonstratum est in unoquoque organismo ex anima et corpore resultare naturam unam et substantiam unam. Quoniam vero nunc vidimus in homine esse animam, quae sit spiritualis et entitative simplex, videri possit illam de unitate naturae et substantiae thesim, hominem quod spectat, restringendam esse.

Natura est principium operationis, quod est in ipsa re operante internum et essentiale (Log. n. 1462, 3. n. 1479). Natura partes habere potest. Si ex unaquaque eius parte non egrediuntur nisi operationes inter se separatae, complexus harum partium erit natura per accidens una; et unaquaeque pars erit natura una completa. Si autem ex partibus unitis egreditur operatio una, partes simul acceptae erunt natura per se una, et unaquaeque pars erit natura incompleta sive partialis.

Substantiam quod attinet, ex iis, quae ante (n. 267) disputata sunt, apertum est de substantia eadem ratione arbitrandum esse qua de eiusdem natura.

Sed quum de homine agitur, etiam p e r s o n a e mentio incidere solet (Log. n. 1473, n. 1481, 3).

Persona aliud significat, quam natura (Log. n. 1481, 4). N a t u r a enim indicat essentiam speciei, quatenus est principium, quo fit operatio. A natura distinguitur s u p p o s i t u m naturae quod est individuum subsistens in natura illa, quatenus est principium, quod operatur. Suppositum non solum ea includit, quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam multa accidentia; et sub hoc respectu re differunt natura et suppositum, non quod omnino sint separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et super adduntur quae-

[1] „Die Seele des Menschen ist der Parasit seines Leibes; die Seele der Thiere ist die blinde Dienerin ihres Leibes.“

[2] S. Thomas, S. theol. 3, q. 2, a. 1 ad 2.

dam alia, quae sunt praeter rationem speciei. Unde suppositum significatur ut totum habens naturam sicut partem formalem et perfectivam sui. Et propter hoc in compositis ex materia et forma natura non praedicatur de supposito. Non enim dicimus, quod *hic homo* est sua humanitas. Si autem aliqua res est, in qua omnino nihil aliud est praeter rationem speciei vel naturae suae, sicut est in Deo, ibi re non est aliud suppositum et natura, sed solum ratione; quia natura dicitur, secundum quod est essentia quaedam sive principium, quo ens agit; eadem vero dicitur suppositum, secundum quod est subsistens et consideratur ut principium, quod agit.

Suppositum, si habet naturam rationalem, nuncupatur p e r s o n a. Persona igitur per modum „subsistentis, quod agit", significat idem, quod significat natura, qua agens agit, vestita accidentibus [1]. Et omne, quod inest alicui substantiae rationali, sive pertinet ad naturam eius sive non, unitur ei in persona. Et distinctio, quae est inter personam et naturam, est r a t i o n i s tantum, si attenditur ad ipsam rationem personae et naturae. Est vero r e a l i s, si attenditur ad ea, quae habet in se persona et natura; persona enim in se habet naturam et amplius.

Ut vero redeamus ad conceptum s u b s t a n t i a e: probe observandum est eam vocem non solum adhiberi ad significandam essentiam sive naturam, quae subsistat, sed etiam ad indicandum ipsum suppositum, ut est principium, q u o d agit, sive subiectum primum attributionis [2].

287. **Rationes dubitandi.** Videtur ex coniunctione animae spiritualis et corporis resultare unitas per accidens. Nam (1.) Ex duabus substantiis actu exsistentibus non potest fieri aliquid unum; actus enim cuiuslibet est id, quo ab altero distinguitur. Substantia vero intellectualis est substantia actu exsistens; similiter autem et corpus. Non igitur potest aliquid unum fieri.

(2.) Actiones sunt suppositorum. Ex unitate igitur actionis ad unitatem dumtaxat personae, non vero principii vel naturae concludi potest.

(3.) A probatissimis philosophis anima humana, etiamsi a corpore separata est, dicitur esse persona. Ergo ratio personae non ex unione animae et corporis resultat.

(4.) Materia, qua constituitur corpus, perpetuo fluxu mutatur; mutatur igitur etiam materiae cum anima coniunctio; persona autem manet; persona ergo coniunctione materiae cum anima constitui non potest.

288. **Thesis: Ex unione animae et corporis resultat unitas naturae, substantiae, personae.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Id quod hoc loco nostra plurimum interest, est unitas naturae, eiusque completae. Duas naturas incompletas concedimus. Per transennam quasi etiam ad personae rationem attendimus, quo videlicet conceptus unitatis humanae ad rei veritatem omnino accommodatus statuatur.

Personam scimus esse principium q u o d actionum rationalium sive subiectum attributionis, eamque definiri, ut sit rationalis naturae substantia in-

[1] S. Thomas, S. theol. 3, q. 2, a. 2.

[2] Cfr. ibid. I, q. 29, a. 2; 3, q. 2, a. 6 ad 3.

dividua (Log. n. 1481, 4). Natura hic intelligitur principium motus sive operationis rei operanti internum vel essentia ad operationem ordinata, sive principium quo actionum.

Alterum discrimen, quod est inter naturam et personam magis secundarium, in eo est, ut natura significet solam essentiam, persona etiam accidentia, quod quidem hoc loco negligitur [1].

Praenota 2°. Thesi proponitur, in homine ex forma et materia duplicem constitui unitatem, naturae et personae; naturae quidem, quatenus anima unitur corpori formaliter perficiens ipsum, ita ut ex duabus fiat una natura; personae vero, quatenus ab anima et corpore est unus aliquis subsistens in natura completa, cui proprietates et operationes attribuuntur [2]. Est igitur persona, quamdiu corpus unitum animae non ita corrumpitur, ut desinat esse subiectum, quod sit animae proportionatum et ab anima ad Esse hominis compleri possit.

289. **Argumenta.** *Argumentum partis prioris* (qua edicitur in homine esse naturam unam et substantiam unam). Natura est principium primum, quo activitas in ente producitur. Eorum igitur, quorum communis est activitas, etiam communis est natura. Sed activitas vegetativa et sensitiva etiam in homine est communis animae et corporis (n. 208. 209). Accedit, ut vita spiritualis, qualis est in homine, ex natura sua destinata sit, ut sit complementum vitae sensitivae; et ut vita sensitiva, qualis est in homine, ex natura sua destinata sit, ut sit complementum vitae spiritualis. Quam ob rem „anima humana et corpus constituunt humanam naturam". „Quum ex anima et corpore fiat unum, neque corpus, neque anima natura dici potest, quia neutrum habet speciem completam, sed utrumque est pars unius naturae." [3] Ubi autem est natura una, ibi etiam est substantia una (n. 212).

Confirmatur 1° (ex influxu interno animae in corpus, et corporis in animam). Permulti sunt eventus, quorum unusquisque et animam et corpus intrinsecus afficit atque immutat. Quae res nullo modo esse posset, si corporis et animae esset diversa natura, diversumque Esse. Vel quis dicet, artificis vel motoris affectiones, passiones, volitiones posse afficere intrinsecus instrumentum vel mobile?

Confirmatur 2° (inde quod inter animam et corpus nulla est communicatio idiomatum). Ubi sunt diversae naturae integrae

[1] S. Thomas, Quodlib. 2, a. 4 ad 1. [2] Id. S. theol. 3, q. 2, a. 1 ad 2.
[3] Id. Summa c. gent. l. 4, c. 35.

subsistentes in uno supposito, ibi communicatio idiomatum locum habet [1]. Sed in homine est quidem unum suppositum, cui actiones omnes humanae attribuuntur, neque tamen ulla est communicatio idiomatum. Non enim dicere possumus: anima est mortalis; corpus intelligit. Ergo anima et corpus non sunt duae naturae completae, sed sunt duae naturae partiales unius naturae.

Argumentum partis alterius (qua dicitur, in homine ex anima et corpore constitui personam unam). Est in homine persona, quia homo est substantia rationalis, quae sit sui iuris, i. e. alteri non communicata (Log. n. 1481, 4). Est deinde persona una, quia subiectum unum idemque est, cui attribuuntur tum ea, quae ad animam spectant, tum ea, quae ad corpus pertinent; unus enim idemque est, qui dicitur nasci, nutriri, mori, audire et videre, intelligere, amare virtutem. Atque haec una persona constituitur ex anima et corpore unitis. Nam personae nomine significatur natura rationalis integra, quatenus haec est sui iuris et independens. Formaliter igitur significatur subsistentia, connotatur tamen natura rationalis completa. Natura autem completa est in homine ex unione animae et corporis. Et haec natura completa, quamdiu non subditur personae alienae, est sui iuris et independens.

Confirmatur (ex comparatione hominis naturalis cum Christo Domino): „In puris hominibus ex unione animae ad corpus constituitur persona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima et corpus sic in iis coniunguntur, ut per se exsistant. Sed in Christo uniuntur ad invicem ut adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita. Eapropter ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona; sed advenit ipsum coniunctum personae seu hypostasi praeexsistenti." [2]

290. Respondenda. *(Ad 1.)* „Corpus et anima non sunt duae substantiae actu exsistentes, sed ex iis duobus fit una substantia actu exsistens; corpus enim hominis non est idem actu praesente anima et absente, sed anima facit ipsum actu esse." [3]

(Ad 2.) Dicere solent, actiones esse suppositorum (Log. n. 1475), ut significent, in ente, ut agere possit, praerequiri subsistentiam, ita ut prius sit, rem subsistere, quam rem agere. Certum est enim necesse esse, ut res ante in Esse suo constituta et completa sit, quam possit ponere operationem completam. Nemini autem unquam philosopho in mente fuit, ut diceret suppositum esse formaliter id, quo tanquam principio operatio efficeretur. Actio igitur est

---

[1] S. Thomas, S. theol. 3, q. 16.

[2] Ibid. q. 2, a. 5 ad 1. Et alio loco dicit Aquinas: „In aliis hominibus (praeter Christum) unio animae et corporis constituit hypostasim et suppositum, quia nihil aliud est praeter haec duo" (Comp. theol. c. 211).

[3] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 69.

suppositi attributive sive denominative, i. e. tanquam „agentis ut quod“, non autem effective, i. e. tanquam „agentis ut quo“.

(Ad 3.) Verum est ab aliquibus animam solam per quandam dicendi negligentiam personam vocatam esse. „Videtur enim unumquodque esse id, quod est principale in ipso, sicut, quod facit rector civitatis, dicitur civitas facere.“ [1]

(Ad 4.) Materia corporis perpetuo mutatur quidem. Is vero materiae fluxus continuus non impedit, quominus corpus simpliciter maneat ab anima informatum et ad speciem humanam determinatum. Persona humana manet, quamdiu una eademque anima cum corpore ad constituendam unam naturam completam et subsistentem unita manet. „Si consideretur caro secundum speciem, i. e. secundum id, quod est formale in ipsa, sic semper manet, quia semper manet natura carnis et dispositio naturalis ipsius. Sed si consideretur caro secundum materiam, sic non manet, sed paulatim consumitur et restauratur.“ [2]

291. Scholia. *Schol. 1.* Quod ad personae identitatem pertinet, erravit Locke, quum eam in ipsa conscientia sive in conscientiae extensione reponeret. Qua de re mox plura.

Schol. 2. Unio illa, quae est inter animam et corpus, vocari non potest hypostatica. Unio enim hypostatica ea nominari solet, qua fit, ut persona exsistens sibi naturam externam assumat, ita ut sint duae vel plures naturae completae (manentes duae vel plures) in una persona unitae.

Quaeritur secundo:

quaenam sit ratio formalis „personae“.

292. Introducitur quaestio. Quum „personae“ inciderit mentio, et huius vocis tum in scientia tum in vita civili frequens usus sit, non supervacaneum esse ducimus huius vocis notionem accuratius inspicere.

„Secundum Boëthium [3] sumptum est nomen personae a personando eo, quod in tragoediis et comoediis recitatores sibi ponebant quandam larvam ad repraesentandum illum, cuius gesta narrabant decantando; et inde est, quod tractum est in usu, ut quodlibet individuum hominis, de quo potest talis narratio fieri, persona dicatur.“ [4] Et quia in comoediis et tragoediis repraesentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen „persona“ ad significandum aliquos dignitatem habentes. Unde consueverunt dici personae in ecclesiis, qui habent aliquam dignitatem. Propter quod quidam definiunt personam dicentes, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Et quia magnae dignitatis est, in rationali natura subsistere,

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 4 ad 1. [2] Ibid. q. 119, a. 1 ad 2.
[3] De secundis naturis c. 3. [4] S. Thomas 1, dist. 23, q. 1, a. 1.

ideo omne individuum rationalis naturae dicitur persona [1]. Persona a Boëthii aetate definiri solet: rationalis (sive intellectualis) naturae substantia individua [2].

Locke (quem multi ex recentioribus secuti sunt) dixit personam esse ens intelligens, quatenus habeat conscientiam, se esse idem per diversa loca et tempora permanens [3].

293. **Rationes dubitandi.** Videtur definitio a Boëthio posita reprehendenda esse. Nam (1.) nullum individuum sive singulare definitur. Sed persona quoddam singulare significat.

(2.) Praeterea substantia, quae ponitur in ista definitione, aut dicitur esse prima; et frustra additur individua; aut est secunda, et erit oppositio in adiecto.

(3.) Illud deinde, in cuius definitione ponitur substantia pro genere, debet esse species substantiae. Sed persona non est species substantiae.

(4.) Accedit, quod nomen subsistentiae propinquius esse videtur illi enti, quod personam dicimus, quam substantia. Potius igitur per subsistentiam definienda esse videtur persona quam per substantiam.

(5.) Si autem ratio personalitatis in sola substantia reperiretur, nulla esset ratio, cur supposito rationali speciale personae nomen tributum esset. Nam ratio subsistentiae non est alia in ente rationali atque in ente irrationali.

(6.) Deinde definitio personae convenire debet rei, quae actu persona est. Sed propter rationalis naturae substantiam individuam homo non est actu persona, sed potentia tantum.

(7.) Unde melius dixisse videntur illi, qui rationem formalem personae ex conscientia trahunt actuali; nam haec causa est, cur alicui actiones et iura attribuantur. Vel si cui conscientia actualis non placet, is conscientia virtuali contentus sit.

(8.) Et reapse vox „personae" ad dignitatem referri dicitur, qua homo praestat rebus reliquis in hac rerum sensibilium universitate. Sed nemo non videt, hanc dignitatem in sui conscientia esse repositam.

(9.) Quod si quis tenere velit rationem personae cerni in humana subsistentia, is memor sit, ipsam hominis subsistentiam eo constitui, quod homo sui ipsius conscius est.

294. **Thesis: Persona non constituitur conscientia, sed recte dicitur esse rationalis naturae substantia individua.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Nomen personae imponi solet enti completo rationali, quatenus est adaequatum functionum et proprietatum principium, quae ipsi ascribi possint.

Quum homo intellectu intelligit, pedibus ambulat, voluntate benignus est, ipsi homini hi actus ascribuntur ut personae. Homo ut persona agit, quum natura sua utitur ad agendum bene et laudabiliter, vel male et vitiose. Quum

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 29, a. 3. Cfr. Quaest. disp. q. 9 de pot., a. 2.

[2] „In omni substantia, cuius est Esse et Operari, necessario intelligimus naturam et habentem naturam. Et naturam dicimus essentiam vel substantiam; habentem naturam dicimus personam" (S. Bonav. 1, dist. 23, a. 2, q. 2).

[3] Hum. Underst. II, c. 27, n. 9. 10.

bene agit, homo ut persona nobilitatem affert etiam suae naturae et dignitatem; quum male agit, vitiat et corrumpit naturam. Et potest quidem homo a parentibus accipere naturam vel bene excultam et exornatam, atque etiam naturam depravatam, ita ut accipienti ut personae id neque culpae personali vertatur neque merito personali.

Quaeritur nunc, in quo ratio formalis personae consistat.

Praenota 2°. Eos hac thesi aggredimur, qui dicant hominem formaliter personam esse propter conscientiam.

In quorum numero sunt Locke, Iakobi, Günther. Et hi quidem rationem personae posuerunt in actu conscientiae. Alii autem censent rationem formalem personae in virtuali quadam sui conscientia sitam esse.

His concedimus personam significare suppositum intellectuale; eam igitur addere supposito connotationem intellectualitatis; ita ut personalitas concipiatur ut ultimum complementum substantiale sive ultimus substantialis terminus substantiae intellectualis essentialiter completae. Apertum est autem in intellectualitate contineri etiam conscientiam virtualem. Negamus vero personam illa conscientia constitui.

Atque illud etiam concedimus, sicut substantiae alienae nobis innotescunt per sensus externos, ita innotescere nobis per conscientiae actus substantiam propriam eiusque identitatem.

Praenota 3°. Quum quaeritur, quae sit ratio formalis personam ut sic constituens, duplex huius quaestionis vis esse potest. Primo quaeri potest, unde formaliter efficiatur, ut huic naturae rationali generatim attribuantur functiones et proprietates suae tanquam principio „quod". Et haec quaestio huius loci est; cui respondemus in natura rationali non aliam rationem formalem quaerendam esse, quam quae sit in substantia qualibet: subsistentiam actualem sive suppositalitatem. Secundo poni potest quaestio, unde formaliter efficiatur moralis actionum imputabilitas. Cui quaestioni respondendum est ad hanc requiri eam conditionem, ut suppositum illud, de quo agitur, habeat usum rationis. Et generatim naturae humanae rationalitas est ratio, ob quam id ipsum, quod communiter in toto genere substantiarum vocatur suppositum vel hypostasis, iam speciale nomen personae adeptum est [1].

Praenota 4°. Nos dicimus ad rationem personae constituendam requiri tria: (1.) ut sit natura simpliciter, i. e. completa, (2.) ut sit natura rationalis, (3.) ut sit substantia individua vi tamen huius vocis omnino perfecta et plena, ita ut non tantum sit substantia singularis, sed etiam ad se ipsam pertineat sive sit incommunicabilis.

Id significavit Boëthius, quum personam definiret, ut sit naturae rationalis substantia individua. Quae definitio etsi indiget alicuius explicationis,

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 29, a. 2.

tamen ut antiquitus tradita et apud probatissimos philosophos in usu posita nobis videtur esse retinenda. Sicut igitur generatim individuum cuiuslibet naturae perfecte in se ipso exsistens vocatur suppositum, ita huiusmodi individuum, si exsistit in natura intellectu praedita, nomen adeptum est personae.

In illa autem definitione dicitur „rationalis naturae", ita ut „rationalis" accipiatur latius pro omni ente intellectuali. „Natura" non intelligitur, ut est „principium motus", sed ut dicit Boëthius: „Natura est unumquodque informans specifica differentia." [1]

Dicitur „substantia", non secundum quod significat essentiam, sed secundum quod significat subiectum [2] sub ratione communi, ut abstrahitur a substantia prima et secunda [3].

Dicitur „individua", ut aperte significetur modus subsistendi in se et incommunicabiliter.

Potest autem individuum significari dupliciter, aut per nomen secundae intentionis, sicut hoc nomen individuum vel singulare, quod non significat rem singularem, sed intentionem singularitatis; aut per nomen primae intentionis, quod significat rem, cui convenit intentio singularitatis; et ita significatur hoc nomine „persona"; significat enim rem ipsam, cui accedit intentio individui [4]. „Hoc nomen personae est commune communitate rationis, non sicut genus vel species, sed sicut individuum vagum (aliquis homo). . . . Hoc tamen interest, quod ‚aliquis homo' significat naturam vel individuum ex parte naturae cum modo exsistendi, qui competit singularibus; hoc autem nomen ‚persona' non est impositum ad significandum individuum ex parte naturae, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura." [5]

Est etiam alia vox „hypostasis", qua olim ut plurimum indicabatur id ipsum, quod indicatur nomine substantiae vel naturae. Nunc autem haec vox ex usu communi translata est ad significandum id, quod significat persona. „Hypostasis est illa substantia particularis, quae ab aliquo principaliore non habetur." [6]

295. Argumenta. *Arg. I* (ex indole bonae definitionis). Definitionis est ea indicare, quibus res in specie sua constituitur et ab rebus aliis clare distinguitur. Atqui istud non efficitur definitione, qua persona dicitur esse substantia sui conscia; efficitur autem illa, qua personam dicunt esse rationalis naturae substantiam individuam.

Nam in priore definitione indicatur quidem aliqua ratione, quo differat res subsistens, quae persona est, ab alia re subsistente, quae persona non est; nullo autem modo indicatur, quo in uno eodemque ente subsistente subsistentia differat a natura. Diximus: indicatur aliqua ratione; nam ne id quidem recte enuntiatur; differentia enim illa in „natura rationali" sita est, pro qua in illa definitione ponitur una ex proprietatibus naturam rationalem consequentibus.

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 9 de pot., a. 2 ad 11.
[2] S. theol. 1, q. 30, a. 1 ad 1. [3] Ibid. q. 29, a 1 ad 2.
[4] Id. 1, dist. 23, q. 1, a. 3. [5] Id. S. theol. 1, q. 30, a. 4.
[6] Id. opusc. 3 contra Graec. et Arm. c. 6. Cfr. S. theol. 3, q. 4, a. 2 ad 2.

In altera autem, quam defendimus, personae definitione „substantia individua“ ponitur ut genus proximum, quo excluduntur et accidentia, et universalia, et partes substantiales quum integrales tum essentiales, atque etiam forma illa totius, quam essentiam vocant, ut est *humanitas* in homine.

Additur autem „rationalis naturae“ ut differentia specifica, qua differt persona ab illis entibus, quibuscum convenit ratione generis proximi; ut sunt animalia, plantae, lapides.

Arg. II (ex aliqua paritate entium rationalium et irrationalium). Substantiae irrationales rationem, cur sint supposita, non trahunt ex actione aliqua vel facultate naturae activa; sed inde, quod habent naturam completam subsistentia perfecta et actuali praeditam. Id ipsum igitur de ente completo rationali putandum erit.

Arg. III (contra adversarios). Ratio formalis personae id est, quo natura rationalis constituitur in se, ut sit sui iuris et alteri incommunicabilis. Atqui conscientia actualis certe non est id, quo natura rationalis ita constituitur. Nam haec conscientia actualis in homine est actus elicitus vel potius est actuum series inter se succedentium. Sed nullus actus elicitus sive nulla operatio personam constituere potest.

Ad quem locum illa Aquinatis trahi possunt: „Esse“, inquit, „et Operari est personae a natura, aliter tamen et aliter. Nam Esse pertinet ad ipsam constitutionem personae; et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini, et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius Esse completi et personalis. . . . Sed operatio est quidam effectus personae secundum aliquam formam vel naturam.“ [1]

Vel aliis verbis: Persona est ipsa substantia; conscientia autem est accidens, quod ad substantiam accedit.

Confirmatur (ex absurdis consequentiis). Si adversarios sequimur, infantulos, amentes, ebrios, dormientes dicemus personas non esse; et unumquemque toties constitui ut personam, quoties eliciat conscientiam actualem; quo quid sit absurdius, vix dici potest.

Dices: In conscientia saltem virtuali ratio personae reperiri potest. — *Resp.:* Concedimus notionem personae involvere respectum ad hanc conscientiam, quatenus connotat naturam intellectualem. Sed hac conscientia ipsa ratio personae constitui non potest. Nam haec conscientia significat facultatem, quae ad naturam pertinet, ut natura est, et ad personam, ut ea hanc naturam habet. Sicut generatim nihil actu habere potest facultatem agendi, nisi quod iam actu est et singulare est, nulla natura habere potest facultatem conscientiae, nisi sit iam actu persona. Prius igitur est esse personam, quam habere sui conscientiam.

---

[1] S. Thomas, S. theol. 3, q. 19, a. 1 ad 4.

Accedit, quod in definitione personae non illud tantum significandum est, quo res subsistens, quae persona est, differat ab aliis rebus subsistentibus, quae personae non sunt, sed imprimis indicandum est, quo in una re subsistente ratio personae differat a natura sive essentia.

296. Respondenda. *(Ad 1.)* Etsi haec vel illa persona non potest definiri, certe tamen id, quod ad communem rationem personalitatis pertinet, definiri potest [1].

(Ad 2.) Substantia accipitur ratione communi, ut dividitur per primam et secundam; et eo, quod additur „individua", trahitur ad standum pro substantia prima [2].

(Ad 3.) Persona continetur in genere substantiae, sed ut specialem modum essendi determinans [3].

(Ad 4.) Nomen personae non solum significat subsistentiam, sed ipsum subiectum, quod subsistit. Unde melius in definitione personae dicitur substantia quam subsistentia; quum praesertim hoc loco nomen substantiae intelligatur pro eo, quod est commune ad omnem substantiae acceptionem. Et ad rem accommodate nomini substantiae additum est nomen individui. Quod etsi est nomen intentionis et accidentis, non tamen sine ratione adhibetur ad significandam rem, quae alia ratione a nobis vix satis clare cognosci et breviter significari possit [4]. Itaque individuum in hac definitione significat modum exsistendi perfecte individualem.

(Ad 5.) Non sine ratione supposito rationali speciale personae nomen est inditum. Nam ens rationale multo magis et perfectius est ens in se et ad se magisque ab aliis divisum quam supposita reliqua [5].

Atque haec maior personae perfectio et dignitas in eo reperitur 1. quod solum suppositum naturae rationalis conscientia est praeditum, quo fieri possit conscium unitatis suae atque ab aliis distinctionis.

2. Quod huic supposito proprium est, ut possit se ex libero voluntatis arbitrio ad actus suos determinare. „Sicut substantia individua proprium habet, quod per se exsistat, ita proprium habet, quod per se agat; nihil enim agit nisi ens actu; et propter hoc *calor*, sicut non per se est, ita non per se agit, sed calidum per calorem calefacit. Hoc autem, quod est per se agere, excellentiore modo convenit substantiis rationalis naturae quam aliis. Nam solae substantiae rationales habent dominium sui actus, ita quod in iis est agere, et non agere; aliae vero substantiae magis aguntur quam agant." [6] Quo autem maior est independentia in actionibus, eo etiam maior est in ipso Esse.

3. Quod unicuique supposito rationali etiam is finis praestitutus est, ut quaerat fruitionem perfectam et sui ipsius beatitudinem. Unde haec supposita multo magis sunt sibi, quam supposita alia.

(Ad 6.) Homo propter naturam rationalem est persona, non potentia sed actu. Dignitas enim illa, quae nomine personae significatur, est essen-

---

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 29, a. 1 ad 1.

[2] Id. Quaest. disp. q. 9 de pot., a. 3 ad 7. [3] Ibid. ad 6.

[4] Id. S. theol. 1, q. 29, a. 1; Quaest. disp. q. 9 de pot., a. 2 ad 5.

[5] Id. S. theol. 1, q. 29, a. 1.

[6] Id. Quaest. disp. q. 9 de pot. a. 1 ad 3. Cfr. S. theol. 1, q. 29, a. 3.

tialis, et non accidentalis; unde ipsam naturam rationalem, non usum rationis consequitur.

(Ad 7.) Si quaerat quispiam, quonam discrimine differat persona a supposito sive hypostasi vel quanam ratione efficiatur, ut suppositum, quod est in homine vel in ente spirituali completo, vocetur persona, et ut suppositi subsistentia vocetur personalitas, recte huic respondetur, id effici eo, quod suppositum hoc connotet intellectualitatem naturae, ad quam pertinet etiam conscientia illa, de qua agitur. Ita est apud Aquinatem: „Omne", inquit, „quod subsistit in intellectuali vel rationali natura, habet rationem personae." [1] Nihil enim est aliud persona, quam hypostasis talis naturae, scilicet rationalis. . . . Ex quo patet, quod, licet non omnis hypostasis sit persona, omnis tamen hypostasis humanae naturae persona est [2]. Verum minus recte dixeris ipsam personae rationem formaliter in natura rationali sitam esse, id quod supra satis est declaratum.

(Ad 8.) In definitione personae declarandum est, et quid addat hypostasis ad rationem substantiae, et quid addat persona ad rationem hypostasis.

(Ad 9.) Certum est (id quod ad hanc obiectionem observat Kleutgen [3]) peculiarem illam subsistentiam, quae immaterialem naturam sequatur, causam esse, cur spiritus se ipse cognoscat [4]. Sed spiritus non subsistit hoc modo, quia sui conscius est; sed est sui conscius, quia hoc modo subsistit; i. e. quia est substantia simplex et a materia intrinsecus independens.

297. Scholia. *Schol. 1.* Si quaerat quispiam, quae sit distinctio inter personam et naturam, utrum realis, an rationis tantum, retinenda distinctio est ab Aquinate posita (cuius supra mentionem fecimus). Si persona et natura accipiuntur formaliter, i. e. secundum suam rationem formalem, est distinctio rationis tantum (Log. n. 1478), sed cum fundamento in re, propter diversum concipiendi modum. Si vero persona et natura accipiuntur materialiter, i. e. secundum ea, quae includunt, est distinctio realis inadaequata, sicut inter totum et eius partem. Nam persona significat essentiam sive naturam, et praeterea quidquid naturae inest sive necessario, sive contingenter.

Schol. 2. Ex dictis vides, quid de variis quae hodie circumferuntur personae definitionibus arbitrandum sit: Definiunt personam, ut sit suppositum rationale; vel: substantia completa et rationalis; vel: substantia singularis, completa, rationalis; vel: individuum sui compos; vel: individuum suae rationalitatis con-

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 4, c. 95. [2] Ibid. c. 38.

[3] Institut. theol. tom I, n. 740.

[4] Cfr. lib. de caus. prop. 15; S. Thomas, S. theol. 1, q. 14, a. 2 ad 1 et q. 56, a. 1; Quaest. disp. q. 1 de verit. a. 9 et q. 2, a. 2 ad 2; Suar., Disp. metaph. disp. 34, sect. 1, n. 13.

scium; vel: individuum rationale omnino completum; vel: animal rationale, individuum, incommunicabile.

Schol. 3. Ex iis, quae supra dicta sunt, haec intelliguntur axiomata. 1. Actiones sunt suppositorum et personarum. 2. Denominationes sunt suppositorum et personarum; i. e. de supposito et persona enuntiari debent attributa, quae propria sunt substantiarum partialium. 3. Actiones participes sunt dignitatis vel indignitatis personae agentis.

Schol. 4. Potest aliquod suppositum subsistentiam suam amittere (et persona etiam personalitatem), quum alii supposito ita unitur, ut cum ipso fiat unum.

Si duae substantiae, quarum utraque est persona, ita unirentur in unam personam, ut utraque ab altera perficeretur, utraque personalitatem amitteret et ex unione hac oriretur nova persona. Si vero alterutra ex his propter suae perfectionis excellentiam unione ab altera substantia nullo modo perficeretur, haec altera amissa sua personalitate ad personam prioris assumeretur. Verum his de rebus plura theologi.

§ 4. De ipsa unione animae rationalis cum corpore.

298. Opinationes de hac re difficili variae. Quum ante (n. 214) probatum et ex natura vitae ostensum sit organismum omnem fieri substantiam per se unam eo, quod anima sit forma substantialis corporis: id ipsum etiam de homine arbitrandum erit. Quoniam vero in homine principium est spiritus, graviter est dubitatum, an ipsa substantia animae rationalis possit vere cum materia coïre in substantiam per se unam. „Modus, quo adhaerent spiritus corporibus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest.“ [1] Est tamen scientiae atque philosophantium, ut declaretur, qua ratione haec unio ab omni absurditatis specie possit liberari. Quocirca vix non omni tempore, praecipue vero, postquam apud multos de philosophia Aristotelica desperatum est, variae excogitatae sunt opinationes.

Sed antequam varias hac de re opinationes proponamus, videndum est, qua ratione Aquinas docuerit animam intellectivam esse per se corporis formam. Necesse est dicere, inquit, intellectum, qui est intellectualis operationis principium, esse humani corporis formam. Illud enim, quo primo aliquid operatur, est forma eius, cui operatio tribuitur: sicut quo primo *sanatur* corpus, est sanitas, et quo primo *scit* anima, est scientia; unde sanitas

[1] S. Augustin. l. 21 de civit. Dei c. 10.

est forma corporis et scientia animae. Anima autem est primum, quo nutrimur, sentimus et movemur secundum locum; et similiter quo primo intelligimus; si quis autem velit dicere animam intellectivam non esse corporis formam, oportet ut inveniat modum, quo ista actio, quae est Intelligere, sit huius hominis actio. Experitur enim unusquisque se ipsum esse, qui intelligit.

Et pergit Aquinas: Attribuitur autem aliqua actio alicui tripliciter. Dicitur enim movere aliquid vel agere aut secundum se totum, sicut *medicus* sanat; aut secundum partem, sicut *homo* videt per oculum; aut per accidens, sicut dicitur, quod *album* aedificat, quia accidit aedificatori esse album. — Quum igitur dicimus, Socratem vel Platonem intelligere, manifestum est id non attribui ipsi per accidens: attribuitur enim ei, quantum est homo; quod essentialiter praedicatur de ipso. Aut ergo oportet dicere Socratem intelligere secundum se totum, sicut Plato posuit dicens hominem esse animam intellectivam; aut oportet dicere intellectum esse aliquam partem Socratis. Et primum quidem esse non potest propter hoc, quod ipse idem homo est, qui percipit se intelligere, percipit etiam se sentire; sentire autem non est sine corpore: unde oportet corpus esse aliquam hominis partem.

Relinquitur ergo intellectum, quo Socrates intelligit, esse aliquam partem Socratis, ita ut intellectus aliquo modo corpori Socratis uniatur. Hanc autem unionem Commentator (in 3 de anima text. 36) dicit esse per speciem intelligibilem; quae quidem habet duplex subiectum, unum: intellectum possibilem; et aliud: phantasmata, quae sunt in organis corporeis; et sic per speciem intelligibilem continuatur intellectus possibilis corpori huius vel illius hominis. — Sed ista continuatio vel unio non sufficit, ut actio intellectus sit actio Socratis. Et hoc patet per similitudinem in sensu, ex quo Aristoteles procedit ad considerandum ea, quae sunt intellectus. Sic enim se habent phantasmata ad intellectum, sicut colores ad visum. Sicut ergo species colorum sunt in visu, ita species phantasmatum sunt in intellectu possibili. Patet autem, ex hoc, quod colores sunt in pariete, quorum similitudines sunt in visu, actionem visus non attribui parieti. Non enim dicimus, parietem videre, sed magis, ipsum videri. Ex hoc ergo, quod species phantasmatum sunt in intellectu possibili, non sequitur Socratem, in quo sint phantasmata, intelligere, sed ipsum vel eius phantasmata intelligi.

Quidam autem dicere voluerunt, intellectum uniri corpori ut m o t o r e m: et sic ex corpore et intellectu fieri unum, ut actio intellectus toti attribui possit. Sed hoc multiplici ratione falsum est. Primo quidem, quia intellectus non movet corpus nisi per appetitum, cuius motus praesupponit operationem intellectus. Non ergo, quia movetur Socrates ab intellectu, ideo intelligit; sed contra, quia intelligit, ideo ab intellectu movetur. Secundo quia, quum Socrates sit quoddam individuum in natura, cuius essentia est una, composita ex materia et forma, si intellectus non est forma eius, sequitur eum esse praeter essentiam eius; et sic intellectus comparabitur ad totum Socratem, sicut motor ad motum. Intelligere autem est actio quiescens in intellectu agente, non autem transiens in alterum, sicut *calefactio*. Non ergo Intelligere potest attribui Socrati propter hoc, quod est motus ab intellectu. Tertio, quia actio motoris

nunquam attribuitur moto nisi sicut instrumento, sicut actio *carpentarii* serrae. Si igitur Intelligere attribuitur Socrati, quia est actio motoris eius, sequitur attribui ipsi sicut instrumento. Quarto, quia licet actio partis attribuatur toti, vel ut actio *oculi* homini, nunquam tamen attribuitur alii parti, nisi forte per accidens. Non enim dicimus *manum* videre propter hoc, quod oculus videt. Si ergo ex intellectu et Socrate fit unum, actio intellectus non potest attribui Socrati; si vero Socrates est totum, quod componitur ex unione ad reliqua, quae sunt Socratis, et tamen intellectus non unitur aliis, quae sunt Socratis, nisi sit motor, sequitur Socratem non esse unum simpliciter, et quod est consequens, nec ens simpliciter. Sic enim aliquid est ens, quomodo et unum.

Relinquitur ergo solum hunc hominem intelligere, quia principium intellectivum est forma ipsius. Sic ergo ex ipsa operatione apparet, intellectivum principium uniri corpori ut formam.

Id ipsum manifestatur ex ratione speciei humanae. Natura enim uniuscuiusque rei ex eius operatione ostenditur. Propria autem operatio hominis, quantum est homo, est Intelligere; propter hanc enim omnia animalia transcendit. Oportet ergo, ut homo secundum illud speciem sortiatur, quod est huius operationis principium. Sortitur autem unumquodque speciem per propriam formam. Relinquitur ergo intellectivum principium esse propriam hominis formam.

Sed considerandum est, formam, quanto sit nobilior, tanto magis dominari materiae corporali, et minus ei immergi, et magis sua operatione et virtute excedere eam. Unde videmus, formam mixti corporis habere aliam operationem, quae non causetur ex qualitatibus elementaribus. Et quanto magis proceditur in nobilitate formarum, tanto magis invenitur virtus formae materiam elementarem excedere: sicut anima vegetabilis plus quam forma metalli; et anima sensibilis plus quam anima vegetabilis. Anima autem humana est ultima in nobilitate formarum. Unde tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quia habet aliquam operationem et virtutem, in qua nullo modo communicat materia corporalis; et haec virtus dicitur intellectus [1].

299. Nunc veniamus ad opinationes varias, quae post relictam Aristotelis sententiam sunt ortae.

1. Primo loco commemorandi sunt, qui unione omni, quae realis esset, reiecta, sola unione quadam apparente contenti erant.

a) Systema causarum occasionalium (Phil. nat. n. 57). Malebranche aliique Cartesiani, qui animam humanam et corpus duas res esse omnino perfectas et completas ponunt, omnem unionis inter animam et corpus rationem a solo Deo petunt, qui data occasione idearum animae efficiat motus in corpore, et contra occasione data motuum corporis efficiat ideas in anima. Itaque Deus dicitur esse causa una et immediata motuum omnium

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 1; Quaest. disp. q. de an. a. 2; q. de spirit. creat. a. 2 ad 5; q. 26 de verit. a. 9 ad 7.

atque affectionum omnium, quae in homine accidunt[1]. Corpus et animam ex Malebranchii sententia duobus horologiis comparaveris, quae inter se nullo modo pendeant, quorum motus ideo accidant et per harmoniam inter se congruentes sint, quia artifex sine interruptione utrique manum impellentem dirigentemque admoveat.

b) Systema harmoniae praestabilitae primo promulgatum a Leibnizio[2], excultum deinde a Chr. Wolffio[3] eiusque discipulis[4]. Hoc systemate explicatur commercium inter corpus et animam serie affectionum in anima, et serie affectionum in corpore[5],

---

[1] Malebranche, Dial. 4 de metaph. et relig. § 18; Dial. 7, § 2; Tract. de inquir. verit. l. 3, part. 2, c. 3; l. 6, p. 2, c. 3, n. 6. Hoc loco dicit Malebranche: „Je nie que ma volonté soit la cause du mouvement de mon bras; car je ne vois aucun rapport entre des choses si différentes. Je vois même très clairement, qu'il ne peut y avoir de rapport entre la volonté que j'ai de remuer le bras et entre l'agitation de quelques petits corps, dont je ne sais ni le mouvement ni la figure; lesquels vont choisir certains canaux de nerfs entre un million d'autres que je ne connais pas; afin de causer en moi le mouvement que je souhaite, par une infinité de mouvements que je ne souhaite point. — Je remue mon bras, dira-t-on, à cause de l'union que Dieu a mise entre mon esprit et mon corps. Faculté, union, ce sont termes de logique; ce sont des mots vagues et indéterminés. Il n'y a point d'être en particulier, ni de manière d'être qui soit une faculté ou une union: on doit expliquer ces termes. Si l'on dit que l'union de mon esprit avec mon corps consiste en ce que Dieu veut que lorsque je voudrai que mon bras soit mû, les esprits animaux se répandant dans les muscles dont il est composé, pour le remuer en la manière que je souhaite, j'entends clairement cette explication et je la reçois. Mais c'est dire justement ce que je soutiens; car ma volonté déterminant celle de Dieu, il est évident que mon bras sera mû, non par ma volonté qui est impuissante en elle-même, mais par celle de Dieu qui ne peut jamais manquer d'avoir son effet. Mais si l'on dit que l'union de mon esprit avec mon corps consiste en ce que Dieu m'a donné la force de remuer mon bras, comme il a donné aussi à mon corps la force de me faire sentir du plaisir et de la douleur, on suppose ce qui est en question. On n'a point d'idée claire de cette force que l'âme a sur le corps, ni de celle que le corps a sur l'âme; on ne sait pas trop bien ce qu'on dit, lorsqu'on l'assure positivement. On est entré dans ce sentiment par préjugé; on l'a cru ainsi étant enfant et dès qu'on a été capable de sentir; mais l'esprit, la raison, la réflexion n'y ont point de part."

[2] In Diario eruditorum Parisino anno 1695: Log. et metaph. 81, aliis locis.

[3] Psychol. ration. sect. 3, § 13. [4] Bilfinger, Dilucid. sect. 3, c. 4.

[5] Id hoc loco discrimen inter doctrinam Malebranchii et Leibnizii animadvertendum est, quod ille ullam creaturarum activitatem esse negaverit, hic vero admiserit immanentem, negaverit transeuntem. Leibnizii effatum erat: Praesens est gravidum futuro.

quae duae series nulla ratione inter se pendeant (neque ut causae, neque ut occasiones), consentiant tamen inter se per harmoniam perfectam, quam Deus naturarum auctor initio rerum praestabiliverit. Ponitur enim omnes et singulos homines et quantum ad animas, et quantum ad corpora in Adamo iam actu creatos fuisse. Sunt igitur anima et corpus velut bina automata sive horologia. Unaquaeque anima propter solam suam ipsius naturam appetitiones perceptionesque producit certa et continua serie; atque etiam corpus unumquodque suapte natura suos proprios motus habet. Vidit autem Deus in infinita possibilium animarum et corporum multitudine, quaenam animae et quaenam corpora haberent affectiones inter se congruentes; deinde eas animas iis corporibus coniungere praestabilivit, quae inter se haberent operationes harmonicas.

300. 2. Deinde loco secundo memorandi sunt ii, qui unione quidem reali admissa, sed substantiali reiecta posuerunt unionem, quae accidentalis tantum esset.

a) Est systema assistentiae[1] resuscitatum a Platonicis et Cartesianis, qui dixerunt animam uniri corpori ut motorem mobili, hominemque definiendum esse, ut sit anima utens corpore. Cartesius essentiam totius hominis posuit in sola anima, et essentiam animae in perenni cogitatione actuali, actum intelligendi, imaginandi, sentiendi, volendi voce cogitationis comprehendens[2].

b) Systema mediatoris plastici, cuius initia sunt in doctrina Rudolphi Cudworth ponentis „naturam genitricem“ tanquam agens unum in universa natura, quod sit medium inter Deum et materiam, ipsum vero neque corporeum sit, neque incorporeum. Hanc doctrinam Ioannes Leclerc[3] transformavit in systema „mediatoris plastici“, quo docemur inter animam et corpus exsistere quandam substantiam mediam, quae sit utriusque vinculum, quo anima moveat corpus, et quo corpus excitet sensationes in anima. Hanc substantiam incorpoream esse et activam, sed omni cognitione destitutam. Opinatus est enim Clericus tantum esse inter animam et corpus intervallum, ut ex se coniungi non possent, nisi interveniente substantia tertia; multas praeterea reperiri in homine operationes, velut respirationem, motum cordis, quae neque

[1] Plato in Alcibiade et Phaed.
[2] Medit. 6, § 8. Les princ. de la phil. p. 1, § 8.
[3] Bibliothèque choisie tom. II, p. 1703.

ab anima neque a corpore promanare possent; has tribuendas esse substantiae tertiae, quae simul haberet naturam materialem et immaterialem.

c) Systema influxus physici, quod permultis placuit, inter quos Locke, Newton, Clarke, Euler [1], qui, quum animadverterent naturalem dependentiam, quae reapse est inter corpus et animam, ad sententiam non Aristotelis (quam ignorabant), sed Platonis regressi sunt. Rationem substantiae completae attribuerunt et animae et corpori; has inter se eo uniri, quod anima ageret in corpus et corpus in animam, quod anima pateretur a corpore et corpus ab anima; animam agendo in corpus sive in fluidum nerveum determinare corpus ad motum, et corpus agendo in animam determinare hanc ad obiecta externa percipienda.

d) Opinatio Rosminii reponentis unionem animae sensitivae in sensatione, et animae rationalis in perceptione immanente sensationis animalis [2]. Nec defuerunt, qui paulo aliter unionem in hoc genere psychicam proponerent.

e) Systema unionis dynamicae propositum a quibusdam atomistis recentis aetatis, qui, nomine formae substantialis omni sua vi et notione evacuato, male abusi, revera docuerunt unionem dynamicam, hinc accidentalem, arbitrantes substantiam animae et substantiam corporis constituere unum hominem eo, quod intime inter se praesentes, suas vires per mutuam resistentiam misceant, vel quod inter se modificent.

301. 3. Tertio loco memorandi sunt ii, qui admissa unione substantiali, negant tamen ipsam substantiam animae rationalis sive intellectivae per se et essentialiter atque etiam immediate esse corporis formam. Qui vel admittunt aliud in homine praeter animam rationalem principium vitale, quo mediante fiat unio inter animam intellectivam et materiam (quorum sententia supra est refutata); vel — id quod docuisse videtur Petrus Ioannis Olivi — dicunt animam ex parte sua sensitiva vel vegetativa esse formam substantialem corporis, sed ex parte sua intellectiva eam non informare corpus nisi per accidens et propter partem, quae sibi adiuncta sit, sensitivam et vegetativam. Sicut rex Hollandiae per accidens esse potest archidux Luciliburgae, et rex Sueciae per accidens esse potest etiam rex Norwegiae, ita anima rationalis

---

[1] Lettres à une princesse d'Allemagne I. 81. 82. Cfr. Storchenau, Psychol. p. 2, s. 2, c. 5, § 196. [2] Libro dell'uomo I, c. 7, prol. VIII, p. 349.

non ex se et per essentiam suam destinata est, ut sit forma substantialis corporis, sed id per accidens contingit.

Hi igitur docent unionem inter animam rationalem et corpus substantialem esse; negant eam esse formalem. Ex unione animae humanae cum corpore formaliter resultare ens, quod sit propter hanc unionem animal tantum, quod tamen etiam sit homo propter possessam vitam rationalem.

4. Quarto tandem loco in memoriam nobis veniunt ex Aristotelicis ii (Scotus, Henricus Gandavensis, alii), qui, quum viderent difficultates ex unienda anima spirituali cum corpore, posuerunt in homine necessariam esse formam corporeitatis, a qua acciperet materia Esse corporeum.

Quae quidem sententia non solum rem supervacaneam, sed etiam minus rectam proponere videtur (n. 245). Attamen silendum non est illos philosophos fortassis rectius cogitasse, quam verbis cogitata sua expressisse. Haud raro enim ita reddunt rationes sui systematis, ut a sententia, quam nos ut probabilem admittimus et sequimur (n. 249), vix alieni esse videantur. Ita inter alios Scotus in eam sententiam concessit, ut diceret „corpus cum forma corporeitatis esse incompletum in genere substantiae et quoad speciem", aperteque doceret corpus in ipso Esse substantiae ab anima compleri, animamque informare corpus per se ipsam [1]. Quorum sententia igitur potius explicanda quam refutanda esse videtur.

Quaeritur:

qua ratione efficiatur in homine unitas ex anima et corpore.

302. **Rationes dubitandi**: Videtur anima spiritualis et simplex, quae sit in homine, non posse esse forma corporis. Nam (1.) forma et materia in eodem genere esse debent; omne enim genus per actum et potentiam dividitur. Substantia autem intellectualis et corpus sunt diversi generis.

(2.) Omne illud, cuius Esse est in materia, oportet esse materiale. Non enim Esse formae est praeter Esse materiae. Sed substantia intellectualis est immaterialis.

(3.) Id, cuius Esse est in corpore, non potest habere Operari, quod sit separatum a corpore. Sed intellectus humanus non est virtus in corpore. Neque ergo Esse animae humanae potest esse in corpore.

(4.) Si substantia intellectualis est forma corporis, oportet, ut Esse eius sit sibi et corpori commune; erit ergo etiam omnis operatio substantiae intellectualis communis corpori, et virtus in corpore.

[1] „Forma animae non manente, corpus manet; et ideo universaliter in quolibet animato necesse est ponere illam formam, qua corpus est corpus, aliam ab illa, qua est animatum. Per istam formam corpus est in actu partiali; et est proximum receptivum animae intellectivae, licet per illam non sit in genere corporis, ut corpus est genus" (Super quartum Sent. dist. 2, q. 3, schol. 54).

(5.) Anima hominis est spiritus. Sed omnis spiritus est substantia completa. Ergo anima humana est substantia completa; id vero, quod est substantia completa, non potest esse pars alius substantiae.

(6.) Est in homine operatio intellectualis, quae est intrinsecus a materia independens. Ergo substantia intellectualis non potest esse forma corporis essentialiter per se.

(7.) Quae quum ita sint, videtur, hominem quod spectat, redeundum esse ad sententiam Platonis. Plato igitur et eius sequaces posuerunt animam intellectualem uniri corpori sicut motorem mobili. Ad evitandas autem omnes dubitationes definiverunt hominem esse animam utentem corpore, eo modo, quo Petrus non est aliquid compositum ex homine et indumento, sed homo utens indumento.

303. **Thesis: Substantia animae rationalis sive intellectivae vere, et per se, et essentialiter, et immediate exsistit humani corporis forma.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Quid voce formae substantialis intelligendum atque semper ab omnibus intellectum sit, ex alibi (n. 214) dictis recolendum et ad hunc locum trahendum est[1]. Hanc tamen differentiam inter animam beluinam statuimus et humanam, ut beluinam putemus omnino immersam esse in materiam, ita ut nullum plane Agere sibi reservet; e contrario animam humanam affirmemus corpus excedere.

„Quamvis sit unum Esse formae et materiae, non tamen oportet, quod materia semper adaequet Esse formae.“ [2] „Licet anima sit forma corporis secundum suam essentiam, non tamen secundum operationem intellectivam.“ [3]

Praenota 2°. Thesis duabus partibus absolvitur. In priore parte unionem inter animam humanam et corpus vere substantialem esse edicimus. Itaque vere, i. e. vi vocis propria et usitata, non vi aliqua nova vel metaphorica.

Adversantur nobis quos supra nominavimus, a) qui unionem docent, quae ne realis quidem est, sed apparens tantum, veluti in systemate occasionalismi proposito a Malebranche, vel in systemate harmoniae praestabilitae vulgo Leibnizio tanquam auctori ascripto et a Wolffio exculto.

b) Qui unionem docent, quae quidem realis sit, sit tamen accidentalis tantum, velut in systemate assistentiae a Platonicis et Cartesianis proposito; vel in systemate influxus physici, proposito a multis ex recentioribus. Ad quod revocantur variae opinationes de quadam unione dynamica, qua fiat, ut substantiae animae inter se addantur, intime praesentes sint, permisceantur, pendeant, modificentur.

Vel etiam systema influxus psychici propositi a Rosmini.

Qui omnes conveniunt, animam rationalem et corpus in homine non coniungi in substantiam, quae vere una sit.

[1] Cfr. S. Thomas, Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 1. 3; q. de an. a. 1. 2. 9.
[2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 68. [3] Quaest. disp. q. de an. a. 9 ad 11.

Praenota 3°. In altera parte eam unionem vere substantialem eo fieri affirmamus, quod substantia animae rationalis sit immediate, deinde per se et essentialiter corporis forma.

Itaque a) immediate, i. e. non interveniente aliqua alia anima vel aliqua potentia, vel aliqua actione vel entitate modali.

b) Per se et essentialiter, i. e. non per accidens vel per consequens, vel per solam concomitantiam; sed ex natura sua et per essentiam animae rationalis secundum se consideratam.

Adversantur nobis:

a) Qui in homine duas vel tres animas esse volunt, vel qui mediatorem plasticum, vel animam somaticam, vel vim nescio quam substantialem et vitalem in auxilium vocant.

b) Illi, qui unionem quidem substantialem admittunt, sed hanc effici volunt tantum per partem sensitivam et vegetativam, ita ut anima, quae est rationalis, per accidens sit etiam forma corporis propter solam vitam organicam, cuius principium sit.

304. Argumenta. *Argumentum partis prioris*, in qua affirmatur etiam animam rationalem, quae sit in homine, esse vere formam substantialem corporis.

Arg. (inde quod omnis anima sit forma corporis). Si anima rationalis non esset forma substantialis corporis, eius rei ratio esset vel quia spiritualitas et entitativa simplicitas impedimento esset, ne forma esse posset; vel quia argumenta, quibus ante (n. 207) probatum est omnem animam esse formam, nullam vim haberent, si agatur de anima rationali. Atqui neutrum putari potest. Nam

1. Non obstat animae spiritualitas simplicitasque, ne anima rationalis forma corporis esse possit. Non quilibet spiritus informare corpus valet; neque tamen repugnat, ne spiritus aliquis propter naturalem suam indigentiam possideat in sua substantia indolem, qua corpus informare possit. Et animae humanae entitativa simplicitas nedum informationis negotium non impediat, potius illud iuvat atque perficit. Est enim anima humana ea simplicitate affecta non propter defectum, sed propter excessum. „Neque minus est aliquid unum ex substantia intellectuali et materia corporali, quam ex forma ignis et eius materia, sed forte magis, quia, quanto forma magis vincit materiam, tanto ex ea et materia magis efficitur unum.“ [1]

Nihil ergo impedit, quominus anima spiritualis et simplex informet corpus, non solum largiendo ipsi Operari quoddam vel quandam facultatem, sed dando

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 68.

ipsi novum Esse et communicando cum corpore se ipsam, non quidem totaliter, sed tamen totam.

2. Argumenta illa vim suam etiam habent, quum de anima rationali intelliguntur. Nam

a) Homo non minus est compositum naturale, quam viventia reliqua.

Etiam in homine anima ita cum corpore unitur, ut resultet una nova natura et una nova substantia, quae per nativitatem nascitur, et in morte per corruptionem esse desinit. Duae autem substantiae incompletae, distinctae, inconfusae, quales sunt in homine, constituere non possunt ens per se unum, nisi eo, quod una habet Esse suum completum propter alteram sibi unitam.

b) Homo non minus est ens simpliciter unum quam organismi alii.

Unde hoc loco repetere licet: Substantia spiritualis et materia determinantur ad Esse unum aut confusione physica, aut mixtione perfecta, aut sola spiritus in materiam actione, aut informatione proprie dicta.

Non confusione physica. Nam nunquam ea confusione efficitur unitas. Praeterea ad eam ille contactus quantitatis requiritur, qui spiritum afficere non potest.

Non mixtione perfecta. Nam spiritus a materia pati non potest.

Neque sola spiritus in materiam actione, quaecunque illa est. Quae enim unita dicuntur propter eiusmodi actionem, unita sunt per contactum virtutis. „Quae autem uniuntur secundum talem contactum, non sunt unum simpliciter.“ [1]

c) Etiam in homine ipsum corpus vivit.

Vivere autem non est actio sive passio accepta ab alio (secus etiam machina viveret); neque est actio ex actione corporis et actione animae resultans, sed est Agere omnino novum. Sed Agere supponit Esse; et Vivere est quoddam Esse rei viventis. Quum autem materia ex se vivere non possit, vivit propter animam. Anima ergo est forma corpori viventi interna, et non solum assistens. Sed praeter animam spiritualem nulla est in homine anima alia. Ergo corpus ipsum vivit per animam rationalem, et haec anima est ipsa vita corporis, sive ipsum Esse substantiale corporis.

d) Manifestum est huic homini singulari convenire Intelligere: „Si quis autem velit dicere animam intellectivam non esse corporis formam, oportet quod inveniat modum, quo ista actio, quae est Intelligere, sit huius hominis actio; experitur enim unusquisque se ipsum esse, qui intelligit“ (n. 298) [2].

„Nulla autem operatio convenit alicui nisi per aliquam formam in ipso exsistentem. . . . Oportet igitur principium huius operationis, quod est Intelligere, formaliter inesse huic homini. . . . In quantum igitur anima humana supergreditur Esse materiae corporalis, potens per se subsistere et operari, anima

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 56. [2] Id. S. theol. 1, q. 76, a. 1.

humana est substantia spiritualis; in quantum vero attingitur a materia, et Esse suum communicat illi, est corporis forma.“ [1]

e) Signa, quibus declaratur intima quae est inter vitam intellectivam et corpus habitudo, vix sunt minora iis, quibus elucet, quanta sit vitae sensitivae cum corpore coniunctio [2].

Evolutio intelligentiae evolutionem cerebri concomitans; dependentia intelligentiae a statu somni et vigiliae; turbatio intelligentiae propter turbatum cerebrum eveniens: connexio intima affectionum voluntatis cum affectionibus corporis; exstinctio vitae intellectivae in moribundo paulatim progrediens; vivida affectuum rationalium in vultu irascentis, desperantis, exsultantis expressio: haec et sescenta alia id, quod modo diximus, praeclare confirmant.

305. *Argumentum partis alterius,* in qua affirmatur substantiam animae rationalis sive intellectivae per se et essentialiter et immediate humani corporis formam esse.

Arg. (ex natura animae humanae). Primo arbitrandum est substantiam animae rationalis esse immediate corporis formam. Nam nihil plane est, quod intermedium sit inter animam spiritualem et corpus, neque alia anima, neque aliqua facultatas, neque ulla actio; sed ex anima et corpore fit unum eo, quod anima rationalis suam substantiam cum corpore communicat tanquam forma substantialis materiae.

Deinde arbitrandum est substantiam animae rationalis esse etiam per se et essentialiter corporis formam. Tum enim ipsa rationalis animae substantia est per se et essentialiter corporis forma, si ex eius unione cum corpore resultat non solum principium operationum organicarum (animal), sed etiam principium illius modi intelligendi, qui homini ut homini peculiaris est (animal rationale). Atqui ita est. Ergo substantia animae intellectivae per se et essentialiter est corporis forma.

Prob. mai. Si anima rationalis unitur corpori, indeque resultat vita rationalis, quae ex se est indigens vitae sensitivae, et vita sensitiva ex se ad id apta, ut anima rationalis vitam intellectivam modo sibi naturaliter debito agere possit, manifestum est ipsam substantiam animae rationalis id ex essentia sua habere et ad id ex se destinatam esse, ut sit forma corporis. Atqui id

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 2. Cfr. ibid. de an. a. 9.

[2] Haec res saepissime est celebrata a materialistis. Vogt: „Das nämliche, was verdaut im Magen, denkt im Gehirn.“ Theodor Meynert: „Gall erfuhr von den Pariser Hutmachern, dass die gebildeten Stände ein durchschnittlich weiteres Hutmass brauchen als die ununterrichteten Armen.“ Qui tamen his rebus turpissime abutuntur.

idem est atque dicere eam esse per se et essentialiter corporis formam.

Prob. min. Anima rationalis nonnisi propter unionem cum corpore, et per ministerium vitae sensitivae (et hinc etiam vegetativae) illas species intentionales acquirere potest, quibus ad intelligendum modo naturae congruo indiget. Itaque non solum „accidit" animae intellectivae, sed ea ex sua natura id habet, ut uniatur corpori. Et ex instituto naturae est, ut substantia animae intellectivae humano composito perfectionem supremam tribuat et rationalitatem tanquam differentiam specificam, ad quam reliqua omnia, quae corpori tribuit, naturaliter ordinantur. „Quia ipsum Intelligere animae humanae indiget potentiis, quae per quaedam organa corporalia operantur, ex hoc ipso declaratur, quod naturaliter unitur corpori ad complendam speciem humanam." [1]

Huic rationi, quae in hac causa princeps est, accedit altera, quod vita sensitiva et vegetativa, ut est in homine, etiam naturaliter indigent operationibus vitae intellectivae.

306. *Confirmatur 1°* (ex scala perfectionum, quae est in rebus). In natura viget lex quaedam continuitatis, qua fit, ut illud, quod est infimum in ordine superiore, attingat id, quod in ordine inferiore est perfectissimum. Ex quo congruens est, ut illud, quod in genere corporum naturalium est perfectissimum, attingat ad animam spiritualem, quae inter substantias spirituales est infima [2].

Confirmatur 2° (ex statu naturali animae humanae). Si anima humana id non haberet ex se et ex natura sua, ut uniretur corpori, nulla esset ratio, cur cum corpore coniuncta esset; cur destinata ad hanc miserabilem machinam movendam, hanc regendam bestiam, quo difficilius vix quidquam cogitari potest. Anima haec, quum infimum inter substantias intellectuales quasi locum teneat, ex se non habet cognitionem veritatis innatam, quae substantiae intellectuali conveniat, sed hanc sibi ex rebus sensibilibus colligere debet. Unde modus intelligendi, qui est in homine, ex naturae instituto cum conversione ad phantasmata, quae ex rebus sensibilibus sunt hausta, coniunctus est [3]. Quod clarius apparet in iis, qui, quum sint debilioris intellectus, conceptionibus universalibus

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 68.

[2] Cfr. S. theol. 1, q. 76, a. 1; Summa c. gent. l. 2, c. 68.

[3] Id. S. theol. 1, q. 76, a. 5.

perfectam cognitionem non accipiunt, nisi iis singularia imaginibus sensibilibus proponantur [1].

Confirmatur 3° (ex indicio universali generis humani). 1. Generationem et corruptionem hominis quod spectat, censent omnes, hominem oriri generatione et interire corruptione. Sed generatio et corruptio eam informationem supponunt, quam descripsimus. Neque enim mobile a motore, neque id, quod dirigitur, a dirigente, neque vestis ab induto ita dependent, ut per unionem esse incipiant, per separationem corrumpantur.

2. Persuasum est omnibus in nobis idem esse principium, quod intelligat, sentiat. Id vero esse non potest, nisi anima intellectiva sit ipsi corpori hominis internum principium.

3. Omnes operationes intelligendi homini attribuunt. Si autem anima intellectiva non esset ex natura sua forma substantialis corporis, sola anima intelligeret, non vero id, quod ex anima et corpore est compositum.

Dicunt: Solent admittere in homine modum „unionis" (Phil. nat. n. 244), qui sit natura prior quam unitas substantiae ex anima et corpore constituta. Ergo anima humana non unitur corpori immediate. — *Resp.:* Suis locis (Log. n. 1293; Phil. nat. l. c.) aperte docuimus modum istum unionis non esse entitatem vel entitatulam, qua quasi ligamine corpus et anima coniungerentur, sed esse ipsorum unitorum modificationem, qua differant a non-unitis (n. 222, 15).

307. Respondenda. *(Ad 1.)* Forma et materia non sunt duae species unius generis, sed sunt principia unius speciei. „Sic igitur substantia intellectualis et corpus, quae seorsum exsistentia essent diversorum generum species, prout uniuntur, sunt unius generis ut principia." [2] Itaque substantia intellectualis completa et corpus naturale absolute consideratum sunt diversi generis. Substantia autem intellectualis incompleta et corpus humanum non spectant ad ullum generis vel speciei ordinem nisi reductive (Log. n. 1449, 4). Generatim forma et materia, quum sint partes totius, ad speciem et genus totius reducendae sunt. Corpus igitur et anima quum sint principia, quibus componatur homo, ad speciem hominis pertinent et sunt sub genere animalis.

Obicies 1°: Substantia animae rationalis nullo modo pars animalis esse potest. Deest enim omnis proportio inter istam substantiam et corpus animalis; non solum entitatis, sed etiam habitudinis. — *Resp.:* Est proportio habitudinis, quae in incompletione cernitur, atque etiam in informandi indole, quae quidem abest a spiritu puro, reperitur vero in anima humana.

Dices 2°: Esse corporis et Esse animae humanae substantialiter differunt. Ipsum enim Esse animae est simplex et immutabile. Ipsum autem Esse corporis in continuo fluxu est. Et in recedentibus quidem aliis post alias particulis minimis corporis non recedit substantia, quae in ratione substantiae incompleta sit, sed mutatur substantia completa. Ergo fieri non potest, ut ipsum

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 89, a. 1. [2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 69.

Esse corporis sit ipsum Esse animae cum corpore communicatum. — *Resp.:* Anima et corpus, quae in composito humano insunt, inter se non differunt ut substantiae duae, sed ut partes duae unius substantiae. Ex quo fit, ut partes corporeae, quamdiu in organismo insunt, sint substantiae incompletae, habentes Esse quidem materiae imperfectum ex se ipsis, Esse vero totius compositi humani perfectum acceptum ab anima. Ubi primum autem recedunt, ipsa recessione substantiae completae evadunt.

Obicies 3°: Videntur tamen istae particulae etiam, quamdiu sunt in corpore vivo, habere rationem substantiae completae. Sunt enim solae principium completae activitatis, ut est attractio, inertia. *Resp.:* Sint principium completae activitatis eo fere modo, quo etiam anima humana est principium intellectionis. Quia vero simul sunt tractae in principium activitatis, quae una animae et corporis communis est, non sunt substantiae completae.

(Ad 2.) Substantia intellectualis animae humanae habet quidem Esse suum in materia. Non tamen est in materia sicut materiae immersa vel a materia totaliter comprehensa, sed ex parte sua intellectiva materiam superat. Ergo non est forma materialis.

Dices 1°: Quidquid est actus materiae, est materiale. Atqui substantia animae humanae non est materialis. Ea ergo actus materiae esse non potest. — *Resp.: Dist. mai.:* Quidquid est actus materiae et nihil aliud, est materiale, *conc. mai.;* quidquid est actus materiae et etiam aliud, est materiale, *subdist. mai.:* id erit materiale absolute, *nego mai.;* respective, *conc. mai.* Et *dist. min.:* anima humana non est materialis absolute, *conc. min.;* neque est materialis respective, *nego min.* Itaque sub aliquo respectu materialis vocari potest, quatenus videlicet habet indolem, ut materiam actuare possit. Eo autem, quod anima fit pars essentialis corporis, operationem suam intellectualem non amittit, neque Esse suum a materia independens, neque communicat cum materia ipsum intellectivum essendi gradum.

Obicies 2°: Videtur anima humana, quae sit simplex et spiritualis, nullo modo Esse suum habere posse in materia, ut evadat pars essentiae. Ergo manent in homine essentiae duae, una animae, altera corporis. — *Resp.:* Quum anima corpori det Vivere, vitaque sit ipsum Esse viventis, iam anima est pars essentiae viventis; quo efficitur, ut in corpore vivente non sint duae essentiae, una corporis, altera viventis, sed unum sit corpus vivens. Itaque anima est vere pars essentiae corporis viventis.

Et huic quidem rei minime obici potest animae humanae spiritualitas, nisi ostendatur animam eo ipso, quod sit pars essentialis corporis viventis ut eius forma, amittere suas operationes intellectivas et suum Esse a materia independens, vel necesse esse, ut etiam hic gradus intelligendi per se corpori viventi communicetur, et ipsum Intelligere efficiatur organo corporali. Qua de re Aquinas: „Anima humana habet operationem omnino excedentem materiam, quae non fit per organum corporale, scilicet Intelligere. Et quia Esse rei proportionatur eius operationi, quum unumquodque operetur, secundum quod est ens, oportet, quod Esse animae humanae superexcedat materiam corporalem, et non sit totaliter comprehensum ab ipsa; sed tamen aliquo modo attingatur ab ea. In quantum igitur supergreditur Esse materiae corporalis, potens per se subsistere et operari, anima humana est substantia spiritualis: in quantum vero

attingitur a materia et Esse suum communicat illi, est forma corporis. Attingitur autem a materia corporali ea ratione, quod semper supremum infimi ordinis attingit infimum supremi. Et ideo anima humana, quae est infima in ordine substantiarum spiritualium, Esse suum communicare potest corpori humano, quod est dignissimum, ut fiat ex anima et corpore unum sicut ex forma et materia." [1] „Ex quo etiam intelligitur", ut est apud SUARESIUM, „quomodo anima rationalis, licet sit incorporea, possit esse forma corporeitatis; nam esse actum aut formam corporeitatis non est esse ipsam corpoream seu extensam, sed esse formam constituentem cum materia unam substantiam compositam capacem quantitatis. Idem omnino est, esse formam corporeitatis, quod esse formam substantialem materiae, quia ex hoc praecise, quod sit actus substantialis materiae, constituitur ex utraque substantia integra, materialis et corporea. Quum ergo rationalis anima, etiamsi sit indivisibilis, vera forma sit substantialis corporis, habet quidquid necessarium est, ut sit forma corporeitatis. Ex quo etiam concludi potest continere etiam sufficienter gradus intermedios, vegetativum scilicet et sensitivum, ita ut eos formaliter conferre possit composito, quia non potest continere extremos gradus sine his mediis." [2]

Neque nos dixisse poenitet tantum abesse, ut huic intimae unioni obstet animae humanae simplicitas entitativa, ut potius favere videatur. Nam „forma debet proportionari materiae tanquam actus potentiae et tanquam perfectio suo perfectibili. Ut autem actus proportionetur potentiae, non debet habere imperfectionem potentiae, sed potius oppositam perfectionem. In re, de qua agitur, materia, utpote divisibilis et constans ex pluribus partibus, secundum se praecise sufficientem unitatem non habet; ergo indiget formae et actus, qui partes contineat et det illis unitatem. Sed vero forma eo magis est proportionata ad dandam unitatem pluribus partibus materiae, quo magis est una. Ergo forma maxime una et indivisibilis est maxime proportionata ad actuandam materiam indivisibilem et ad eius partes continendas, dando illis unitatem. Ergo tantum abest, ut forma ad hoc, ut sit proportionata materiae, debeat esse divisibilis sicut materia, ut potius debeat habere oppositam indivisibilitatem. Ergo anima rationalis propter suam indivisibilitatem est aptissima formarum ad materiam informandam, continendo eius partes et redigendo ad unitatem." [3]

(Ad 3.) Distinguere oportet inter animae essentiam et potentiam eius. Secundum essentiam anima dat Esse corpori; neque repugnat, ne secundum potentiam operationes proprias efficere possit. Potentia, cuius operatio organo corporali efficitur, erit actus illius partis corporis, qua operatio completur, sicut *visus* est actus oculi. Potentia autem, cuius operatio non efficitur organo corporeo, non erit actus alicuius partis corporis; hoc modo intellectus dicitur separatus.

(Ad 4.) Retinendum est, etsi anima sit secundum suam substantiam forma corporis, non tamen esse necesse, ut omnis eius operatio sit organica, et, quod consequens est, omnis eius potentia sit actus alicuius partis corporis.

[1] S. THOMAS, Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 2.
[2] SUAR., Disp. metaph. disp. 15, sect. 10, n. 27.
[3] SYLV. MAURUS, Quaest. phil. l. 4, q. 27 ad 2.

Ostensum est animam humanam non immergi in materia, sed esse inter omnes formas alias maxime elevatam. Unde efficitur, ut operationem producere possit sine corpore [1].

308. *(Ad 5.)* Anima humana est quidem substantia spiritualis, non tamen omnino completa et absoluta in propria essentia et ratione subsistendi [2]. Etsi sola est principium completum intelligendi, nihilo setius substantia incompleta est, quia est principium incompletum vegetationis atque sensationis et quia praeterea vita intellectiva in homine ad perfectionem suam naturalem sensationis indiget. Quare scite dictum est „animam humanam, etsi possit per se subsistere, non tamen habere speciem completam, sed corpus ei advenire ad completionem speciei.“ [3] Et licet absit ab anima humana et corpore omnis proportio entitatis, vidimus tamen inter illa esse proportionem habitudinis, quae in eo consistit, ut a natura destinata sint, ut in ens unum coëant. Et anima, etsi in se considerata est multo perfectior quam corpus in se consideratum, habet tamen ex naturali sua destinatione virtutem trahendi Esse imperfectius ad Esse perfectius.

Obicies: At quis credere poterit ex duabus substantiis actu exsistentibus fieri posse unum per se? Atqui anima spiritualis et corpus actu exsistunt. Nunquam ergo ex iis fit unum per se. — *Resp.: Dist. mai.:* Ex istis duabus substantiis fieri non potest unum per se, quum utraque ultimam suam actualitatem ex se sive per se habet, *conc. mai.;* quum utraque eam habet per alterutram, *nego mai.* Corpus autem Esse suum completum habet ab anima, et anima completur a corpore, non solum quoad sensationem et vegetationem, sed etiam quoad intellectionis perfectionem naturalem. Et licet anima habeat subsistentiam, qua sine corpore exsistere possit „ut quod“, tamen, quamdiu est unita corpori, etiam subsistit „ut quo“, quatenus subsistit in toto.

(Ad 6.) Redeundum est ad id, quod diximus, etsi anima humana sit forma corporis secundum essentiam animae intellectualis, non tamen esse formam secundum operationem intellectualem, ut haec operatio intellectualis est. Quamvis enim sit unum Esse formae et materiae, non tamen necesse est materiam totum Esse formae adaequare. Immo quanto forma est nobilior, tanto in suo Esse materiam superat. Et anima materiae illud tantum Esse communicat, cuius haec capax est. Sed gradus intellectivus, ut intellectivus est, ex natura sua cum materia communicari non potest [4].

(Ad 7.) Erraverunt Platonici, quum dicerent hominem esse animam utentem corpore [5]. Homo enim est sensibile quiddam et naturale; anima vero est aliquid insensibile et immateriale. Ostensum est praeterea corpus esse internam hominis partem et non solum mobile quiddam, quod ab anima tanquam a motore motum accipiat.

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 69.

[2] Cfr. Suar. l. 1 de an. c. 12, n. 17; Disp. metaph. disp. 33, sect. 1, n. 15.

[3] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 1 ad 1. Ibid. dicit S. Doctor (ad 3): „Anima humana non est hoc aliquid, sicut substantia completam speciem habens, sed sicut pars habentis speciem completam.“

[4] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 68; Quaest. disp. q. de an. a. 9 ad 11; a. 10.

[5] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 57.

Suo loco apertis verbis diximus animae humanae, praeterquam sit forma corporis, etiam rationem motoris competere. „Anima enim rationalis potest comparari ad corpus ut motor, secundum quod est principium aliquorum operum, et ut forma. Si primo modo, quum actus quarundam potentiarum inveniantur sine instrumentis corporalibus exerceri, aliarum vero cum corporeis instrumentis, oportet illas potentias, quae in sua actione organo corporali non indigent, scilicet intellectivas, mediantibus sensitivis corpus movere (ab appetitu enim intellectivo non sequitur motus nisi mediante appetitu sensus): et sic verum est, quod anima rationalis unitur corpori mediantibus viribus sensitivae partis. Si vero consideratur in quantum est forma, sic immediate corpori unitur; quia Esse, quod est actus formae coniuncti, est ex anima et corpore." [1]

Si igitur quaerat quispiam, sustineatne anima humana nomen „motoris", distinctione est opus. Negandum est, si intelligatur anima ex se sola procreare motum in corpore. Affirmandum est, quatenus pars ab anima informata principalior movet aliam partem ab ipsa pariter informatam [2]. Si homo voluntate vult aliquid interveniente motu locali consequendum, ad actum voluntatis sequitur propter cohaerentiam sive sympathiam, quae est inter potentias unius substantiae, actus in appetitu sensitivo et in motorio communi atque ita deinceps.

Dices: Omnes homines in formula loquendi conveniunt, ut dicant animam humanam movere et regere corpus, habere imperium corporis. Corpus vero omnes habent pro involucro et instrumento animae. Ad Platonem igitur redeundum est. — *Resp.:* Conveniunt etiam omnes, ut dicant hominem et movere se ipsum, ipsum sibi imperare. Verum est igitur unum idemque ens, quod est homo, quibusdam potentiis, quae ut superiores artiore nexu cum anima cohaerent, movere se ipsum secundum alias potentias, quae ut inferiores artiore nexu connexae sunt cum corpore.

309. **Solvuntur quae restant dubia.** *Dicunt 1°:* Videtur esse parum congruens, ut anima intellectiva incorruptibilis informet materiam corruptibilem. — *Resp.:* Anima intellectiva secundum naturae ordinem infimum gradum in substantiis intellectualibus tenet, quia non habet naturaliter sibi inditam notitiam veritatis sicut angeli, sed oportet, ut eam colligat ex rebus visibilibus per viam sensuum. Natura autem nulli deest in necessariis. Unde oportuit, ut anima intellectiva non solum haberet virtutem intelligendi, sed etiam virtutem sentiendi. Actio autem sensus non fit sine corporeo instrumento. Oportuit igitur animam intellectivam corpori uniri, ut habere possit conveniens organum sensus.

Et in materia quidem duplex conditio invenitur: una, quae eligitur ad hoc, ut sit conveniens formae; alia, quae ex necessitate consequitur priorem dispositionem: sic artifex ad formam *serrae* elegit materiam ferream, aptam ad secandum dura; sed quod dentes serrae hebetari possint et rubiginem contrahere, sequitur ex necessitate materiae. Sic igitur et animae intellectivae debetur corpus, quod sit aequalis complexionis. Ex hoc autem de necessitate materiae sequitur, quod sit corruptibile [3].

---

[1] S. Thomas 2, dist. 31, q. 2, a. 1 ad 1.

[2] Id. S. theol. 1, q. 76, a. 8; Summa c. gent. l. 2, c. 72; Quodlib. 10, 5; 1, dist. 8, q. 5, a. 3 ad. 3.

[3] Id. S. theol. 1, q. 76, a. 5.

Dicunt 2°: Sancti Patres uno animo docent corpus et animam esse substantias duas. Inter alios S. Irenaeus substantiam nostram dicit esse animae et carnis adunationem, hominem ex duabus substantiis constare, ex corpore et anima, ex hac duplicis substantiae congregatione confectum esse hominem [1]. Ergo unitatem substantiae negant. — *Resp.: Dist. antec.:* Docent illi corpus et animam, quae in compositum intrent, esse substantias duas, *con. antec.;* quatenus sint in composito contentae, *subdist. antec.:* esse substantias duas incompletas sive partiales, *conc. antec.;* esse substantias duas completas, *nego antec.* Et *dist. cons.:* negant illi unitatem substantiarum constituentium, *conc. cons.;* negant unitatem substantiae constitutae, *nego cons.* Itaque in organismo distinguendae sunt substantiae tres: duae, quae in composito permaneant, et tertia illa ex duabus prioribus constituta. Et haec ab illis (quum dicerent de Christo) vocata est *σὰρξ νοερῶς ἐμψυχωμένη; σὰρξ λογικῶς ἐμψυχωμένη; σὰρξ λογική* [2].

Dicunt 3°: Quum forma non sit propter materiam, sed materia propter formam, anima intellectiva, si est forma corporis, uniri corpori non potest, ut perficiatur corpus, sed corpus potius uniri debet animae, ut ipsa perficiatur. Sed anima rationalis minime eget corpore ad sui perfectionem, quum sine corpore et esse et intelligere possit. — *Resp.:* Nulla pars habet perfectionem naturae separata a toto. Unde anima, quum sit pars naturae humanae, non habet perfectionem suae naturae nisi in unione ad corpus. Nam in virtute ipsius animae est, ut fluant ab ea quaedam potentiae, quae non sunt actus corporeorum organorum, secundum quod excedit corporis proportionem; et iterum, ut fluant ab eo potentiae, quae sunt actus organorum, quantum potest contingi a materia corporali. Non est autem aliquid perfectum in natura sua, nisi actu explicari possit, quod in eo virtute continetur. Unde anima licet possit esse et intelligere a corpore separata, non tamen habet perfectionem suae naturae, quum est separata a corpore [3].

Dicunt 4°: Si anima intellectiva esset forma corporis, iam esset „natura“; neque re a corpore separari posset, sed secundum rationem tantum; atque eius consideratio tota spectaret philosophiam naturalem. At quis haec dixerit? — *Resp.:* Anima rationalis est natura ex ea parte, qua unitur corpori secundum modum corporis; secus vero ex ea parte, qua excedit corporis capacitatem et proportionem; et quatenus naturam intellectualem habet communem cum angelis, ratione cuius formae in ea receptae sunt intelligibiles et immateriales, et quatenus habet operationem, in qua non communicat corpus. Est praeterea separabilis secundum rationem, quia, quatenus est forma corporis, habet inclinationem ad illud, et non est perfecta secundum suam naturam nisi in corpore; secus vero quatenus est virtus operativa, quia intellectus caret organo corporali. Est

[1] L. 5 adv. haer. c. 7, n. 1 (Migne 1, 1140); c. 8, n. 2 (1, 1142). Tertull. l. 4 adv. Marc. c. 37 (Migne 2, 452); De poenit. c. 3 (1, 1231); Scorp. c. 9 (2, 139); De resurrect. carnis c. 39 (2, 843). S. Ioann. Damasc., De fide orth. l. 3, c. 16 (Migne 94, 1063—1066). Leont. Byzant., Contra Nestor. et Eutych. l. 1 (Migne 86, 1881—1882).

[2] Cfr. Cyrill. Alexandr., Scholia de incarnat. Unigeniti c. 25 (Migne 8, 1396—1399).

[3] S. Augustinus L. 12 super Genes. ad litt. c. 35 (Migne 34, 483). S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 2 ad 5.

demum anima rationalis partim considerationis physicae sive naturalis, quatenus est separata secundum Esse, habens tamen Esse in materia: et dat Esse naturale tale corpori; quia ad philosophum naturalem spectat considerare formam, non ut forma est, sed quatenus in materia est. — Est autem considerationis metaphysicae, quatenus est forma simpliciter, et secundum quod est separabilis, et sine corpore potens exsistere, et quatenus excedit capacitatem corporis et convenit cum angelis [1].

Dices: Anima habet subsistentiam, qua possit exsistere sine corpore et „ut quod". — *Resp.:* Recte id quidem, sed quamdiu est in corpore, subsistit „ut quo", quatenus subsistit in ipso toto.

Dicunt 5°: Indignum est putare animam spiritualem informare quamlibet particulam corporis, velut *digitum pedis* vel *gibbum gibbosi.* — *Resp.:* Anima humana est primo et per se actus corporis organici totius tanquam proprii et proportionati subiecti. Non est vero actus primus singularum partium nisi per consequens et posterius, quatenus hae videlicet ut partes ad totum organismum hunc vel illum ordinem habent. Et sicut gibbus vel digitus pedis ad eam dignitatem elevari potest, ut sit pars hominis, ita etiam fieri potest, ut tanquam pars sit informatus ab anima.

310. **Scholia.** *Schol. 1.* Ex hac thesi confirmatur id, quod diximus (n. 275, 1): animam humanam esse totam in parte qualibet corporis vivi totalitate entitatis, non vero totalitate potentiarum.

Potentias quod spectat, inter potentias organicas et spirituales distinguere oportet. Secundum organicas potentias est anima in singulis potentiarum organis; secundum potentias spirituales per se in nulla corporis parte est. Hae enim potentiae exsistentes in sola anima capacitatem corporis omnino excedunt. Per accidens est in capite, in quo quippe sint organa, quibus exercentur sensus interiores, a quibus vita intellectiva speciali ratione dependet.

Schol. 2. „Corporis" vocem quod attinet, ex communi loquendi ratione ea vox, si agitur de homine, non totum compositum significat, sed partem ab anima distinctam, quae cum anima hominem constituat. Corpus igitur, quod est in homine vivo, a vita praecidit atque etiam ab anima, quatenus haec dat Vivere. Includitur vero anima, quatenus haec dat corpori Esse corporeum absolutum [2]. Interdum tamen hic ad animam respectus negligitur. „Viventia componuntur ex corpore et anima, nomine corporis intelligendo materiam habentem apparentiam sensibilem, quam potest habere aequivalenter quoad sensum etiam sine anima." [3]

Dices: Quum cogitans de homine dico: hoc est corpus, certe vi verborum solum corpus significatur, anima vero tantummodo significatur vi naturalis

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de an. a. 2 ad 12; q. 26 de verit. a. 9 ad 7.

[2] Cfr. S. Thomas, S. theol. 3, q. 75, a. 6 ad 2; q. 76, a. 1. Suar., De euchar. disp. 51, sect. 4. de Lugo, De euchar. disp. 8, sect. 6, n. 78.

[3] Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 4, q. 26 ad 2.

connexionis et concomitantiae. Ergo etiam certum est animam non esse elementum intrinsecus constituens corpus, secus enim etiam anima vi verborum esset significata [1]. — *Resp.: Conc. antec. Nego cons.* „Ex communi loquendi modo", ut dicit DE LUGO, „corpus non significat totum compositum, sed partem illius distinctam ab anima ...; et ideo dicimus hominem habere corpus, constare ex corpore et anima, et in eodem sensu dicitur in symbolo ATHANASII, quod anima rationalis et caro unus est homo, et denique in hoc sensu loquitur Tridentinum (sess. 13, c. 3) de corpore Christi, quod ponitur in eucharistia ex vi verborum, ut de parte condistincta ab anima, et corpus poni ex vi verborum, animam vero per concomitantiam partium inter se." Itaque quum dico: hoc est corpus, anima quidem re includitur (quatenus anima dat corpori Esse corporeum perfectum), non vero formaliter (quatenus anima formaliter dat corpori Esse vivum) [2].

Schol. 3. Ex dictis sequitur hominem secundum naturam suam rectissime ab Aristotelicis definitum esse, ut sit animal rationale. Sunt qui hominem definiri velint, ut sit „ens intellectivum, unitum corpori, ad ducendam in eo vitam organicam"; vel, id quod ROSMINIO placet [3], ut sit „subiectum animale intellectivum, volitivum". Satis liquet, quid de his et definitionibus similibus sit arbitrandum.

---

[1] Difficultatem hanc proponunt et solvunt: S. THOMAS, S. theol. 3, q. 75, a. 6 ad 2; q. 76, a. 1. SUAR., De euchar. disp. 51, sect. 4, n. 5; DE LUGO, De euchar. disp. 8, sect. 6; et alii permulti.

[2] In libello de pluralitate formarum, qui S. THOMAE ascribitur, difficultas solvitur hoc modo: „Dicendum, quod in sacramento altaris panis convertitur in corpus Christi, in quo corpore includitur anima secundum aliam sui rationem, prout scilicet constituitur in Esse corporeo. Unde concedendum est, quod fiat conversio panis in corpus, quod ab anima constituitur in Esse corporeo; non tamen esse verum absolute loquendo, quod conversio panis fiat per animam Christi, quia significatur sic, quod conversio fiat in animam Christi secundum ulteriores perfectiones, scilicet sentiendi et intelligendi. Sic enim proprie dicitur anima, et distinguitur secundum rationem a corpore. Non enim forma hominis dicitur anima, secundum quod anima constituitur in Esse substantiali et corporeo.... Hoc autem ostendi potest, si consideremus conversionem alimenti in corpus humanum, quae est transmutatio naturalis. Non enim potest dici, quod illa conversio fiat in corpus sic, quod excludatur anima secundum omnem sui rationem. Et hoc dupliciter probari potest. Prius quidem, quia non solum est verum dicere, quod alimentum convertatur in corpus hominis, sed etiam convertatur in carnem et sanguinem.... Caro autem et huiusmodi partes in sui significatione includunt animam secundum aliam eius rationem. Non enim caro esset caro per animam, ut dicitur caro aequivoce de carne viva et mortua. Quando igitur convertitur alimentum in carnem, quum caro sit caro per animam, sequitur quod in illo, in quod fit conversio, includitur anima secundum aliam sui rationem."

[3] Anthropol. l. 1, c. 2, p. 23.

Schol. 4. Antea (n. 264 c) est constitutum, posse hominem per reflexionem perfectam redire in se ipsum; sequc ipsum significare pronomine „Ego". Ex quo sequitur errare eos, qui dicunt hoc pronomine significari non substantiam, sed accidens sive phaenomenon[1].

Sunt quoque, qui hoc pronomine significari substantiam concedant, censeant tamen significari solam animam. Verum errant isti. Conscientia enim sui ipsius, propter quam homo pronomine „Ego" propriam personam significat, primo et directe non in solam animam fertur, sed in integram naturam, ex anima et corpore constantem. Idem enim est, qui percipit se intelligere et se sentire; sentire autem non est sine corpore[2]. Et experientia teste pronomine „Ego" significant non cogitantem dumtaxat, sed eadem ratione etiam sentientem, videntem, vapulantem, audientem, nutritum, moventem pedes.

311. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo reiectum est systema causarum occasionalium (n. 299). Nam 1. omnibus rebus in hoc mundo veram inesse activitatem in philosophia naturali (n. 53) contra Malebranche aliosque Cartesianos est demonstratum. 2. Per propriam conscientiam nobis compertum est et cognitiones et motus spontaneos effici non a Deo, sed a nobismet ipsis. 3. Ad quid tanta tamque mirabilis organorum, praecipue nervorum structura, si, quidquid in homine efficitur, a solo Deo efficitur? 4. Tollitur hoc systemate unio substantialis hominis, quam supra invictis argumentis probavimus.

Coroll. 2. Ergo reiectum est systema harmoniae praestabilitae (Phil. nat. n. 299). Nam 1. hoc systemate negatur omnis efficientia rerum externarum in humanum organismum, eo quod nullo modo fieri possit actio transiens. 2. Per experientiam conscientiae unicuique constat, a se ipso effici actiones vitales,

[1] Inter alios I. H. Fichte: „Das Ich als solches ist weder ein reales, noch viel weniger Princip eines realen, sondern lediglich das Product eines psychologischen Processes; ... es ist eine leere Form des Selbstbewusstseins" (Psychologie, Vorrede). Volkmann: „Die Vorstellung des Ich ist das Bewusstwerden der in den bereits erworbenen Vorstellungskreisen enthaltenen Regsamkeit, geknüpft an einen Ausgangspunkt, der durch die Vorstellung des Leibes mehr angedeutet als wirklich ausgedrückt wird. Das Ich ist nichts als ein psychisches Phänomen, ... nichts als das Bewusstwerden einer Wechselwirkung innerhalb eines unübersehbaren Vorstellungscomplexes" (Lehrbuch der Psychologie II, 166).

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 1.

de quibus agitur. 3. Isto systemate non agnoscitur unitas hominis, quam probatam habemus. 4. Neque non tollitur omnis ab homine libertas arbitrii.

Si enim Leibnizio credimus, omnis uniuscuiusque entis modificatio habet totam suam rationem sufficientem in modificationibus in eodem ente antecedentibus. Posita autem ratione sufficiente necessario sequitur rationatum. Hinc positis semel modificationibus antecedentibus, modificationes sequentes cum absoluta necessitate eveniunt. Ergo etiam illa mentis modificatio, quam vocamus actum liberum, non minus necessario fluit ex statu mentis antecedente, quam effectus mechanicus in horologio ex causa mechanica ad efficiendum applicata [1].

Coroll. 3. Ergo reiectum est systema assistentiae Platonicae (n. 300). Nam in hoc systemate negatur hominem esse ens per se unum, vel negatur corpus pertinere ad ipsam hominis essentiam.

Praeterea negatur unionem animae rationalis cum corpore esse naturalem. Neque ulla indicari potest quae satis sit ratio, ob quam anima cum corpore unita sit.

312. *Coroll. 4.* Ergo reiectum est quoque systema mediatoris plastici (n. 300). Imprimis enim nulla ratione probatur substantiae intermediae necessitas. Intervallum inter animam et corpus quod spectat, anima distat a corpore plurimum, si utriusque conditiones seorsum considerentur. Unde, si utrumque ipsorum separatim Esse haberent, oporteret, ut multa media intervenirent. Sed quantum anima est forma corporis, non habet Esse seorsum ab Esse corporis, sed per suum Esse corpori unitur immediate. Sic enim et quaelibet forma, si consideretur ut actus, habet magnam distantiam a materia, quae est ens in potentia tantum [2]. Sunt quidem in homine operationes multae, quae neque a sola anima neque a solo corpore efficiuntur. Hae vero non sunt attribuendae substantiae tertiae, duabus additae, sed homini, quae est substantia tertia ex duabus unitis resultans. Neque ulla ratione, posita ista substantia intermedia, ea explanantur, ad quae explananda est assumpta.

Accedit, ut hac opinatione negetur illa inter corpus et animam unio, quam supra probavimus.

Praeterea isti substantiae mediae a Clerico attribuuntur dotes, quae inter se omnino excludunt.

---

[1] Propter hanc libertatis destructionem Wolff a rege borussiaco ex finibus Borussiae eiectus est.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 7 ad 3.

Coroll. 5. Ergo reiectum est systema influxus physici (n. 300, c). Nam nullus influxus physicus inter animam et corpus excogitari potest, quo efficiatur, ut anima et corpus sint unum operandi principium.

Praeterea teste conscientia corpus in motu spontaneo non urgetur ab anima quasi forinsecus, sed motus intrinsecus progreditur ab homine ex anima et corpore composito.

Deinde fieri non potest, ut corpus ullo influxu physico proprie dicto agat in animam. „Tangere enim et tangi nisi corpus nulla res potest"; unde „nihil corporeum imprimere potest in rem incorpoream". Qui igitur ponit contactum quantitativum inter animam et corpus, in periculo est, ne animam concipiat ut rem corpoream.

Coroll. 6. Ergo reiectum est systema unionis psychicae. Nam per nullam actionem psychicam fieri potest, ut constituatur illa substantialis unitas, qua animam et corpus in homine coniuncta esse vidimus.

Perceptione non fit nisi unio intentionalis, qualis est inter subiectum cognoscens et obiectum cognitum.

Pugnantia profert Rosmini, quum animam sentire dicit, antequam corpori sit unita, quem „sensum fundamentalem" vocat.

Haec fere sunt Rosminianae doctrinae (n. 300, d) addenda. Essentia animae consistit in sensu, quem homo exprimit pronomine „Ego". Haec anima habet sensum primitivum et fundamentalem, quo sentit corpus. Et hoc ipso sensu, quo sentit corpus, unitur corpori in rem unam. Atque id dupliciter. Ut est anima sensitiva, unitur corpori, quia sentit corpus, ut id sensibile est. Ut est anima rationalis, unitur corpori, quia sentit corpus, ut id est quaedam entitas. Neque mirum est hoc sensu sive perceptione constitui posse ens unicum; nam corpus et anima in isto uno sensu insunt: corpus ut perceptum, anima ut percipiens [1].

313. *Coroll. 7.* Ergo reiectum est systema unionis dynamicae. Nam illa unio substantialis, qualem in homine esse demonstravimus, nullo modo constitui potest intima animae et corporis praesentia, neque virium utriusque commixtione, neque per mutuam inter corpus et animam resistentiam. Neque minus reiciendum est systema modificationis. Sola enim modificatio non potest esse causa unionis substantialis (Phil. nat. n. 160).

Coroll. 8. Ergo reiectum est systema unionis per accidens substantialis (n. 301). Nam 1. confusa est et ambigua

[1] Rosmini, Psychol. l. 3, de unione animae cum corpore.

distinctio inter partem rationalem animae humanae et partem sensitivam; neque satis clare dicit Oliva, utrum intelligat distinctionem rationis an realem.

2. Falso docet Oliva ipsam substantiam animae rationalis non uniri materiae nisi per partem sensitivam. Aut enim putat solas facultates sensitivas cum corpore immediate uniri, et unio haec erit ad dynamicam revocanda. Aut distinguit distinctione reali inter partem sensitivam et partem rationalem in ipsa substantia, illam materiae immergens, hanc retinens; et id aperte falsum est. Aut putat eandem substantiam qua sensitivam esse formam corporis, non vero qua rationalem; neque id recte dicitur. Nam anima intellectiva, utpote tenens locum infimum inter substantias intellectivas, non habet cognitionem veritatis sibi innatam, sed eam ex rebus sensibilibus colligere debet. Omissa hac ad phantasmata conversione modus intelligendi in homine mancus atque infra naturae intentionem imperfectus est[1]. Ex hac igitur indigentia naturali necessitas est, ut anima rationalis habeat virtutem sentiendi, et hinc uniatur corpori, quod sit organum sensus, quum activitas sensitiva non fiat sine corporeo instrumento. Et ex altera parte organismus humanus tanta perfectione exornatus est, quanta requiritur, ut ex natura sua sit destinatus ad unionem cum anima rationali.

Et observanti cuique diligenter omnia vitae humanae phaenomena certum et extra omne dubium positum esse debet ex unione ipsius substantiae intellectivae cum materia non resultare tantum animal, quod per accidens homo sit, sed resultare ipsum hominem.

314. *Coroll. 9.* Ergo omittenda est illa loquendi formula, apud haud paucos (Scoti discipulos) in usu posita, qua dicunt in corporibus hominum vivis et mortuis reperiri formas corporeitatis, quae ab anima realiter distinctae sint. Et alios quidem scimus ponere unam in unoquoque homine formam corporeitatis totalem, alii multas partiales in singulis corporis partibus, velut in carnibus, corde, oculo, hepate, pulmonibus[2]. Et ratio illorum praecipua in eo erat collocata, ut dicerent corpus hominis etiam

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 89, a. 1.

[2] Qui unam formam corporeitatis totalem negant, admittentes multas particulares, ita sentiunt, quia in organismo praeter activitates vitales nulla est activitas, quae in toto organismo una sit, sed multarum partium multae sunt inter se diversae. Inter hos Zabarella (L. de anima c. 20).

recedente anima manere corpus humanum speciali ratione dispositum, esse igitur in homine formam, qua haberet corpus, ut corpus esset. Animam deinde informantem supponere iam corpus organicum.

At vero forma corporeitatis nullo modo admitti potest. Pugnantia enim profert, qui in una re duas esse posse formas dicit. „Si enim praeter animam intellectivam praeexsisteret quaecunque alia forma substantialis in materia, per quam subiectum animae esset ens actu, sequeretur, quod anima non daret Esse simpliciter.“ [1]

Ut igitur solvatur difficultas ab illis obiecta, multi opinantur post discessum animae illico effici in corpore formam cadavericam, a qua cadaver accipiat, ut tanquam corpus humanum per multas transitiones perducatur usque ad elementa; qua de re alio loco (n. 223, 17) diximus. Alii dicunt propter solum discessum animae omnes illas compositiones chemicas, quibus organismus constituebatur, fieri sui iuris ita, ut permissae legibus physicis et chemicis paulatim dissolvantur (Phil. nat. n. 230 sqq.). Quam sententiam nos ut probabilem complectimur (Albertinam nominavimus).

Sed *obiciunt* nihilominus in homine praeter animam intellectivam formam corporeitatis omnino esse necessariam. Nam fieri non potest, inquiunt, ut anima intellectiva formaliter habeat effectum, quem in corporibus inanimis praestat forma materialis. Hi enim effectus formales sunt diversi et inter se oppositi. — *Resp.:* Anima intellectiva, quae ex natura sua destinata est ad informandum corpus, ea omnia valet, quae in negotio informationis possunt formae materiales: et quae contra naturam materiae sunt, sibi reservat. Sunt quidem in corpore vivo etiam, quae naturae animae spiritualis sunt opposita. Sed haec non a forma sunt, sed a materia.

Coroll. 10. Ergo falsa est etiam quorundam Platonicorum sententia, qui dicunt animam humanam habere in se tenue corpus sibi naturaliter unitum, a quo nunquam separetur, etiam quum a corpore corruptibili disiuncta (n. 259).

Vix non omni tempore erant, qui dicerent in homine non solum esse corpus elementare sive materiale, quod *σάρξ* vocaretur, sed etiam corpus astrale sive aethereum (*ὄχημα*, *σῶμα*), quod intime cum anima coniunctum ab hoc separari nunquam posset. Cuius doctrinae vestigia iam apud veteres Orientales reperies [2]. Neque nulli ex philosophis graecis in hanc doctrinam concesserunt [3].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 4.

[2] Cfr. Rhode, Die heilige Sage des Zendvolkes p. 397; Hamberger, Physica sacra 14.

[3] Cfr. apud Zeller, Philosophie der Griechen, Indicem sub voce „Leib“; praecipue II, 2, 847; III, 1, 417. 443, Anm. 3.

De Platonicorum sententia haec Aquinas: „Quidam dixerunt, quod anima intellectiva habet corpus incorruptibile sibi naturaliter unitum, a quo nunquam separatur, et eo mediante unitur corpori hominis corruptibili. Quidam vero dixerunt, quod unitur corpori mediante spiritu corporeo. Alii vero dixerunt, quod unitur corpori mediante luce, quam dicunt esse corpus et de natura quintae essentiae.“ [1]

Atque etiam inter Christianos erant, qui illud „corpus spirituale“, de quo in S. Scriptura [2], dicerent esse corpus a corpore materiali diversum.

Paracelsus pro fundamentis sui systematis posuit duo esse in homine corpora, unum physicum, alterum spirituale sive sidericum, quod animae penitus coniunctum esset [3].

De hac sententia haec dicit Aquinas: „Si anima“, inquit, „corpori uniretur solum ut motor, conveniens esset dicere, quod inter animam hominis vel cuiuscunque animalis et corpus aliqua alia corpora media intervenirent. Convenit enim motori, aliquid distans (perfectione) per media magis propinqua movere. Si vero anima unitur corpori ut forma, impossibile est, quod uniatur ei aliquo corpore mediante. Cuius ratio est, quia sic dicitur aliquid unum, quomodo et ens. Forma autem per se ipsam facit rem esse in actu, quum per essentiam suam sit actus, nec dat Esse per aliquod medium. Unde unitas rei compositae ex materia et forma est per ipsam formam, quae secundum se ipsam unitur materiae ut actus eius.“ [4]

At vero scimus animam uniri corpori non solum ut formam, sed etiam ut motorem, quatenus unita parti principaliori movet partes minus principales. „Et sic verum est, quod partes grossiores corporis per subtiliores movet. Et primum instrumentum virtutis motivae est spiritus, ut dicit Philosophus.“ Voce spiritus scimus significari corpora aëre subtiliora, quae nullo sensu percipi possint, quae hodie vocant imponderabilia (n. 222, 14).

Coroll. 11. Neque ullum est accidens, quod medium sit inter animam humanam et materiam. Nam de anima humana id ipsum putandum est, quod de forma substantiali omni est dictum (n. 222, 13). Prius est Esse simpliciter, quod communicatur cum re a forma substantiali, quam Esse secundum aliquod accidens. Unde fieri non potest, ut ullae dispositiones accidentales praeexsistant in materia ante animam [5].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 7.

[2] Rom. 8, 21. 29. 1 Cor. 15, 44; 2 Cor. 5, 1—5. Cfr. Holster, Ueber die Bedeutung des Wortes *σάρξ* im Neuen Testament.

[3] In eadem sententia sunt Öttinger (Von der Verbindung der Seele mit dem Körper c. 10), C. du Prel (Die monistische Seelenlehre [Leipzig 1888] p. 154; is bilocationem sive deuteroscopiam ex diversitate inter corpus materiale et corpus astrale explicare conatur [l. c. p. 170 sqq.], sicut etiam omnia spiritismi phaenomena), Hermanus Fichte (qui dicit corpus illud subtilius nihil esse nisi „Vollgebärde der Seele“), Clarus, Schubert, Burdach, Heinroth.

[4] S. Thomas l. c. [5] Ibid. a. 6.

315. *Coroll. 12.* Falsa est sententia Averrhois unicam esse omnium hominum animam intellectivam, unicuique per modum solis assistentem. Aut enim ponitur in ista una anima esse integram hominis essentiam, aut ponitur ex anima et corpore componi hominem. Si prius, sequeretur Socratem et Platonem esse hanc unam animam, hinc unum hominem, eosque inter se distingui aliqua re tantum, quae esset extra essentiam utriusque: et erit tum distinctio Socratis et Platonis non alia nisi hominis tunicati et cappati; quod est omnino absurdum.

Si vero ponatur alterum, iam manifesto apparet fieri non posse, ut plurimorum numero diversorum sit una forma; sicut fieri non potest, ut multorum sit Esse unum.

Et quocunque modo quis unionem animae illius intellectivae ad omnes homines ponit, semper anima illa sive intellectus inter cetera, quae ad hominem pertinent, principalitatem habet. Si igitur intellectus est unus, quantumcunque diversificantur alia, quibus intellectus tanquam instrumentis utitur, Socrates et Plato nullo modo poterunt dici nisi unus intelligens. Et quia Intelligere non fit nisi per solum intellectum, omnes homines essent unus intelligens, et omnium esset unum Intelligere.

Neque *obiciat* quispiam in multis esse multa phantasmata multasque phantasias. — *Observandum* est enim unitatem intellectionis non ex operatione phantasiae trahi, sed ab intellectu ipso. Nam forma intellectus non est phantasma, sed species intelligibilis, quae a phantasmatis abstrahitur (Log. n. 861). In uno autem intellectu a phantasmatis diversis unius speciei una species intelligibilis abstrahitur[1].

Coroll. 13. Neque minus pugnantia protulit Alexander Aphrodisias, qui distinctionem illam usurpans, quae est inter intellectum agentem et passivum (possibilem) (Log. n. 861), dixit intellectum passivum reperiri, qui uniuscuiusque hominis esset proprius; intellectum vero agentem esse unum in omnibus hominibus, eumque esse divinum quid[2].

Hac de re haec fere Aquinas[3]: „Horum occasione verborum (intellectum esse „separatum") quidam in tantum decepti sunt, ut ponerent intellectum pos-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 2; Summa c. gent. l. 2, c. 73; Opusc. 16 de unit. intellectus; Quaest. disp. q. de an. a. 3. Hac de re praeclare Toletus in l. 2 de an. c. 1, q. 2.

[2] Etiam posteriore tempore reperiebantur, qui hanc fuisse genuinam ipsius Aristotelis doctrinam asseverarent. Ita inter alios Zeller, Philosophie der Griechen II, 2, p. 571. Döllinger, Heidenthum und Judenthum p. 310. Cfr. Brentano, Psychologie des Aristoteles p. 228. Rolfes, Aristotelische Auffassung p. 144.

[3] In l. 3 de an. lect. 7.

sibilem esse a corpore separatum, sicut una de substantiis separatis. Quod quidem omnino impossibile est. Manifestum est enim, quod hic homo intelligit. . . . Sed impossibile est illud, quo aliquid operatur formaliter, separari ab eo secundum Esse. Quod ideo est, quia nihil agit nisi secundum quod est actu. Sic igitur aliquid formaliter operatur per aliquid, si cum eo sit actu. Non autem fit aliquid cum aliquo ens actu, si sit separatum ab eo secundum Esse. Unde impossibile est, quod illud, quo aliquid agit formaliter, sit separatum ab eo secundum Esse. . . . Manifestum etiam est, quod haec positio contra intentionem Philosophi est. Et primo quidem, quia Philosophus hic inquirit de parte animae. Sic enim hunc tractatum incipit. Unde manifestum est, quod intellectus possibilis pars animae est, et non substantia separata. . . . Item per hoc, quod dicit, quod intellectus est, quo anima intelligit. Haec enim omnia ostendunt, quod Aristoteles non dicit intellectum esse separatum, sicut sunt substantiae separatae. Mirum est autem, quomodo tam leviter erraverunt ex hoc, quod dicit, quod intellectus est separatus. . . . Dicitur enim „separatus intellectus", quia non habet organum, sicut sensus. Et hoc contingit propter hoc, quia anima humana propter suam nobilitatem supergreditur facultatem materiae corporalis, et non potest totaliter includi ab ea."

316. *Coroll. 14.* Absurda est praevia animarum exsistentia (n. 223, 16); sed anima tum oriri putanda est, quum actu corpori unitur[1].

Ex Pythagorae et Platonicorum sententia animae omnes exsistunt ab aeterno, eaeque in astris primo collocatae peccaverunt, atque idcirco corporibus tanquam carceribus inclusae sunt ea lege, ut, quae sancte vitam egerint, ex corpore egressae in astra sua revertantur ad beate vivendum; quae vero male egerint, iterum in corpora inferioris conditionis immigrent atque ita permutentur in bestias. Haec animae ex uno corpore in aliud transmigratio metempsychosis dicta est; de qua postea aliquid dicendum erit.

Sunt qui ipsum Aristotelem in ea sententia haesisse putent, animas humanas praeexstitisse ante corpora, quin immo fuisse ab aeterno[2]. Docuit quidem Stagirita, id quod ante ipsum dixerant Pythagorei: animam humanam venire deforis[3].

Sed haec verba ita intelligi possunt, ut negare voluerit Stagirita animam humanam per eductionem generari posse ex materia, arbitrans eam suam originem ducere a Deo. Quam ob rem animam appellavit divinam. Praeterea non semel[4] docuit formas substantiales non oriri ante quam oriretur compo-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 118, a. 3.

[2] Zeller, Philosophie der Griechen II, 2, p. 573; Ueber die Lehre des Aristoteles von der Ewigkeit des Geistes (Sitzungsberichte der Berliner Akademie LIX, 1033). Cfr. Rolfes l. c. p. 149. Elser, Die Lehre des Aristoteles (Monast. 1893) p. 177.

[3] *Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια* (l. 2 de generat. animal. c. 3, 736 b, 27). Cfr. 736 a, 31; l. 3 de an. c. 5, 430 a, 23 et 410 b, 10.

[4] L. 11 metaph. c. 3, 1070 a, 21 sqq.

situm. Aristoteles igitur hac in re, sicut saepe alias in rebus difficilioribus [1], obscure locutus est.

Platonis de praeexsistentia animarum opinationem etiam apud Neoplatonicos reperies, praecipue apud Plotinum, qui dixit animas ex coelesti domicilio propter ingens materiae desiderium sponte in corpora lapsas esse.

Vetustam illam de praeexsistentia animarum humanarum sententiam posteriore tempore resuscitavit Origenes. De Origenistarum hac opinatione S. Augustinus: „Animas dicunt non quidem partes Dei, sed factas a Deo, peccasse a conditore recedendo; et diversis progressibus pro diversitate peccatorum, et a coelis usque ad terras, et diversa corpora, quasi vincula, meruisse. Et hunc esse mundum, eamque causam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur.“ [2]

Inter Cartesianos reperiebantur qui, quum nihil prorsus in rebus corporeis de novo fieri arbitrarentur, omnia humana corpora in prima iam rerum conditione a Deo effecta esse voluerunt. Quorum alii in ovulis, alii in spermatozoidis humana corpora contineri dicunt, complicata tamen et compressa. Et simili ratione etiam animas ab initio rerum omnes a Deo creatas esse.

Etiam Leibnizius [3] in eorum concessit sententiam, qui putaverunt omnes animas humanas ab origine mundi creatas singulis inclusas esse corpusculis organicis, quae germina quasi corporum humanorum fuissent. Atque hoc modo in Adae lumbis haec germina cum animabus inclusa fuisse. Tum, progrediente tempore, quum unumquodque corpusculum evolvi coeptum esset in corpus humanum, etiam animam ipsi coniunctam altissimo somno consopitam evigilasse ad evolvendas suas facultates et habendam exsistentiae suae conscientiam. Sunt ergo animae aliquibus corpusculis coniunctae a primis rerum exordiis, neque unquam anima a suo corpusculo separabitur. Non exsistit unquam metempsychosis, sed continua tamen corporum metamorphosis. In actu conceptionis anima sensitiva fit intellectiva per quandam transcreationem a Deo peractam. Wolffius dixit animas praeexstitisse „in statu perceptionum confusarum“ (Psychol. ration. § 706) [4].

At vero contra omnes huiusmodi opinationes necèsse est dicere animas rationales non esse productas ante corpora, sed creari in ipsis suis corporibus secundum naturae suae convenientiam. Quod his rationibus ostenditur. Primo, ponere oportet res

[1] Videsis Euseb. l. 15 praepar. evang. c. 9.

[2] L. 11 de civit. Dei c. 23. Cfr. S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 83.

[3] Essais de théodic. I, § 91.

[4] Dicit Volkmann: „Unter den neuen Psychologen beriefen sich zur Begründung des Praeexistenzdogmas J. H. Fichte auf das dem Menschen innewohnende, in seinem sympathischen Gefühle sich aussprechende Bewusstsein für Urverwandtschaft mit andern Geistern; Schubert auf die räthselhaften Rückerinnerungen und wundervollen Vorgefühle, die uns nie Gesehenes als bekannt erscheinen lassen; Lindemann auf die Verschiedenheit der Anlagen und Talente. Von der vorzeitlichen Praeexistenz der Seele ... ist die absolut zeitlose Existenz derselben als Noumenon wohl zu unterscheiden, wie solche von Schelling u. a. behauptet worden ist“ (Lehrbuch der Psychologie I, 185—186).

primas institutas esse in perfecto statu suae naturae, secundum quod uniuscuiusque rei species exigebat. Anima autem quum sit pars humanae naturae, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. „Non fuit autem conveniens, ut Deus ab imperfectis suum opus inchoaret et ab his, quae sunt praeter naturam; non enim fecit hominem sine manu aut sine pede, quae sunt naturales partes hominis. Multo ergo minus fecit animam sine corpore.“ [1]

Secundo, unumquodque ens oritur secundum convenientem statum naturae suae. Si ergo animae humanae a corporis separatae ortae sunt, putare oportet hunc separationis statum earum naturae convenientiorem esse. Nulla ergo esset ratio, cur postea in corpora immissae essent [2].

Tertio, si animae erant ante a corporibus separatae, certe etiam vixerunt per intellectum et voluntatem. Sed non apparet, ex quanam causa apud omnes homines omnis illius vitae memoria deleta sit.

Neque id silendum est, inepte a Platonicis et Origenistis asseveratum esse animas in poenam scelerum praeteritorum inclusas esse corporibus. Nam 1. unio animae cum corpore plane naturalis est et in bonum animae cedit. Habet quidem haec unio sua incommoda eo modo, quo via ferrea proficiscenti quasdam angustias parat et exiguitatem spatii creat, ita ut currum ferreum carcerem proficiscentis dicere liceat. Solent tamen homines incommoda huius carceris praeferre libertati peditum. 2. Si quis statum hominis in hoc mundo considerat, is illico videbit apparere primo in omnibus rebus praeclaram conditoris benevolentiam, non iram vindicis. 3. Iustae et sapientis poenae ratio postulat, ut is tantum puniatur, qui culpae suae aliquam saltem conscientiam habere possit.

317. *Coroll. 15.* Falsa est sententia Origenis arbitrantis animam humanam et angelum in eadem specie collocandos esse.

Opinabatur Origenes animas nostras olim angelos fuisse, qui peccantibus daemonibus, bonis autem angelis Deo adhaerentibus ancipites quasi haesissent; quam ob rem, ut probarentur magis, ad corpora humana detrusos esse.

Nemo est quin videat hanc Origenis fictionem vanam esse.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 90, a. 4; q. 118, a. 3; Summa c. gent. l. 2, c. 83. 84.

[2] Id. Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 10.

Inter animam humanam et spiritum differentia est, quod anima humana ex natura sua ad informandum corpus refertur propter peculiarem quem habet intelligendi modum; contra spiritus purus ab ea destinatione prorsus alienus est[1]. Sed haec differentia, quum diversos ipsius intellectualitatis gradus constituat, recte putatur esse specifica. Species enim intelligibiles, quibus animae intelligunt, sunt a phantasmatis abstractae, atque ita non sunt eiusdem rationis cum speciebus intelligibilibus, quibus angeli intelligunt, quae sunt ipsis innatae. Si autem operationes differunt specie, necesse est, ut etiam formae, quae sunt operationum principia, specie differant.

Et sicut anima humana, quae est intellectiva, specie differt ab angelo, ita, quae est sensitiva, specie differt ab anima beluina. „Etsi anima sensitiva in homine et in bruto conveniunt secundum generis rationem, differunt tamen specie, sicut ea, quorum sunt formae. Sicut enim animal, quod est homo, ab aliis animalibus differt per hoc, quod est rationale, ita anima sensitiva hominis ab anima sensitiva bruti specie differt per hoc, quod est etiam intellectiva.“ [2]

Coroll. 16. Absurde dicunt, qui metempsychosim (sive metensomatosim) docent, sive transmigrationem animarum ab uno corpore in aliud[3]. Invenitur haec opinatio in multis systematis monismo infectis. Praeterea etiam „omnes, qui posuerunt animas extra corpora creari, posuerunt transcorporationem animarum, ut sic anima exuta a corpore uno alteri corpori uniretur, sicut homo exutus uno vestimento induit alterum.“ [4] Caput igitur doctrinae est, ut dicant initio rerum aspectabilium certum animarum numerum fuisse, quae ab uno corpore in aliud transmigrarent sive per homines sive per bestias; unde celebre illud effatum: ex mortuis vivos fieri, ex vivis mortuos.

Antiquo tempore haec doctrina proponebatur apud Brahmanes et Buddhistas, apud Chaldaeos, Aegyptios, Pythagoreos. Hinc Pythagorae commiseratio erga canem vapulantem:

Heu, cessa: ne caede: animus nam dulcis amici
Hic sedet; eius vocem excipio atque sonum.

Et eundem apud Ovidium (l. 15 Metamorph.) dicentem legimus:

Morte carent animae: semperque priore relicta
Sede, novis domibus habitant, vivuntque receptae.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 7; Summa c. gent. l. 2, c. 94; 2, dist. 17, q. 2, a. 2 ad 5; Quaest. disp. q. de an. a. 7.

[2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 89 ad 1.

[3] Aristoteles l. 1 de an. c. 3, 407 b, 13; c. 4, 408 a, 25; l. 2, c. 2, 414 a, 20 sqq. Cfr. Sylv. Maur. l. c. l. 5, q. 25.

[4] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 10.

> Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli
> Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
> Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridae.

Empedocles non solum per beluas, sed etiam per plantas migrare animas opinatus est.

Transmigrationem docuerunt etiam Neoplatonici necnon ex Manichaeis aliqui. Huius opinationis vestigia reperies etiam apud Ciceronem, Vergilium.

Neque desunt inter veteres Italos, Scythas, Druidas, Americanos, qui metempsychosi inhaererent.

Posteriore tempore a multis metempsychosis resuscitata est, praecipue a Io. Reynaud [1].

Metempsychosis autem neque a priori neque a posteriori probari potest [2].

Neque ea ulla ratione cum opinatione communi convenit hominum, qui alio prorsus modo agerent cum beluis, si suspicari possent in hac vel illa belua insidere animam hominis. Et haec quidem doctrina ex opinione Platonica proficiscitur, quae posuit coniunctionem inter animam et corpus violentam esse.

Itaque necesse est dicere animam rationalem, quae uniatur uni corpori, alii corpori uniri non posse. Quod his rationibus declarari potest [3]:

---

[1] Philosophie religieuse. Terre et ciel vol. I.

[2] De hac re praeclare S. Augustinus (l. 7 de Genesi ad litteram c. 10): „Quid enim afferunt argumenti philosophi, qui putant hominum animas in pecora, vel pecorum in homines post mortem posse transferri? hoc certe, quod morum similitudo ad id trahat, velut avaros in formicas, rapaces in milvos, saevos ac superbos in leones, sectatores immundae voluptatis in sues; et si qua similia. Haec quippe afferunt, nec attendunt per hanc rationem nullo modo fieri posse, ut pecoris anima post mortem in hominem transferatur. Nullo enim modo porcus similior erit homini quam porco; et quum mansuescunt leones, canibus vel etiam ovibus fiunt similiores quam hominibus. Quum igitur a pecorum moribus pecora non recedunt, et quae aliquantulum ceteris dissimilia sunt, similiora sunt tamen suo generi quam humano, longeque plus ab hominibus quam a pecoribus differunt, numquam erunt hominum animae istae, si ea, quae similiora sint, trahunt. Si autem hoc argumentum falsum est, quomodo erit illa vera opinio, quandoquidem nihil aliud afferunt, quo, etiamsi non vera, saltem verisimilis habeatur? Unde proclivius et ipse crediderim, quod etiam eorum posteri sectatores illos homines, qui haec primitus in suis libris posuerunt, in hac vita potius intelligi voluisse, quadam perversitate morum ac turpitudine homines pecorum similes fieri, ac sic quodammodo in pecora commutari, ut hoc dedecore obiecto eos a cupiditatum pravitate revocarent“ (cfr. l. 10 de civitate Dei c. 30).

[3] Cfr. Brentano, Psychologie des Aristoteles p. 47.

1. Quum anima det Esse specificum huic corpori, essentialem ad hoc corpus habitudinem habet et cum eo substantiam per se unam constituit. Ergo non poterit uniri alteri corpori [1].

2. Non omne agens agit in omne patiens, nec quodlibet movens in quodlibet motum, nec quaelibet forma et quilibet actus informat et actuat quamlibet materiam et quamlibet potentiam. Quia autem anima est forma corporis eiusque motus et actus, inter animam et corpus certa debet esse proportio, ex qua anima movere, agere, actuare, informare possit: corpus vero moveri, pati, actuari, informari. Et sicut anima unius speciei informare non potest nisi corpus unius et determinatae speciei, ita haec anima informare non potest nisi hoc numero corpus; nam quae est proportio animae specificae ad corpus specificum, ea est huius numero animae ad hoc numero corpus [2].

3. Quum forma non sit propter materiam, sed potius materia propter formam, ex forma oportet rationem petere, ob quam materia sit haec et talis. Anima autem hominis ex natura sua non solum virtutem intelligendi habet, sed etiam virtutem sentiendi. Actio autem sensus non fit sine corporeo instrumento. Oportuit igitur animam intellectivam corpori uniri, quod possit esse organum conveniens sensui, et illi quidem sensui, qui est adiumentum conveniens vitae intellectivae [3].

4. Quum omnis perfectio detur materiae secundum capacitatem suam, anima ita infunditur diversis corporibus, ut non infundatur diversis corporibus secundum modum eundem. Quare in unoquoque corpore Esse secundum mensuram corporis terminatum habet. Quia vero hoc Esse terminatum, quamvis acquiratur animae in corpore, non tamen illi acquiritur ex corpore neque per dependentiam ad corpus, ideo remotis corporibus remanet unicuique animae Esse suum terminatum secundum affectiones vel dispositiones, quae ipsam consecutae sunt, quatenus fuit perfectio talis corporis. Quam ob rem anima corpus aliud informare non potest.

Quam rem hac sensibili comparatione manifestavit Avicenna: „Si aliquid unum figuram suam non retinens (velut *aqua*) distinguatur per diversa vasa, quando removentur vasa, non remanent propriae figurae distinctae. Si autem

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. de spir. creat. a. 9 ad 4; 2, dist. 17, q. 2, a. 2.

[2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 73. 75. 81 ad rat. 3.

[3] Id. S. theol. 1, q. 76 a, 5.

sit aliquid retinens figuram (velut *cera*), quod distinguatur secundum diversas figuras per diversa instrumenta, etiam remotis illis remanebit distinctio figurarum. Et hoc modo se habet anima rationalis. Haec enim ita Esse suum post corporis destructionem retinet, ut in ipsa maneat idem Esse individuatum et distinctum et proportionatum corpori suo.“ [1]

318. *Coroll. 17.* Quaesitum est, unde inaequalitas perfectionis intellectualis, quae reapse reperitur in hominibus[2], traxerit originem. Imprimis certum esse videtur eam oriri ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad operationes suas. Illi enim, in quibus virtus imaginativa et aestimativa et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum. Sed oritur etiam ex meliore virtute ipsius intellectus. Quoniam enim omnis actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatem, eiusque dispositioni proportionatur, necesse est, ut anima, quae unitur corpori melius disposito et organizato, sit melioris virtutis in intelligendo, et quod consequens est, ipsa sit perfectior nobiliorque quam alia, quae minus bene disposito unitur[3].

Controversia est, utrum differentia, quae sit in ipsa virtute intellectuali, tota trahatur ex diversa dispositione materiae, an etiam diversitas virtutis intellectivae primo sit in anima, ita ut secundum hanc diversitatem diversitas dispositionis corporis efficiatur.

In priorem sententiam concedere videtur Aquinas: „In individuis“, inquit, „est diversitas formalis, non quae est formae per se secundum id, quod ad rationem formae pertinet — nam talis diversitas formae diversitatem speciei inducit —, sed quae non per se, sed per accidens ex diversitate materiae resultat, secundum quod in materia melius disposita dignius forma participatur; haec enim diversitas non diversificat speciem, et haec est diversitas animarum.“ [4]

---

[1] Cfr. S. Thomas 2, dist. 17, q. 2, a. 2 c. et ad 4.

[2] De hac inaequalitate aliqua est inter psychologos dissensio. Dicit Volkmann: „Bei den Alten war es die Sklaverei, bei den Neuern ist es die Rassenfrage. Aristoteles charakterisirte die Seele der Sklaven dadurch, dass er ihr wohl das Vermögen der Annahme äusserlich dargebotener Vernunft beilegte, aber die eigene Vernunftentwicklung absprach (l. 5 Eth. Nicom., gegen Ende). Waitz hat die noch weiter gehende Behauptung der gänzlichen Culturunfähigkeit einiger wilder Volksstämme den brutalen Anmassungen einzelner amerikanischer Ethnographen gegenüber durch eine Reihe von Thatsachen widerlegt“ (l. c. I, 98).

[3] S. Thomas, Summa theol. 1, q. 85, a. 7; Quaest. disp. q. 2 de verit. a. 2 ad 11; 2, dist. 32, q. 2, a. 3. [4] 2, dist. 32, q. 2, a. 3.

„Quoniam omnis actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatem, eiusque dispositioni proportionatur, necesse est, ut, quae unitur corpori melius disposito et organizato, sit maioris virtutis in intelligendo, et consequenter ipsa sit perfectior ac nobilior quam alia, quae minus bene disposito unitur. Quod duplici signo potest etiam esse manifestum: — et primo quidem ex his, quae diversi generis sunt: quia unumquodque invenitur tanto nobilius genus animae participare, quanto corpus eius ad nobilius genus complexionis pertingit, ut in hominibus, brutis et plantis; — secundo, etiam in his, quae sunt unius generis: ex hoc enim contingit diversitas animarum, quod est in corporibus diversitas; et hoc etiam patet ex signo boni intellectus, quod Philosophus indicat, dicens eos, qui sunt boni tactus et molles carne, aptos mente esse; bonitas autem tactus ex aequalitate complexionis contingit: quia oportet, ut instrumentum tactus inter contraria tangibilia sit medium; et quanto magis pervenit ad medium, tanto melior erit tactus. Unde patet, quod ex diversitate corporis animarum diversitas resultat.

„Itaque tripliciter potest considerari anima: — primo quantum ad rationem speciei; et hoc modo omnes animae sunt aequales, nec una est magis substantia quam alia; nec eadem in homine recipit maius et minus; secundo quantum redundat perfectio naturae in perfectionem individui, per modum, quo ex principiis speciei sequuntur operationes individuorum; et secundum hoc unus homo est potentior alio in explendis operationibus speciem concernentibus: unus enim alio promptior est ad intelligendum vel ad ratiocinandum, et sic de aliis; — tertio potest considerari per ordinem ad corpus diversimode complexionatum, in quo recipitur, et hoc modo quum, quidquid recipitur, per modum recipientis recipiatur, et actus sint proportionati suis potentiis, ex diversitate complexionis per accidens resultat et causatur diversitas in animabus, ita ut una individualiter sit perfectior alia, digniusque ab una materia melius disposita participetur quam ab alia.“ [1]

Sed multos inter Aristotelicos reperies, qui ab hac sententia recedant. Qui docent in animabus humanis, quatenus sint spiritus, reperiri inaequalitatem non solum externam illam, quae sit ex inaequalitate corporum, sed etiam internam ex ipsius animae indole quoad potentiarum perfectionem; neque tamen propter hanc diversitatem perfectionis internam animas humanas in diversis speciebus ponendas esse; „magis enim et minus, secundum quod causentur ex intensione et remissione unius formae“, non efficere, ut species diversae sint [2].

Coroll. 18. Anima humana enucleatius definiri potest, ut sit substantia simplex, spiritualis, per se subsistens, licet incompleta et naturaliter atque substantialiter unita corpori tanquam ipsius forma.

[1] S. Thomas 2, dist. 32, q. 1, a. 3; q. 2, a. 3. Cfr. S. theol. 1, q. 85, a. 7; 3, q. 69, a. 8 ad 3; Quaest. disp. q. 2 de pot., a. 2; q. 2 de verit., a. 2.

[2] Id. S. theol. 1, q. 50, a. 4 ad 2.

„Est ergo homo animal rationis capax; verum ut melius et citius dicam, animal rationale.“ [1] Hac definitione nulla melior est. Animal indicat genus, rationale differentiam specificam: ratiocinatio enim est ille intelligendi modus, qui est hominis proprius. Ab animalitate et rationalitate proprietates omnes hominis deducuntur.

Reiciendae igitur sunt definitiones omnes hominis, quae ab hac alienae sunt, velut ea, quam dedit Plato: „anima utens corpore“; vel quam dedit de Bonald: „intelligentia utens organis corporeis“.

§ 5. De animae humanae origine.

319. Error emanatismi. Quum singulos homines alios post alios oriri videamus, philosophos praeterire non potest quaestio, qua inquiritur, qua ratione in unoquoque oriente homine oriatur anima.

Iam inter veteres erant (posteriore tempore Stoici praecipue atque etiam Neoplatonici), qui dicerent animam humanam esse particulam vel emanationem divinae substantiae. Verum id esse non posse ex consideratione finitudinis, mutabilitatis, potentialitatis animae satis intelligitur. Si enim anima esset divinum quid, „nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semet ipsa vel inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere, quod habebat, quantum ad eius ipsius affectiones pertinet. Quam vero aliter se habeat, non opus est extrinsecus testimonio, quisquis se ipsum advertit, agnoscit.“ [2]

Atque hic error ex positionibus duabus ortus esse videtur. Inter eos enim, qui naturas rerum considerare coeperunt, erant, qui, imaginationem transcendere non valentes, nihil praeter corpora esse ponerent. Et ideo ipsum Deum esse quoddam corpus dicebant, quod omnium corporum esset principium, de cuius ergo substantia esset anima. Hoc modo Manichaei Deum esse quandam lucem corpoream existimantes, partem illius lucis animam esse posuerunt corpori alligatam. Altera positio eorum est, qui aliquid incorporeum esse apprehenderunt, non sicut a corpore separatum, sed corporis formam. Inter quos Varro dixit Deum esse animam mundi intuitu vel motu et ratione gubernantem [3]. Et totalis illius animae partem posuerunt esse animam hominis, sicut homo esset pars totius mundi; non valentes intellectu pertingere ad distinguendos spiritualium substantiarum gradus, nisi secundum distinctiones corporum [4].

[1] S. Augustinus, Serm. 43.

[2] Id. ep. 166 (al. 28), c. 2, n. 3 (De orig. anim).

[3] Id. l. 4 de civit. Dei c. 31, n. 2.

[4] S. Thomas, S. theol. 1, q. 90, a. 1; Summa c. gent. l. 2, c. 85; 2. dist. 17, q. 1, a. 1.

Ad hanc vero opinationem sententiae omnium pantheistarum de natura animae humanae, quaecunque illae sunt, reducuntur. De hoc vero errore supra (n. 181. 185. 275, 2) satis dictum est.

Quum anima humana non possit esse — id quod pantheistis placet — particula ex Dei substantia decerpta, neque ipsa, quae finita sit mutabilis contingens, rationem entis absoluti et infiniti habere possit, de eius origine quaerendum est, sive causa, a qua procedere soleat.

320. **Sententia Aristotelicorum.** Ante Aristotelem multi putabant animas humanas a diis effectas esse [1]. Cuius opinationis ipse Stagirita mentionem fecisse videtur [2]. Aristoteles quum de origine animae suam ediceret sententiam, obscure tantum locutus est, repetens id, quod ante ipsum nonnulli dixerant: animam venire deforis tanquam divinum quid [3].

Multi hac dicendi formula a Stagirita creationem indicatam esse volunt. „Anima rationalis“, ut est apud Aquinatem, „non potest fieri, nisi per creationem, quod non est verum de aliis formis. Cuius ratio est quia, quum Fieri sit via ad Esse, hoc modo alicui competit Fieri, sicut competit ei Esse. Illud autem proprie dicitur esse, quod ipsum habet Esse, quasi in suo Esse subsistens. Unde solae substantiae proprie et vere dicuntur entia; accidens vero non habet Esse, sed eo aliquid est, et hac ratione ens dicitur: sicut albedo dicitur ens, quia ea aliquid est album. Et propter hoc accidens dicitur magis entis quam ens. Et eadem ratio est de omnibus aliis formis non subsistentibus. Et ideo nulli formae non subsistenti proprie convenit Fieri, sed dicuntur fieri eo, quod composita subsistentia fiunt. Anima autem rationalis est forma subsistens (quum corrupto corpore remaneat); unde illi proprie convenit Esse et Fieri. Et quia non potest fieri ex materia praeiacente neque corporea (quia sic esset naturae corporeae) neque spirituali (quia sic substantiae spirituales invicem

[1] Nägelsbach, Nachhomerische Theologie p. 71.

[2] *Ἔστιν δ' ἡ μὲν πρὸς γονεῖς φιλία τέκνοις, καὶ ἀνθρώποις πρὸς θεούς, ὡς πρὸς ἀγαθὸν καὶ ὑπερέχον· εὖ γὰρ πεποιήκασι τὰ μέγιστα· τοῦ γὰρ εἶναι καὶ τραφῆναι αἴτιοι, καὶ γενομένοις τοῦ παιδευθῆναι* (Eth. Nicom. l. 8, c. 14, 1162 a, 4).

[3] Cfr. n. 316, coroll. 14. De hoc loco explicando scripserunt Rolfes l. c. p. 155, Elser l. c. p. 200 sqq. Eadem obscuritate alii loci, qui ad rem de qua agitur elucidandam, a nonnullis adduci solent: l. 3 de an. c. 5, 430 a, 19 sqq.; l. 7 Eth. Eud. c. 14, 1248 a, 24 sqq.

transmutarentur), necesse est dicere animam non fieri nisi per creationem.“ [1]

Ostensum est igitur animam rationalem non posse produci nisi per creationem. Solus autem Deus potest creare, quia solius primi agentis est agere nullo praesupposito, quum semper agens secundum praesupponat aliquid a primo agente; quod autem agit aliquid ex aliquo praesupposito, agit transmutando; et ideo nullum aliud agens agit nisi transmutando. Sed solus Deus agit creando; et quia anima rationalis non producitur per transmutationem alicuius materiae, ideo non potest produci nisi a Deo immediate [2].

321. Traducianismus. Huic quam modo proposuimus sententiae adversatur opinatio Traducianorum; qui posuerunt animas traduci a parentibus. Quorum duces exstiterunt Tertullianus et Apollinaris. Traducem novimus ex propria vocis notione esse ramum alicuius vitis, qui terrae insertus radices agit et hoc modo ex parte plantae prioris fit nova planta integra. Et hi quidem, de quibus dicimus, statuebant animam a parentibus per generationem in filios transfundi, eo fere modo, quo fax a face flammam mutuaretur vel chalybs frictu magnetis evaderet magneticus per transfusionem quandam virtutis [3].

Haec vero animarum traductio ab aliis alia ratione est proposita. Qui traducianismum materialem sectantur, vim quandam fingunt animalem sive corpoream, quae a parentibus transeat in filios [4].

Tertullianum quod spectat, difficile est dicere, num id omne, quod voce expresserit, etiam cogitatione tenuerit. Ille firmissime inhaerens dogmatis revelationis divinae, quum disputaret contra materialismum, animam ortam esse non ex materia voluit sive ex materiae suggestu (id quod dixerat Hermogenes), sed esse vaporem spiritus vel flatum factum ex spiritu Dei, ex substantia Dei animatum. „Hoc erit anima, qua flatus est et spiritus tradux“; „spiritus sui aura, oris sui opera, afflatus sui vapor“. „Definimus animam: Dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, substantiam simplicem, de suo sapientem, varie procedentem, liberam arbitrii, per ingenia mutabilem, rationalem, domina-

[1] S. theol. 1, q. 90, a. 2; Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 8 ad 7. Cfr. Summa c. gent. l. 2, c. 83 sqq. Sylv. Maurus l. c. l. 3, q. 3.

[2] S. Thomas, S. theol. 1, q. 90, a. 3.

[3] Hoc modo nonnulli theologi putabant facilius explicare transfusionem peccati originalis. Quam ob rem etiam S. Augustinus haesit dubius per aliquod tempus (cfr. l. 1 de an. et eius origine; Epist. 166 [al. 28] ad S. Hieronymum, in qua de animarum origine doceri cupit). Sed postea aperte docuit animas humanas a Deo creari (cfr. l. 2 de Trinit. c. 8).

[4] Ita imprimis Tertullianus. Cfr. S. Augustin., Ep. 190 (al. 157) ad Optatum.

tricem, divinatricem, ex una redundantem." Homo a rationali artifice non tantum factus, sed etiam ex substantia ipsius"; quapropter est „imago et similitudo Dei". Quibus in dicendi formulis nonnulli videbantur sibi videre Stoicorum placita hylozoistica. Certum tamen est Tertullianum a pantheismo materialistico Stoicorum omnino alienum esse. Quam ob rem terminos ab ipso adhibitos benigne interpreteris, quantum fieri potest [1]. Erravit Tertullianus, quod animae humanae specialem modum productionis attribuerit, qui non esset creatio, sed generationi similis. Ortum uniuscuiusque animae a parentibus ducendum esse iudicavit; animam non extrinsecus imprimi corpori, sed simul oriri cum corpore ex ipsa generatione vel ex seminibus indiscretis utriusque substantiae (i. e. animae et corporis); animam genitam esse traducem ex anima generantis. „Quum igitur in primordio duo diversa atque divisa, limus et flatus, unum hominem coëgissent, confusae substantiae ambae iam in uno semina quoque sua miscuerunt, atque exinde generi propagando formam tradiderunt, ut nunc duo, licet diversa, etiam unita pariter effluant pariterque insinuata sulco, et arvo suo pariter hominem ex utraque substantia effructicent, in quo rursus semen suum insit secundum genus, sicut omni conditioni genitali praestitutum est. Igitur ex uno homine tota haec animarum redundantia agitur, observante scilicet natura Dei edictum: Crescite et in multitudinem proficite." [2] Rationem suae sententiae traxit Tertullianus ex unitate substantiali hominis contra Gnosticos defendenda.

Alii, quum viderent virtutem materialem ad explicandam animam spiritualem non satis esse, vim spiritualem in auxilium vocaverunt; quorum doctrina nomen traducianismi spiritualis sibi meruit. In qua sententia, teste Gregorio Nysseno [3], fuisse videtur Apollinaris, qui animas ab animabus generari dixit, sicut a corporibus corpora.

Traducianismo spirituali finitima est sententia eorum, qui praeexsistentiam animarum ab initio perfectarum defendunt. Qui dicunt animas omnium hominum in animabus parentum vel potius protoparentum inclusas fuisse tanquam in capsellis et capsulis; inde animam extrahi vel educi in ortu uniuscuiusque hominis. Hanc sententiam alio loco (n. 316, 14) declaravimus esse falsam. Praeterea nemo non videt hoc posito solutionem quaestionis motae quoad partem primariam non effici, sed differri. Quaerendum enim relinquitur, qua ratione animae primae originem habuerint suam. Et mirum sane est neque ullo modo credibile animas per tot saecula fuisse ante sua corpora vita actuali carentes.

Traducianismo materiali finitima est sententia eorum, qui animas humanas eodem modo oriri censent, quo ex ipsorum sententia oriantur formae reliquae, praecipue animae beluinae; per

[1] Cfr. Esser, Die Seelenlehre Tertullians (Paderborn 1893) p. 49.
[2] De anima c. 27. [3] Adv. Apoll., Migne 45, 1125 sqq.

vim videlicet plasticam semini inhaerentem. Ita a traducianis differunt, ut admittant animam oriri ex nihilo sui; quod traduciani negant [1].

322. **Opinationes aliae.** Quosdam veteres putavisse legimus illam ipsam animam in homine, quae primo fuerit vegetativa dumtaxat, postmodum actione virtutis, quae sit in semine, ad id perduci, ut ipsa fiat sensitiva, et tandem ad id, ut fiat ipsa intellectiva, neque id tamen virtute activa ipsius seminis, sed virtute agentis superioris videlicet Dei deforis illustrantis [2]. Quod systema conversionis nominari potest.

Hanc sententiam singularem ex mortuis resuscitavit Rosmini, qui animam ut sensitivam per generationem a parentibus derivari voluit, quae anima postea evaderet intellectiva propter apparentem „ideam entis" sibi a Deo manifestatam [3]. Secundum hanc opinationem in generatione hominis duae causae simul operantes concurrunt: homo, qui generat, et Deus, qui lucem manifestat suam; homo ponit animal, et eodem instanti temporis animam huius animalis Deus illuminat splendore vultus sui, et cum eo „aliquid sui, sive ens ideale, quod est lumen creaturarum intelligentium", communicat.

Neque minus mira est sententia proposita ab Ubaghs, qui omnium hominum ex rerum partibus animam unam esse finxit, quae a parentibus cum liberis eo communicetur, quod illi in liberis suis producerent hypostasim sive individuationem.

Contra omnes quae sunt in hoc genere opinationes omni tempore fixa et firma erat Aristotelicorum sententia oportere, ut animae humanae orirentur per creationem. „Ponere", ut est apud Aquinatem, „animam intellectivam a generante causari nihil est aliud, quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore; et ideo haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine." [4]

Si vero necesse est, ut animam creari putemus, nascitur quaestio, a quonam creante anima humana suam ducat originem.

Inter antiquos aliqui (Avicenna, Seleucus, Hermias) opinati sunt animas hominum ab intelligentia quadam creari.

Nostra aetate ea sententia sibi amicos adepta est, qua docetur animam generari a parentibus, non quidem traduci, sed

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 86. [2] Id. S. theol. q. 118, a. 2 ad 2.
[3] Psychol. l. 4, c. 33. Cfr. Zigliara, Summa phil. II, 127.
[4] S. theol. 1, q. 118, a. 2. Cfr. Summa c. gent. l. 2, c. 87.

revera oriri ex nihilo sui et subiecti; per creationem igitur proprie dictam, idque a parentibus. Inter quos FROHSCHAMMER, qui (in libro de origine animae humanae) „Generatio," inquit, „actus est naturae humanae, quo aliquid ex nihilo creatur per vim creandi secundariam, quam Deus generi humano communicavit." Hunc errorem creatianismum vocant.

Quibus omnibus breviter dictis necessarium esse videtur, ut haec res in quaestione ponatur.

Quaeritur:

oriaturne anima humana a Deo per creationem.

323. **Rationes dubitandi.** Videtur anima intellectiva traduci ex parentibus interveniente semine. Nam (1.) quum alicuius effectus inquiritur causa, oportet semper inquirere, a quonam agente ille effectus in Fieri dependeat. Sed homo in Fieri pendet a parentibus; parentes ergo esse causa liberorum putandi sunt. Et revera homo ab homine oritur per generationem univocam; quum ergo homo speciem habeat ex anima rationali, etiam hanc animam a parentibus accipere debet.

(2.) Et unusquisque homo parentibus similis esse solet non modo quoad vitam sensitivam, sed etiam quoad ipsam indolem vitae rationalis. Ergo etiam animam intellectivam a parentibus accepisse videtur. Et anima, ut est sensitiva in homine, generatur ex semine sicut in aliis animalibus. Sed anima, quae est sensitiva in homine, est etiam intellectiva.

(3.) Parentes, si proli non communicant animam, non generant hominem, sed corpus. Et revera unum et idem agens est, cuius actio terminatur ad formam et ad materiam; alioquin ex materia et forma non fieret unum simpliciter. Sed anima intellectiva est forma corporis humani, quod formatur per virtutem seminis. Ergo etiam anima intellectiva per virtutem seminis efficiatur necesse est.

(4.) Si a Deo perpetuo crearentur animae orientium hominum, perpetuum haberemus in natura miraculum. Miracula autem ex lege et consuetudine non fiunt. Sed causis secundis a Deo omnis efficientia in natura permissa est.

(5.) Anima humana est forma quaedam; si igitur haec anima fit per creationem, pari ratione aliae formae per creationem effici putandae sunt; neque ulla erit forma, quae oriatur per generationem.

(6.) Si quis vero praefracte teneat necesse esse, ut animae oriantur per creationem, is contentus esse potest, ut dicat animas creari a parentibus.

324. **Thesis: Anima humana non potest produci a parentibus, neque per traducem sive corporeum sive incorporeum; neque generatione; sed creatur a Deo, cui soli potestas creandi competat.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Certum est errare pantheistas, quum animam humanam aliqua ratione ad ipsam Dei substantiam pertinere dicunt. Certum quoque est animam hominis non fuisse actu involutam in aliis rebus ante eiusdem

hominis ortum naturalem (n. 223. 16). In hac re adversarii, quos hoc loco attendimus, nobiscum conveniunt.

Nunc confutandae sunt falsae de origine animae theoriae: traducianismus sive corporalis sive spiritualis, et generatianismus, et systema conversionis, de quibus supra extensius diximus. Et docetur animam humanam oriri per creationem. Unde haec nostra thesis duabus partibus absolvitur.

Praenota 2°. Creationi opponitur eductio (Log. n. 1326, n. 1489 ad 5. Phil. nat. n. 195) vel epigenesis. Per epigenesim vel eductionem eae formae oriri dicuntur, quae sunt et exsistunt cum interna a materia dependentia; quae igitur nihil sunt nisi determinationes materiae sive substantiales sive accidentales.

Creari dicitur id, quod fit ex nihilo sui et subiecti. Educi id dicitur, quod fit quidem ex nihilo sui; non tamen ex nihilo subiecti.

Praenota 3°. Et communi metaphysicorum doctrina solus Deus est, qui rebus dare potest Esse secundum se consideratum [1]. Haec operatio Dei dantis Esse pro diversitate obiecti varia sortitur nomina. Vocatur conservatio, si agitur de rebus iam exsistentibus et in suo Esse pergentibus. Vocatur creatio, si Deus solus est, qui ens simpliciter producit. Vocatur concursus sive cooperatio, si Deus adiuvat aliquam causam creatam, quae agendo suum effectum sibi conaturalem attingere potest. Semper quidem, tum in conservatione, tum in creatione, tum in cooperatione, Deus est causa prima, i. e. causa, quae dat Esse simpliciter; et creatura nihil aliud valet, quam ut tanquam causa secunda effectum causae primae determinet sive modificet; hinc semper Deus ex potiore parte causa est. Attamen in creatione speciali ratione causalitas divina apparet; quia ens, quod creatur, fit ex nihilo sui et subiecti (Log. n. 1600).

Posita hac metaphysicorum doctrina edicimus animas humanas oriri per creationem.

325. **Argumenta.** *Arg. partis prioris* (in qua reiciuntur errores). 1. Falsus est traducianismus materialis. Nam tradux iste corporeus quicunque fingitur, nihil esse potest praeter substantiam materialem viribus organicis nescio quibus instructam. Sed nulla res huius generis animam spiritualem producere potest. Nam res spiritualis, quae in Esse a nulla dispositione corporea

[1] Cfr. Hontheim, Institut. theodic. n. 932 sqq.

intrinsecus pendeat, neque in Fieri ab eius generis dispositione intrinsecus pendere potest.

2. Falsus est traducianismus spiritualis. Nam tradux iste dicitur esse substantiale quid ex anima parentum decerpendum. At nihil ex anima, quae entitative simplex sit, decerpi potest. Atque id etiam de traduce animali putandum est, quem finxit Tertullianus, qui ab anima parentum per quandam distillationem exoriatur. Et Tertullianus aperte sibi ipse contradicit, quum simplicitatem et spiritualitatem animae omnino agnoverit.

Sunt inter theologos qui hoc loco *provocent* ad mysterium Ss. Trinitatis: non impediri divina simplicitate, ne fiat in divinis generatio. Quibus *respondendum* est minime esse in divinis processum unius substantiae ab alia substantia, sed esse dumtaxat processum personae de persona, quarum neutra a substantia divina distincta sit.

3. Falsus est generatianismus. Nam generatione, quae in omni organismo, planta, bestia, homine, est actio vegetativa, oriri quidem potest principium vitale, quod est in planta vel belua, sed nullo modo anima humana, quae utpote substantia spiritualis in se subsistit, neque igitur ulla ratione in Esse vel Fieri a materia intrinsecus dependet, sed omnem ordinem materialem omnino superat.

Vel hoc modo: Fieri non potest, ut virtus activa, quae est in materia, suam actionem extendat ad producendum effectum immaterialem. Vidimus autem animam rationalem transcendere materiam. Ergo virtus organica nulla animam rationalem efficere potest. Ad virtutem autem ipsius animae intellectivae quod spectat, ea nullo modo est virtus organica; ergo neque per se ullum effectum organicum habere potest. Ex quo necessarium est, ut homini adveniat anima intellectiva deforis [1].

4. Falsum quoque est systema conversionis, qua ponitur animam spiritualem effici ex transmutata anima organica. Manifestum est enim in hoc negotio fieri non posse conversionem proprie dictam, quippe quae requirat subiectum commune, in quo una forma desinat, altera incipiat. Sed anima ipsa ex subiecto et forma composita non est; neque igitur conversionis proprie dictae capax est. Neque ulla ratione ulla conversio fieri potest, quae adversariis satis fiat. Nam conversio fingitur aut ea, qua ipsa anima sensitiva transmutetur in spiritualem, aut ea, qua anima sensitiva eo fiat spiritualis, quod accipiat accidens spirituale. Neutrum fieri potest. Nam anima spiritualis omnino aliam et supe-

[1] Arist. l. 2 de gener. an. c. 3. S. Thomas, S. theol. 1, q. 118, a. 2; Summa c. gent. l. 2, c. 89; 2, dist. 18, q. 2, a. 1; Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 9.

riorem essentiam habet, quam anima sensitiva. Et pugnantia profert, qui animam sensitivam affirmat accipere posse accidens spirituale, eoque accepto ipsam fieri posse spiritualem. Accedit, quod fieri non potest, ut idea entis ullo modo animae sensitivae manifestetur. Et etiamsi haec manifestatio fieri posset, esset tamen prorsus impar ad animam sensitivam in intellectivam convertendam.

Quod idem argumentum hocce modo dixeris: Anima sensitiva aut est spiritualis, aut non. Si est substantia spiritualis, a parentibus produci non potest. Si non est spiritualis, neque potest habere ullam virtutem spiritualem, neque per manifestationem entis spiritualis fieri potest; tum quia nulla substantia materialis fieri potest substantia spiritualis; tum quia manifestatio illa, utpote actio accidentalis, mutationem substantialem efficere non potest; tum quia nulli enti unice sensitivo idea entis manifestari potest.

326. *Arg. partis alterius* (in qua ponitur animas humanas creari immediate a Deo). Illud creatione oritur, quod oriri debet ex nihilo sui et ex nihilo subiecti. Sed anima rationalis a) oritur ex nihilo sui; incipit enim esse, postquam ante non erat; b) oritur ex nihilo subiecti; est enim in se subsistens; unde neque in Esse neque in Fieri a materia quidquam, quo sit vel fiat, accipere potest, nisi ad summum fulcrum quoddam externum. Ergo anima rationalis produci non potest, nisi per creationem. Solus autem Deus potest creare; quia solius causae primae est agere nullo subiecto praesupposito, quum omnis causa secunda semper supponat aliquid, quod est. Quod autem agit aliquid ex aliquo praesupposito, agit transmutando; et ideo nullum aliud agens agit nisi transmutando. Sed solus Deus agit creando. Et quia anima rationalis non potest produci per transmutationem materiae, ideo non potest produci nisi a Deo immediate[1].

Vel sic: Omne, quod in Esse producitur, aut generatur sive per se sive per accidens, aut creatur. Anima autem humana non generatur per se, quum non sit composita ex materia et forma; neque generatur per accidens; quum enim sit forma corporis, generaretur per corporis generationem, quae est ex virtute activa seminis; quae sententia in parte priore reiecta est, quia anima humana hoc habet proprium inter alias formas, quod sit in suo Esse subsistens, et Esse, quod est sibi proprium, corpori communicet. Anima igitur per se habet suum Fieri (praeter modum aliarum formarum, quae fiunt per accidens compositis factis). Relinquitur ergo, ut ex nihilo fiat, non solum sui, sed etiam subiecti; et sic creetur. Quoniam autem creare est opus soli Deo proprium, sequitur animam humanam immediate a Deo creari[2].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 90, a. 2 et a. 3.

[2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 87; S. theol. 1, q. 90, a. 3; Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 8 ad 7.

Confirmari potest id, quod est constitutum, 1°. ex singulari animae humanae natura. Eorum, quae sunt unius generis, est idem modus prodeundi in Esse. Anima autem est in genere substantiarum intellectualium, quae non possunt aliter intelligi prodire in Esse, nisi per viam creationis. 2°. Ex fine hominis. Finis rei respondet principio eius; tum enim res perfecta est, quum ad primum principium pertingit vel per similitudinem, vel quocunque modo. Finis autem animae humanae et ultima eius perfectio est, quod per cognitionem et amorem transcendat totum ordinem creaturarum et pertingat ad primum principium, quod Deus est. Igitur a Deo habet suae originis principium [1] per eum actum, qui Dei proprius est, creationis.

327. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Revera anima intellectiva, quum fit, pendet a parentibus, non quidem ut producentibus animam humanam absolute et secundum se consideratam, neque ut disponentibus materiam simpliciter et intrinsecus (sicut in beluis), sed tanquam a causa disponente materiam saltem secundum quid et extrinsecus, et sic uniente animam intellectivam cum materia disposita.

Duplici ratione contingere potest, ut agens agat sibi simile: aut quia forma, secundum quam similitudo attenditur, ipsa per actionem agentis de potentia in actum educitur, aut quia per agentis actionem materia ita disponitur, ut sit formae recipiendae necessitas naturalis. Prior modus locum habet in omnibus formis accidentalibus et illis substantialibus, quae materiales sunt; quarum videlicet totum Esse est Inesse. Alter modus, cui soli natura animae rationalis locum relinquit, omnino satis est, ut agens putetur agere sibi simile. Atque etiam homo per generationem univocam generat sibi simile, quia virtute seminis materia ad suscipiendam animam disponitur [2].

(Ad 2.) Scimus incredibilem esse in homine vitae intellectivae ab organismo dependentiam. Quam ob rem cum certo vitae intellectualis usu etiam certa organismi dispositio coniuncta est. Si vero haec dispositio organica in filios transmittitur, consequens est, ut etiam specialis quaedam vitae intellectualis proprietas, quae fuerit in patre, in filio appareat.

(Ad 3.) Parentes dicuntur generare totum hominem, et non solum corpus, quia sunt causa unionis animae cum corpore eo, quod materiam ad formam disponunt [3].

Itaque in genere humano homo generat hominem a) dispositive, quatenus materiam ad formam suscipiendam aliquo modo disponit, b) etiam formaliter propter ipsam animam, quam quidem non producit, sed tamen cum materia communicat. Actio hominis est generativa, quia educit u n i o n e m, licet non educat ipsam formam. Etsi Deus est, cui primo productio animae (propter creationem) attribuenda est, tamen parentes iusto iure dicuntur generare hominem, quia

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 87.

[2] Id. S. theol. 1, q. 118, a. 2 ad 4; 2, dist. 18, q. 2, a. 1 ad 4.

[3] Id. Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 9 ad 6.

homo, qui fit, aliquid de communi substantia accipit, quo parentibus similis evadat quoad naturam. Et reapse id, quod homini dat speciem, est anima humana non secundum suum „Esse absolutum", sed secundum suum „Inesse in materia". Ex quo intelligitur illum vere generare hominem, qui sit causa ipsius „Inesse animae in corpore"; neque ad id requiri, ut sit etiam causa ipsius Esse absoluti.

Hoc vero „Inesse animae in corpore" duplici ratione potest considerari. Si accipitur ex parte animae, concomitanter terminat actionem Dei creantis. Si vero accipitur ex parte corporis, est per se terminus generationis humanae. Virtute enim generantis corpus usque ad ultimas dispositiones requisitas ad suscipiendam animam perducitur.

Atque his dictis etiam illud intelligitur, qua ratione ex creatione Dei et generatione hominis effici possit ens, quod per se unum est. Nam in ipsa operatione naturae operatur Deus. Et „causa agens prima agit in effectum causae secundae agentis vehementius quam etiam ipsa causa secunda; unde videmus, quod effectus, qui per instrumentum agitur a principali agente, magis proprie attribuitur principali agenti quam instrumento. Contingit autem quandoque, quod actio principalis agentis pertingit ad aliquid in operato, ad quod non pertingit actio instrumenti.... Quum igitur omnis virtus activa naturae comparetur ad Deum sicut instrumentum ad primum et principale agens, nihil prohibet, in uno et eodem generato, quod est homo, actionem naturae ad aliquid hominis terminari et non ad totum, quod fit actione Dei." [1]

328. *(Ad 4.)* Creatio animarum rationalium minime est miraculum, sed a Deo secundum rerum naturam peragitur. Demonstrari solet in metaphysica eam esse naturae necessitatem, ut creaturae omnes sine ulla intermissione pendeant a Creatore suo, et intimius dependeant, quam accidentia pendent a sua substantia; idque tum in Esse, tum in Fieri [2]. Quam ob rem Deus perpetuo operatur omnia in omnibus, conservando ea, quae sunt, et cooperando omnibus causis, quibus aliquid efficitur [3].

(Ad 5.) Quum oritur homo, oritur anima humana, quae est in se substantia perfecta, quae igitur a causalitate causae secundae attingi non potest. Unde Deus est, a quo ipsi datur et Esse absolute acceptum et a quo ipso hoc suum Esse ad speciem determinatur sive modificatur. Contra quum oritur belua, cooritur anima beluina, quae in se est substantia imperfecta sive sola materiae determinatio; quae igitur a causalitate causae secundae attingi potest. Etsi igitur Deus est, qui sicut omni effectui, ita etiam ipsi dare debet illud imperfectum Esse („Coësse", ut sic dixerim) absolute acceptum, tamen causa secunda hoc Esse imperfectum ad speciem determinat atque modificat [4].

Dices: Inde, quod anima humana est substantia perfecta, recte concluditur eam futuram esse semper; ergo etiam concludendum est eam semper fuisse. — *Resp.:* 1. Si anima fuisset ab aeterno, etiam in aeternitate a Deo creata esset. 2. Sed non fuit ab aeterno; nihil enim praeter Deum ab aeterno esse potest; id quod demonstrant metaphysici [5]. 3. Ex eo, quod anima rationalis habet vir-

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 89 ad 3.
[2] Cfr. Hontheim, Institut. theodic. p. 771.
[3] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 7.
[4] Id. S. theol. 1, q. 90, a. 2 ad 3. [5] Ibid. q. 46, a. 1.

tutem, ut sit semper, non potest concludi eam semper fuisse, sed tantum eam semper futuram esse; tum quia virtus et potentia rei non se extendit ad id quod fuit, sed ad id quod est vel erit; unde et in praeteritis possibilitas locum non habet; tum quia ex virtute non sequitur id, ad quod est virtus, nisi praesupposita virtute. Quamvis igitur anima virtutem habeat, ut sit semper, non tamen potest concludi animam esse semper, nisi postquam hanc virtutem accepit. Si autem sumatur eam hanc virtutem ab aeterno habuisse, erit petitum id, quod oportebit probari, scilicet quod fuerit ab aeterno [1].

(Ad 6.) Si putet quis fieri posse, ut a creaturis creetur quidpiam, is metaphysicos adeat consulendos. Nobis hoc loco annotasse satis est ad id, ut substantia perfecta, quae ante non fuerit, esse incipiat, requiri virtutem activam, quae sit actu infinita. Nam tanto maior requiritur ad efficiendum virtus in agente, quanto magis potentia est remota ab actu, vel quo minor est aptitudo sive pronitas potentiae ad actum. In re autem, de qua agitur, potentia est nulla; ergo infinita requiritur virtus. Praeterea Esse simpliciter est effectus maxime universalis omniumque primus, qui, si semel ab aliqua causa effici potest, ab eadem causa effici potest in indefinitum. Est autem apertissimum ad id requiri virtutem infinitam [2].

Quoniam igitur certo constat oriri animas novas, quae ante non erant, argumentum firmum est, ut concludamus exsistere ens, quod, quum valeat entitati fienti dare Esse simpliciter, habeat virtutem infinitam. Hoc ens, a quo omne ens non solum in Fieri sed etiam in Esse essentialiter pendet, ex plurimis etiam aliis argumentis a nobis est cognitum, et ab omnibus nominari solet Deus. A Deo igitur omnis anima humana producitur.

Ea vero omnia, quae in mundo fiunt, ad genus duplex reducuntur, ex quo processus productionis duplex nomen sortitus est. Aut enim eae entitates, quae esse incipiunt, in se subsistunt, ut sunt substantiae perfectae (quae igitur a Deo solo et Esse accipiunt et in suo Esse determinantur), et productio vocari solet creatio. Aut non in se subsistunt, sed in Esse suo intrinsecus a materia ut a subiecto dependent, ut est *quantitas* vel *volitio* (quae igitur a Deo quidem Esse simpliciter accipiunt sed coadiuvante materia ut subiecto sustentante et coadiuvante agenti naturali, quod Esse istud ad suam speciem determinet), et productio haec per metaphoram vocari solet „eductio“; qua voce id tantum indicare volunt materiam habuisse potentiam, et agens naturale habuisse virtutem coadiuvandi Deum in productione illius entitatis. Deus enim ut causa prima dat entitati fienti Esse simpliciter, et agens naturale ut causa secunda hoc Esse determinando sibi assimilat (Log. n. 1600. Phil. nat. n. 201).

329. **Solvuntur quae restant dubia.** *Dicunt 1°:* Imperfecta videtur esse operatio agentis, qui non totam rem in Esse producit, sed solum alteram eius partem. Si igitur Deus animam in Esse produceret, corpus autem a parentibus formaretur virtute seminis, et operatio Dei et operatio virtutis seminalis imperfecta videretur. Ergo ab una eademque causa producitur anima et corpus hominis. Certum vero est corpus effici virtute seminis. Ergo virtute seminis

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 84 ad 1. 2.

[2] Id. S. theol. q. 45, a. 5; Summa c. gent. l. 1, c. 43, n. 4; l. 2, c. 21.

efficietur etiam anima. — *Resp.:* Virtute Dei una producitur et anima et corpus, etsi formatio corporis a Deo est interveniente virtute seminis naturalis. Neque actio virtutis seminalis imperfecta est; nam id efficit, quod efficere potest ex sua naturali destinatione [1]. Et Deus creaturas in consortium efficientiae assumit non ex imperfectione, sed ex abundantia perfectionis.

Dicunt 2°: Unumquodque perfectum est, quum sibi simile producere potest. Sed anima rationalis est perfectior omnibus formis naturalibus. Quum ergo virtute aliarum formarum vi seminis educantur in actum formae similes, multo magis anima rationalis id efficere posse putanda est. — *Resp.:* Multa in formis inferioribus reperiuntur, quae in his formis propter essentialem harum imperfectionem sunt perfectiones; quae tamen in superioribus formis propter harum essentialem perfectionem esse non possunt. Anima rationalis, quum neque ex materia composita sit, neque sit forma materialis quasi materiae immersa, non potest produci ab ullo agente, quod accidentalem tantum causalitatem habet ad ipsam ex parte materiae, quae inducitur ad formam, sicut est in aliis formis materialibus. Sed oportet, quod producatur a principio, quod essentialem causalitatem habet respectu essentiae eius. Et hoc non potest esse eiusdem speciei [2].

Dicunt 3°: Inepte ponitur aliquid, ex quo sequitur Deum sanctum cooperari peccantibus. Non ergo semper animae rationales a Deo producuntur per creationem. — *Resp.:* Haec dubitandi ratio vim retineret suam, etiamsi Deus in ortu animae non cooperaretur per creationem, sed per solum concursum. Respondendum est igitur actionem adulteri duplici ratione considerari posse: aut secundum Esse morale, et sic, ut est deformis, non cooperatur Deus ad illam, sed eam prohibet; aut secundum quod est in specie naturali, et sic est bonum quoddam. Unde non est inconveniens, ut illi operationi, quatenus bona est, Deus, qui in omnibus operatur, complementum apponat [3]. „Non natura adulterorum mala est, sed voluntas.“ [4]

330. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo omittendus est quoque falsus ille creatianismus, secundum quem nonnulli docent animam humanam creari quidem, sed creari a parentibus. Nulla enim creatura potest creare quidquam (n. 308 ad 6).

Coroll. 2. Ergo errant illi (inter quos Ulrici), qui censent individuationem et multiplicitatem animarum humanarum oriri ex divisione materiae generantis. Qui ponunt a) semen ipsum animatum esse; b) cum semine vel ovulo simul partes ex animabus parentum decerpi; c) deinde ex penetratione duarum animarum partialium fieri unam animam novam.

Coroll. 3. Ergo minus recte dicunt, qui affirmant animas humanas secundum se consideratas omnes inter se specifice differre;

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 89 ad 7. 8.
[2] Id. 2, dist. 18, q. 2, a. 1 ad 6.
[3] Id. S. theol. 1, q. 118, a. 2 ad 5; 2, dist. 18, q. 2, a. 1 ad 2.
[4] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 89.

differre vero individualiter tantum propter ordinem ad hanc vel illam materiam. Nam unaquaeque anima humana in se formaliter iam est individua et singularis propter suam entitatem, quam per creationem a Deo accepit (Log. n. 1287).

Concedimus animas a Deo multiplicari pro corporum, quibuscum coniungendae sunt, multitudine. Nam is est ordo a Deo institutus, ut generatione oriatur homo, cuius anima creetur, quoties materia ad suscipiendam animam disposita est.

Ex his solvitur quaestio, qua quaerunt, sitne materia principium individuationis animae. Si accipiatur principium individuationis formaliter, i. e. tanquam id, quo aliqua res formaliter constituatur individua, hoc principium est ipsa animae entitas. Si vero accipiatur introductive sive materialiter vel effective, i. e. tanquam id, ad quod res consequitur, principium individuationis pro anima est materia signata sive summe ad naturam humanam disposita (Log. n. 1282). Nam ex naturae instituto materiam corporis humani apte dispositam consequitur anima individualis.

Coroll. 4. Ergo falsa est Platonicorum sententia, qui dixerunt animas humanas non creari a Deo immediate, sed intervenientibus puris spiritibus, sive angelis. Qui universe posuerunt in rebus omnibus superiora inferiorum causas esse. Necesse esse vidimus, ut animae humanae oriantur per creationem. Sed solus Deus potest creare, quia solius primi agentis est agere nullo praesupposito, quum semper agens secundum praesupponat aliquid a primo agente. Quod autem agit aliquid ex aliquo praesupposito, agit transmutando. Sed solus Deus agit creando [1].

Coroll. 5. Neque illi ab errore sunt immunes, qui censent posse quidem de potentia absoluta (i. e. si spectetur solum divina omnipotentia, quae id in creatura disponere possit) fieri, ut anima rationalis de potentia materiae educatur. Nam essentiae rerum ne ab omnipotente Deo quidem mutari possunt (Log. n. 1264). Anima autem propter essentiam suam est a materia libera et intacta [2].

331. Scholia. *Schol. 1.* Si quaerat quispiam, quo momento temporis anima rationalis a Deo creetur, imprimis certum est eam eo momento creari, quo cum corpore unitur. Deus animam

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 90, a. 3; 2, dist. 18, q. 2, a. 2

[2] Cfr. Soarez Lusit., Phys. I, n. 266 sqq.

infundendo creat et creando infundit. Et in hoc uno temporis momento secundum prioritatem naturae primo creatur anima et deinde generatur homo. Nam in homine ipsum Esse primo et per se convenit animae, et deinde communicatur supposito. Et prius est Esse, quam Inesse; ergo prius est Esse in anima, quam in corpore animato.

Schol. 2. Quod si quaerat quis, quonam momento temporis anima rationalis cum corpore uniatur, varias veterum hac de re opinationes sic breviter proponit Aquinas: Aliqui dixerunt operationes vitae, quae in embryone appareant, non esse ab anima ipsius, sed ab anima matris vel a virtute formativa, quae sit in semine. Sed utrumque falsum est; nam operationes vitae, velut sentire, nutriri et augeri, a principio externo esse non possunt. Et illud principium embryonis internum vitale sive anima esse debet. Quapropter pro certo habendum est in embryone esse animam primo nutritivam, deinde sensitivam, tandem intellectivam.

Sunt autem, qui dicant ad animam vegetativam, quae prima insit, accedere secundam sensitivam, et postea intellectivam ut tertiam.. Vidimus autem in uno composito unam tantum animam esse posse.

Alii igitur dixerunt illam eandem animam, quae initio esset tantum vegetativa, postea propter virtutem activam seminis transformari in sensitivam, et tandem ipsam eandem perduci ad hoc, ut ipsa fieret intellectiva, non quidem propter virtutem activam seminis, sed propter virtutem agentis superioris, scilicet Dei deforis illustrantis. Ita fieri dicunt, ut per continuam additionem maioris perfectionis ipsa substantia animae paulatim transmutetur in aliam speciem. At id esse non potest. Nam sola additione perfectionis novae nunquam forma praeexsistens in aliam speciem transmutari potest.

Et ideo dixerunt Aristotelici, quum generatio unius semper esset corruptio alterius, tam in homine, quam in aliis animalibus, ubi primum anima perfectior adveniret, fieri corruptionem prioris, ita tamen, ut forma sequens haberet, quidquid habuisset prima, et adhuc amplius. Et hoc modo per multas generationes et corruptiones perveniri ad ultimam formam substantialem [1].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 118, a. 2 ad 2; Summa c. gent. l. 2, c. 88. 89. „In generatione compositorum, puta animalis, inter primum principium generationis, quod est in semine, et ultimam formam animalis completi sunt

Generationes istas intermedias recentiores nomine „metamorphosium“ significare solent. Metamorphoses, quales ponunt fieri in statu embryonali, certo scimus fieri in statu posteriore apud multos organismos, cuius rei exempla sunt papiliones, ranae [1].

Haec igitur est, quae epigenesis (n. 223, 16) dicitur, embryonalis sive ontogenetica evolutio ex mente veterum (Phil. nat. n. 206). Et pro masculis infundi embryoni animam rationalem putabant non ante diem post conceptionem quadragesimum, pro femellis non ante diem octogesimum, eo quod ante id temporis corpus ad suscipiendam animam rationalem satis dispositum non esset. Vegetativam igitur sequitur sensitiva: sensitivam sequitur rationalis, ita ut unusquisque homo primo sit quasi planta, deinde quasi belua, tandem homo.

Atque his potissimum rationibus Peripatetici nitebantur: 1. Ad diiudicandas rerum essentias semper oportet attendere phaenomena; neque unquam licet plus ponere essentiae, quam quod appareat in phaenomenis. Quamdiu ergo tantum observantur phaenomena vegetalia, non licet ponere adesse animam sensitivam vel rationalem.

2. Natura in omni re ab imperfectioribus procedit ad perfectiora (Log. n. 1573, 7), idque non subito, sed gradatim. Ergo credere oportet etiam in productione hominis naturam gradatim procedere [2].

3. Tribui debet in genere humano principiis generantibus, quidquid his tribuitur in genere viventium reliquorum. Sed viventia reliqua producunt animam substantialem. Ergo id ipsum homini tribuendum est. Sed homo producere animam spiritualem non potest. Oportet ergo, ut animam spiritualem anima materialis antecedat, quae ab homine producatur.

4. Conformitas et incredibilis illa similitudo, quae est inter parentes et liberos, multo facilius explicatur, si putemus per multos dies fuisse in embryonibus animas materiales a parentibus per virtutem seminis productas.

Hanc Aristotelicam de evolutione embryonali sententiam hodie a nonnullis naturae scrutatoribus — inter quos praecipuus est Ernst Haeckel — retentam et multis vane excogitatis additamentis exornatam videmus. Qui non solum volunt unumquemque hominem embryonalem fuisse in genere animalium, sed etiam multa afferunt ex embryonali hominis vita signa, ex quibus

---

multae generationes mediae, quae necessario terminantur ad aliquas formas, quarum nulla facit ens completum, quod est via ad speciem aliquam. Similiter autem ex parte corruptionis“ (S. Thomas in l. 1 de gen. et corrupt. lect. 8. Cfr. Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 4, q. 29).

[1] De papilionibus et erucis (vermibus) dicens Sylv. Maurus: „Nec dicant,“ inquit, „quod in papilionibus sit eadem anima ac in vermibus. Quum enim fiat notabilis mutatio in corporis organizatione, dicendum, quod anima mutatur etiam“ (Quaest. phil. l. 4, q. 29 ad 4).

[2] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 89.

appareat unumquemque fuisse etiam in specie piscium, vespertilionum, ursorum, simiarum.

Verum hodie inter philosophos multo communior sententia est animam humanam illico in prima organizatione corpori infundi.

Cuius sententiae ratio ea est, ut dicant ad introducendam animam humanam, quae sit simul vegetativa, sensitiva, rationalis, non requiri dispositionem perfectissimam, sed satis esse eam, qua aliquae saltem operationes vitales effici possint. Quum anima rationalis ipsa sit etiam vitae sensitivae et vegetativae principium, non apparet, cur foetus, quum primo vivere incipiat, aliam et a rationali diversam animam accipere debeat. Ab initiis enim primis intenditur generatio non *quercus* vel *piscis*, sed hominis. Neque mirum est, quod homo, compositus ex anima rationali et corpore, in evolutione sua a primis vitae initiis proficiscens et omnes perfectioris usque vitae gradus transgrediens manifestet primo aliquam cum plantis et deinde cum beluis similitudinem genericam. Quoniam vero ab initiis sensim inducuntur organizationis formae, quae hominis solius propriae sunt et post vitae rationali inservire debent, concludendum est vegetationem istam in embryone ab initiis fieri ab illa anima, quae rationalis est et virtute sua suum sibi corpus perficit ad vitae humanae operationes. Neque obstat, quod isto tempore nulla appareant rationalis vitae vestigia. Ad ratiocinandum enim in homine certa quaedam organismi evolutio et perfectio requiritur; quae ne in foetu recens nato quidem reperitur. Numquid infantibus vagientibus anima rationalis neganda est eo, quod nondum manifestent ullius ratiocinationis indicia?

Tertia est praeterea nonnullorum sententia, qui media via incedentes, inter organizationem inchoatam et perfectam distinguunt. Qui animam non illico post conceptionem massae illi informi, quae embryo inchoatus putari possit, infundi volunt, sed tum, quum embryo vero „organismus“ sit; tum vero infundi animam rationalem.

In hac sententia fuit Cranen, doctissimus medicus [1]. „Tempus“, inquit, „praecise determinari nequit; sed possumus circiter assequi, quod hoc fieri possit, ubi usus ille reciprocus et commercium illud mutuum locum habere potest, quum anima corpore uti queat, hoc est quando corpus est formatum, quando omnia membra aut saltem praecipua aut plurima sunt efformata. Necessario adesse debent cerebrum, ventriculi eius cum appendicibus nervorum, medulla spinae, qui nervi viae sunt, per quas spiritus influunt ad obeunda servitia menti praestanda. Concludimus igitur tunc animam in corpus infundi, quando illud bene organizatum est, quando praecipua organa sunt facta.“ [2]

[1] In tractatu physio-medico De homine (ed. Neapol. 1722) p. 533.

[2] De hac sententia Toletus: „Si quis nolit illas formas intermedias admittere, respondeo, quod illud semen non habet animam, quousque disponatur et organizetur per virtutem seminalem; qua dispositione facta inducitur anima rationalis. Haec autem non statim omnes suas exercet operationes, sed temporis successu; primo enim exercet opera vegetationis, postea motum, post sensum, tandem intellectionem; ac ob id non dixit Aristoteles prius esse

SECTIO SECUNDA.

De natura animae beluinae.

332. Exponitur doctrina. Discrimen inter cognoscentia et non-cognoscentia id esse scimus, ut cognoscentia praeter suam formam naturalem (sive substantialem sive accidentalem) etiam formas aliarum rerum intentionales in se recipere possint; non-cognoscentia autem forma sua naturali contenta sint. Neque obliti sumus formam intentionalem esse imaginem quandam vitalem, qua vivens sibi aliquid obiective repraesentet. Qua repraesentatione perfectio entis naturalis non minuitur, sed completur et perficitur [1].

Quum formam omnem sequatur quaedam inclinatio, ad formam cognitione habitam sequitur appetitus cognoscitivus (n. 95, 3) [2].

Cognitionem aut sensitivam esse diximus aut intellectivam (n. 54, n. 73). Simili ratione appetitus duplex est.

Suo loco satis declaravimus in beluis vere esse et cognitionem sensitivam et appetitum sensitivum (n. 76). Et ne sensus quidem interni a natura beluina exclusi sunt. Sed vitam intellectivam beluae nullam habent (n. 87).

Deinde illud etiam certum est in unoquoque animali unam esse animam, quae sit principium vegetativae atque etiam sensitivae vitae, qua de re alio loco iam diximus (n. 80).

333. Neque minus certum est esse in belua qualibet animam unam, quae sit totius vitae sensitivae principium, id quod ex manifesta huius vitae unitate satis apparere videtur.

Sed inter recentioris aetatis naturales reperiuntur, qui negent in toto animalis organismo unam vitae causam esse, sed volunt ex artificiosa nervorum textura resultare in multis cerebri centris nervosis multa sentiendi principia; quin immo etiam ganglia magni sympathici affirmant pro eiusmodi centris habenda esse, in quibus insint animae re multae; atque id tantum permittunt centrum quoddam princeps residere in cerebro [3].

Manifestum autem esse videtur hanc opinationem cum rerum veritate non congruere. „Diversa enim non possunt uni convenire,

---

plantam, sed vivere vitam plantae. Ista interpretatio est Alberti“ (l. 2 de an. c. 3, q. 7 ad 1).

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 14, a. 1; Summa c. gent. l. 4, c. 11.

[2] Id. S. theol. 1, q. 80, a. 1.

[3] In hac sententia sunt: Ed. de Hartmann, Philosophie des Unbewussten. E. Haeckel, Vorträge I, 125.

nisi ab aliquo uniantur. Si ergo sunt diversae animae in corpore, oportet, quod ab aliquo contineantur et uniantur. Sed nihil est, quod uniat illas et contineat . . . quia aut est corpus, in quo sunt, aut est aliquid aliud. Sed corpus animam non continet, immo magis anima continet corpus (videmus enim, quod egrediente anima e corpore corpus deficit et marcescit). Si autem aliquid aliud continet eam, tunc illud erit maxime anima, quia animae est, continere et regere . . . et iterum redit quaestio eadem . . . et sic in infinitum." [1]

Id vero concedendum est in generibus animalium imperfectiorum, velut acephalis (n. 66), reperiri species, in quibus vix ac ne vix quidem a nobis discerni potest, utrum in una cohaerente massa insint animalia plura an unum tantum.

334. Gravis quoque res est et a philosophis multum deliberata, sitne anima beluina substantia perfecta, qualem animam humanam esse diximus, an substantia tantum imperfecta sive substantialis materiae perfectio.

Inter Graecos Pythagorei et Platonici illi, qui metempsychosim posuerunt, animabus, quae essent in corporibus beluinis, eandem prorsus naturam tribuerunt, quae esset animabus humanis. In qua sententia omnes sunt, qui metempsychosim autumant.

Inter recentiores reperies plurimos, qui arbitrentur beluas pollere anima spirituali, quae tamen sit conditionis inferioris quam anima humana, quum ad cognoscendas tantum res materiales valeat neque suo corpori superstes sit, sed post destructam corporis organici dispositionem a Deo annihiletur. Inter hos Wolffius animas beluinas non quidem spirituales et immortales esse dixit, sed tamen simplices et incorruptibiles [2].

Baco de Verulamio [3] secutus est sententiam illorum (Heracliti, Diogenis, Democriti), secundum quam animae beluinae putantur esse corpora tenuissima, quae sint media inter corpora crassa et spiritus. Alii de materia ignea vel electrica dicunt.

Ex Aristotelicorum sententia anima beluina ita est pars essentialis, cum corpore tanquam comparte unam substantiam constituens, ut sine corpore esse non possit. Qua re est similis accidenti [4]; differt tamen ab accidenti, quia accidens nunquam potest esse pars substantiae. Huius rei argumentum ab Aristo-

[1] S. Thomas in l. 1 de an. lect. 14; Summa c. gent. l. 2, c. 58, n. 5.

[2] Psychol. sect. 4, c. 1, § 643. 752. 753. 769.

[3] De augmento scientiae l. 4, a. 3.

[4] *Διὸ καὶ οὐ δεῖ ζητεῖν, εἰ ἓν ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, ὥσπερ οὐδὲ τὸν κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα, οὐδ' ὅλως τὴν ἑκάστου ὕλην καὶ τὸ οὗ ὕλη· τὸ γὰρ ἓν καὶ τὸ εἶναι ἐπεὶ πλεοναχῶς λέγεται, τὸ κυρίως ἐντελέχειά ἐστιν* (Arist. l. 2 de an. c. 1, 412 b, 6).

telicis peti solet ex interna dependentia, qua omnes operationes beluinae pendent a materia.

„Sentire et consequentes operationes animae sensitivae manifeste accidunt cum aliqua corporis immutatione. . . . Et sic manifestum est, quod anima sensitiva non habet aliquam operationem propriam per se ipsam, sed omnis operatio sensitiva est coniuncti. Ex quo relinquitur, quod, quum animae brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes; similiter enim unumquodque habet Esse et operationem." [1]

Etiam de simplicitate aut compositione animae beluinae mota est quaestio. „De nonnullis quidem istorum, ut est apud Aristotelem, videre discernereque facile possumus; nonnulla autem dubitationem habent. Nam ut plantae nonnullae divisae seiunctaeque videntur vivere, propterea quod anima, quae est in istis, actu quidem in unaquaque planta est una, potentia vero plures, sic et circa alias videmus animae differentias fieri; quum inciduntur animantium ea insecta vocamus: utraque namque partium et sensum habet et motu locali cietur. Quodsi sensum habet, imaginationem quoque et appetitum habet; ubi enim est sensus, ibi dolor etiam exsistit atque voluptas; at ubi sunt haec, ibi necessario cupiditas inest." [2] Quodsi partes separatae vitam continuare non possint, id ideo fieri dicit Stagirita, quod „organa non habeant, ut naturam conservent" [3].

Vocem simplicitatis ambiguam esse novimus et ab aliis alia ratione intellectam (n. 269 sqq.). Alii omnem formam substantialem simplicem esse volunt. Alii solis et omnibus animabus simplicitatem tribuunt. Alii, inter quos permulti S. Thomae discipuli, animalium quidem perfectorum animas simplices esse dixerunt, imperfectorum vero divisibiles. Alii vero animas omnes praeter animam rationalem compositas esse affirmaverunt. Inter quos Scotus [4] atque etiam Suarez [5].

Illud quoque memoratu dignum est, reperiri non solum beluas, quae divisae in plures vitam continuare possint, sed etiam eas, quae in unum individuum coniungi possint (Diptozoa).

335. Anima beluina, quum esse non possit sine materia sustentante, neque oriri potest sine sustentante materia, quae eius sub-

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 3.

[2] L. 2 De an., c. 2, 413 b, 16 sqq. Cfr. l. 1, c. 4, 409 a, 9.

[3] Ibid. c. 1, 411 b, 22. Cfr. De longit. et brevit. vitae c. 6, 467 a, 20; De iuv. et senect. c. 2, 468 b, 5.

[4] 1, dist. 12, q. 7. Cfr. Mastrium, De an. q. 5.

[5] Disp. metaph. dist. 15. Cfr. Tolet. in l. 2 De an., c. 2, q. 5. Ptolemaeum, Physic. partic. dissert. 1.

iectum sit. Quum igitur oritur, ex nihilo quidem sui oritur, non vero ex nihilo subiecti.

Qua ex re iudicari potest, quid sit sentiendum de iis, qui animam beluinam a Deo creari censent. „Quae quidem positio conveniens esset, si anima sensitiva esset res subsistens, habens per se Esse et operationem. Sic enim, sicut per se haberet Esse et operationem, ita per se deberetur ei Fieri. Et quum res simplex et subsistens non possit fieri nisi per creationem, sequeretur, quod anima sensitiva procederet in Esse per creationem. Sed ista radix est falsa, scilicet quod anima sensitiva per se habeat Esse et operationem.“ [1]

Sicut Esse ita etiam Fieri ex se ad ea spectat, quae „sunt“ simpliciter. Fiunt igitur beluae, non beluinae animae. Et belua quidem ipsa, i. e. totius animalis suppositum, per se oritur generatione, et in totius suppositi generatione confit anima per accidens; quam ex potentia materiae „educi“ dicunt, eo fere modo, quo educuntur accidentia (Log. n. 1326 et 1487. Phil. nat. n. 194).

Qua de re Aquinas: Formas quidam posuerunt non incipere per actionem naturae, sed prius in materia exstitisse, ponentes latitationem formarum. Et hoc accidit iis ex ignorantia materiae, quia nesciebant distinguere inter potentiam et actum. Quia enim formae praeexsistunt in materia in potentia, posuerunt eas simpliciter praeexsistere. Alii posuerunt formas effici ab agente separato per modum creationis. Sed hoc accidit iis ex ignorantia formae; forma enim naturalis corporis non est subsistens, sed qua aliquid est. Quum igitur Fieri et Creari non conveniat proprie nisi rei subsistenti, formarum non est Fieri neque Creari, sed (Confieri) Concreatas esse. Quod autem proprie fit ab agente naturali, est compositum, quod fit ex materia [2].

Hunc productionis modum per metaphoram „eductionem“ nominari diximus. „Omnis forma, quae educitur in Esse per materiae transmutationem, est forma educta de potentia materiae; hoc enim est materiam transmutari: de potentia in actum educi.“ [3]

Et in ea quidem generatione, in qua intervenit semen inter generantem et generandum, „ex anima generantis derivatur quaedam virtus activa ad ipsum semen animalis vel plantae, sicut et a principali agente derivatur quaedam vis motiva ad instrumentum“ [4]. Et anima „producitur in concepto non per actionem corporis, nec per decisionem animae, sed per actionem virtutis formativae, quae est in semine ab anima generante“ [5]. Id fieri potest, quia semen non est simpliciter inanimatum; nam „licet semen non sit animatum actu, est tamen animatum virtute“ [6].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 118, a. 1. [2] Ibid. q. 45, a. 8.
[3] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 86. [4] Id. S. theol. 1, q. 118, a. 1.
[5] Id. Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 11 ad 16.
[6] L. c. a. 12 ad 11.

Propter hanc animae beluinae a materia dependentiam id etiam efficitur, ut moriente belua etiam per accidens corrumpatur anima. Haec corruptio per accidens dicitur a philosophis „desitio". Desinit igitur haec anima, quia, quum ex natura sua nihil sit nisi perfectio substantialis materiae, nullo modo operari vel esse potest sine materia [1].

Quaeremus igitur, 1. sitne in una belua una tantum anima; 2. num anima beluina subsistat in se ipsa; 3. animae beluinae sintne simplices an compositae; 4. quae sit harum beluarum origo.

Quaeritur primo:

sitne in uno animali una tantum anima.

336. **Rationes dubitandi.** Videntur in belua unaquaque esse animae multae, non solum pro diversitate vitae sensitivae et vegetativae, sed etiam pro diversitate, quae est in variis organis vitae sensitivae. Nam (1.) ex diversitate phaenomenorum ad diversas horum causas concludendum est.

(2.) Genus trahitur a materia, differentia autem a forma specificante. Sed quum animal definiatur „vivens sensitivum", „sensitivum" ab anima sensitiva accipitur; „vivens" autem dicitur animal, quia habet corpus anima vegetativa informatum. Corpus igitur anima vegetativa animatum ad animam sensitivam comparatur, sicut materia ad formam. Quoniam autem forma a materia re distinguitur, etiam anima sensitiva ab anima vegetativa re diversa est (Log. n. 937).

(3.) Deinde vitam sensitivam quod attinet, apertum est in animali anuloso multas animas inesse. Idipsum ergo de animalibus perfectioribus est arbitrandum, quum praesertim horum partes separatae et congruenti modo alii animali insertae vivere pergant. Ita *muris* recens nati cauda vel crusculum amputatum insertumque lateri alterius muris varia sua ossicula efformare pergit, ac si id amputatum non sit. Quinimmo cor ex corpore vivo evulsum per longius tempus palpitare pergit. Sunt praeterea in animalibus imperfectioribus, velut in Medusis et Ctenophoris, multa organa centralia (n. 66); ex quo apparet multas in iis esse animas.

337. **Thesis: Inest in unoquoque animali anima una tum quoad vitam sensitivam et vegetativam tum quoad diversas vitae sensitivae functiones et organa.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Pro diversitate functionum et organorum admittimus diversa principia proxima sive multas inter se diversas potentias, quae pro diversitate functionum inter diversa organa distributae sint. Negamus multas animas esse.

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 82.

Praenota 2°. Adversarii sunt generis duplicis. Alii duas animas ponunt, unam pro vita vegetativa, alteram pro vita sensitiva. Alii unicuique centro nervoso peculiarem animam attribuunt[1].

Praenota 3°. Quae de hac re iam alio loco leviter (n. 76) sunt constituta, restat, ut hoc loco contra adversarios confirmentur.

338. **Argumenta.** *Arg. pro parte priore. Arg. I* (ex paritate inter bestias et homines). Supra ostensum est in homine pro triplici vita unam tantum animam esse (n. 279). Sed iisdem argumentis declaratur in unaquaque belua vitam duplicem ex uno principio esse substantiali.

Arg. II (ex operationum vegetativarum et sensitivarum connexione). Bonum, quod quaerit animal in vita sua sensitiva, proxime est bonum ipsius animalis; sed quaerit bonum vitae vegetativae; ergo haec ad ipsum animal spectat. Ex altera parte bonum, quod curatur in vita vegetativa, proxime est bonum entis vegetantis; sed illud bonum, quod curatur, curatur pro vita sensitiva: haec ergo ad ipsum ens vegetans spectat.

Arg. III (ex conditione manca vitae vegetativae in beluis). In plantis vegetatio est vita in se perfecta et completa. In animalibus autem vegetatio est pars tantum vitae completae. Nam sensibilitas principio vegetanti in animali est intrinsecus necessaria. Exercitium enim functionum vegetalium in animali siti, fame, in hoc genere aliis determinari debet. Itaque vegetatio in animali a sensitiva vita non perficitur forinsecus, sed completur intrinsecus et ad altiores effectus evehitur, ut videlicet animal fruatur quodammodo sua exsistentia.

Confirmatur ex animalis generatione. Individuum beluae novum producitur generatione, quae est operatio vitae vegetativae. Quum autem novum istud individuum sensitivum sit, produci non posset per vitam vegetativam, nisi principium huius vitae simul esset sensitivum.

339. *Argumenta pro parte altera. Arg. I* (ex paritate inter bestias et homines). Homo, ut est vivens sensitivum, cum beluis

[1] Adversariis etiam anumerandus est Buffon, qui censuit organismum quemlibet non esse individuum unum, sed congeriem molecularum viventium, quae incorruptibiles essent, quas „organitas“ ille vocavit. Unum organismum ab alio differre sola organitarum diversa associatione; organitarum coniunctione generari organismum, disiunctione mori; infusoria nihil esse nisi organitas, quae soluta organismi societate libertatem suam iterum nactae essent.

convenit. Ex quo consequens est, ut quoad principium vitae sensitivae in homine et animali par sit ratio. Sed homo non solum per vitam rationalem, verum etiam per vitam suam sensitivam est unum principium sentiens, non vero agmen sentientium multorum. Unicuique enim per experientiam constat se esse unum et eundem, qui audiat in auribus, dolorem sentiat in pede, clamet, currat, cibum quaerat.

Arg. II (ex universali conspiratione omnium motuum animalis in finem unum). Si in uno animali essent multae animae, necesse foret, ut una ex his esset principium omnes uniens ad conspirationem unam, bonum totius animalis semper appetentem. Secus enim accideret, quod quotidie in formicarum cuniculo, vel examine apum vel grege ovium accidere videmus, ut solvatur ista conspiratio et oriatur inter gregis partes dissensio.

Dices: Par avium ex gallo constans et gallina naturaliter conspirant et se complent ad finem unum, qui est speciei in novis individuis conservatio. Et tamen in isto pari sunt duae animae. Ergo ex unitate conspirationis non sequitur unitas animae. — *Resp.:* Ea non sequitur ex conspiratione externa; sequitur tamen ex conspiratione interna. Videndum igitur est ex tota organismi indole, utrum par avium sese gerat ut par duorum entium, an ut par duarum unius entis partium.

Atque id, quod diximus, *confirmatur* inde, quod, sicut in homine, ita etiam in bestia unus sensus, velut *auditus*, acuitur, quum infirmatur vel amittitur alius, velut *visus*. Id quod esse non posset, si visus alia anima esset informatus atque auditus.

340. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Est in belua una anima, quae simul est principium vitae vegetativae et sensitivae. Nam functionibus vegetativis producuntur organa vitae sensitivae, quae non minus beluae sunt propria quam organa vitae vegetativae; appetitu deinde sensitivo impellitur ad curandam vitam vegetativam non ut alienam, sed ut suam. Ex diversitate functionum ad diversitatem principiorum proximorum sive potentiarum concludimus, non vero ad multa principia ultima sive substantialia.

(Ad 2.) Genus inde trahitur, quod est materia secundum considerationem rationis, non vero ab eo, quod re est materia. Quum enim gradus varii, quos corpus ab anima accipit, inter se ordinem suppositionis habeant, et gradus quivis superior in inferiore tanquam in conveniente dispositione fundamenta habeat, ideo ratio logici gradum viventis considerat tanquam aliquid imperfectum et materiale, quod quidem, quum animalibus et plantis commune sit, rationem generis accipit. Qui igitur animal definit, ut sit vivens sensitivum, voce viventis non solum animalis vitam vegetativam comprehendit, sed etiam sensitivam, quatenus haec simul cum vegetativa in conceptu vitae generico continetur (Log. n. 919) [1].

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 76, a. 3 ad 4; Quaest. disp. q. de spirit. creat. a. 1 ad 9. Suarez, Disp. metaph. dist. 6, sect. 9, n. 17.

(Ad 3.) Animae, quae insunt in animalibus anulosis, sunt multae potentia, non multae actu, id quod ex cohaerentia et conspiratione partium satis apparet. Idipsum putandum est de animalibus perfectioribus; quod, si ex his ut plurimum non possunt fieri multae per divisionem, id propter complexiorem organismi constitutionem efficitur, in quo partes fere omnes inter se ad vivendum exigunt. Conceduntur facta illa extraordinaria, quorum causa ex aggenerationis legibus petenda est, qua organismo toti modo extraordinario coniungitur materia apte disposita. In illis igitur membris abscissis non manet vita, sed manet tantum dispositio illa naturalis, quae in organismo vivo, dirigente principio vitali, adducta erat.

Et motus, qui in evulso corde vel dissectis membris per tempus observari possunt, non iam sunt motus vitales, nisi secundum quid, quia a principio vitali eae conditiones in materiam adductae sunt, quibus positis illi motus secundum leges physicas et chemicas continuari debent etiam absente illo principio.

Centra illa nervosa, quae in nonnullis animalibus imperfectioribus reperiuntur, aut inter se intrinsecus cohaerent, aut non. Si cohaerent, est bestiola una habens unam animam; si non cohaerent, sunt bestiolae multae habentes multas animas. Quae res haud raro a nobis vix discerni potest.

Quaeritur secundo:

num anima beluina subsistat in se ipsa.

341. **Rationes dubitandi.** Videtur anima beluina subsistere in se ipsa. Nam (1.) ipsum rei Esse diiudicandum est ex ipso rei Operari. Sed habet anima beluae Operari, quod a materia est independens. Habet enim bestia motum spontaneum, in quo anima est id, quod movet, et corpus est id, quod movetur.

(2.) Id, ex quo fluit virtus cognoscitiva, quae in organismo beluino inest, debet in se habere Esse, quod organismum antecedat. Ergo debet in se subsistere.

(3.) Ordo iustitiae et aequitatis id postulat, ut anima beluina in morte beluae ne pereat. Est enim his in terris eadem iniquitas sortis inter bestias, quae est inter homines: innocentes perpetiuntur pessima, et crudelis rapacitas abundat gaudiis. Sicut igitur ex ista inaequalitate arguunt homini paratam esse vitam alteram, in qua fiat secundum iustitiae normam aequatio fortunae et compensatio, ita etiam ad vitam alteram animarum beluinarum arguendum est. Ergo etiam putari oportet animas beluinas in se subsistere.

(4.) Si anima beluina a materia dependet, est imperfectior lapide vel ipsa materia. At quis id dicere auderet?

(5.) Operationes beluarum a nobis non cognoscuntur omnes; ergo prudenter agit, qui a iudicio de natura bestiarum abstinet.

342. **Thesis: Anima beluina non est in se subsistens, sed in ipso Esse suo intrinsecus a corpore pendet.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Adversarii imprimis sunt Platonici. Qui hos antecesserunt, Materialistae antiquiores, nullas plane animas et ne hominum quidem subsistentes esse putaverunt. Qui id dixerunt, quia putabant sicut Sentire, ita

etiam Intelligere effici a principio corporeo. Contra posuit Plato omnes plane animas, atque etiam beluarum, in se subsistentes esse. Qui id dixit, quia putabat, sicut Intelligere, ita etiam Sentire effici a sola anima habitante in corpore. Aristoteles autem, quia vidit ipsum Intelligere, quod sit proprium hominis, effici ab anima sola, Sentire autem esse operationem a composito egredientem, docuit animas beluinas carere subsistentia [1].

Praenota 2°. Subsistentia hoc loco vi vocis minus stricta intelligitur, ut ea significetur independentia in exsistendo. Negantes igitur animam bestiae in se subsistere, affirmamus eam indigere, ut sit in aliquo subiecto, non quidem inhaesionis, sed informationis.

Scimus enim duplici modo aliquid indigere subiecti, in quo sit. Primo subiecti inhaesionis, quod competit accidentibus, quorum totum Esse est Inesse substantiae, quae in suo Esse substantiali iam perfecte constituta est. Secundo subiecti informationis, quod competit illis formis substantialibus, quarum totum Esse est Inesse materiae, quacum constituit unam substantiam perfectam.

Praenota 3°. Quum dicunt animam beluinam non posse per se subsistere, vel in se subsistere, vel subsistere, diversus est dicendi modus, res eadem est. Anima beluina potius dicenda est esse determinatio substantialis quam substantia. Intrinsecus pertinet ad id, unde actiones beluae egrediuntur. Quamobrem determinatio substantialis est, non accidentalis.

343. Argumenta. *Arg. I* (ex dependentia omnis activitatis beluinae a materia). Ipsum Esse substantiale est dependens a materia, si omnes eius operationes et facultates intrinsecus dependent a materia. Quum enim operationes entis ex eiusdem natura eveniant, naturae manifestationes sunt, ita ut inter Operari et Esse sit proportio, et ens esse possit sine materia, quatenus operari potest sine materia.

Atqui operationes omnes in beluis intrinsecus a materia pendent. Nam a) sensus in beluis est eiusdem naturae atque in homine. Sed in homine operatio sensitiva est operatio compositi, i. e. potentiae in organo exsistentis et a materia dependentis (n. 209). Itaque oculus ipse est, quo elicitur visio, etsi id, unde eam virtutem habet, est anima, atque ita in reliquis. b) Et sicut sensatio, ita etiam omnes operationes beluinae organo efficiuntur. Nam eius est Appetere et Moveri spontanee, cuius est Cognoscere; sed Cognoscere in belua est coniuncti. „Omnia deinde, quae ad

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 75, a. 3. Cfr. q. 118, a. 1.

appetitum sensitivae partis pertinent, manifeste cum transmutatione aliqua corporis fiunt:“ [1] atque id ita, ut transmutatio ista ad ipsam appetitionem naturaliter pertineat. Accedit, ut, quidquid bestia appetat sibi, appetat ut bonum coniuncti sive compositi; neque quidpiam ut bonum animae. Ex quo apparet id, quod appetat, esse compositum ex anima et corpore, et non solam animam.

Arg. II (ex fine animae beluinae). Totus, quem belua appetit, finis ex naturae intentione is est, ut continuetur organica exsistentia beluae in specie, et ut in hac exsistentiae continuatione habeant singula individua aliquam suae vitae fruitionem sensualem. Ex ipsius beluae intentione finis totus in eo est, ut hic et nunc continuet exsistentiam ad habendam pecuariam voluptatem et quietandos stimulos actuales, qui in hac vel illa conditionum circumstantia in animalis natura enascuntur. Unde totus finis beluarum est in materia immersus. Ergo neque anima beluina alium finem habere potest, nisi ut informet materiam et operetur in materia.

Atqui id, cuius totus finis est in materia, etiam ipsum a materia pendet.

Arg. III (ex carentia intellectus). Declaratum est alio loco (n. 90) in beluis nullum inesse intellectum. Atqui id omne, quod intrinsecus non pendet a materia, habet etiam Agere non pendens a materia, quod quidem in ordine cognitionis est Intelligere. Ergo anima beluina intrinsecus pendet a materia.

Confirmatur ex appetitu naturali. „In qualibet re, quae potest pertingere ad aliquam perfectionem, invenitur naturalis appetitus illius perfectionis.“ [2] Sed beluae ex natura sua nihil appetunt, nisi quod refertur ad conservationem corporis sive in individuo sive in specie.

Idipsum de delectatione est arbitrandum. Nam „ad hoc ordinatur operatio cuiuslibet rei sicut in finem, in quo sua delectatio figitur“ [3]. Delectationes autem omnes beluarum referuntur ad conservationem corporis. Non enim delectantur in sonis, odoribus et aspectibus, nisi aliqua ratione quietant stimulos sensitivos vel referuntur ad curandum cibos vel venerea, circa quae est omnis eorum delectatio. Principium autem vitale, cuius totum Operari refertur ad bonum corporis, non potest esse a corpore independens.

344. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Motio est duplex: una, qua imperatur motus, quae est appetitio; atque haec in anima sensitiva non est solius animae; nam

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 82, n. 7. [2] Ibid. n. 3. [3] Ibid. n. 4.

ira, gaudium, passiones aliae cum aliqua corporis immutatione omnino coniunctae sunt. Alia motio est, qua animal motum exsequitur, qua videlicet membra redduntur mobilia, ut appetitui oboediant. Et in hac motione id, quod movet, non est anima. Sed ipsum totum ex anima et corpore compositum movet se ipsum. Et animal movet se ipsum non secundum se totum, sed secundum sui partem tantum. Anima est, ex qua habet suppositum, ut motus suus sit vitalis sive immanens. Unde anima recte dicitur „principium quo primum" sive „principium quo radicale". Praeter id est „principium quo proximum", quod est „virtus locomotiva", sive „vis motrix", quae inest in parte determinata corporis.

(Ad 2.) Virtus cognoscendi non prius est in anima beluina inde ad compositum transitura; at primo est in composito, sed ratione animae.

(Ad 3.) Ea est notanda inter hominem et bestiam hoc loco diversitas, quod homo destinatus est ad adhaerendum Deo; i. e. ut his in terris per rectum usum intellectus Deum cognoscat et per rectum usum liberi arbitrii laudet, revereatur, Deoque serviat et tandem in altera vita perfectam beatitudinem adipiscatur. Hunc finem ut appetat, intellectum habet et liberam voluntatem, et vita sua perfecte frui potest, et propter suam agendi rationem praemio vel poena dignus efficitur.

Contra beluae ad ornamentum mundi universi destinatae sunt, ad cuius perfectionem pertinet, ut plurima animalia exsistant. Quantum commercium intercedit inter homines et beluas, hae totae ad illorum utilitatem destinatae sunt. Quum careant libera voluntate, praemio vel poena affici non possunt. Quum careant intellectu, carent etiam perfecta sui conscientia; unde neque commoda vel incommoda vitae tantopere sentiunt, sicut id contingit in hominibus [1].

(Ad 4.) Magis pendet materia ab anima quam anima a materia. Nam ab anima habet materia, ut vivat. Pendet quidem anima a materia, sed a sustentante, hinc a sibi subdita. Quodsi lapidem contra animam moveas, fatendum est lapidem ratione completionis anima beluina perfectiorem esse; sicut ratione independentiae pauper rusticus perfectior esse potest ministro regis ditissimo.

(Ad 5.) Solent bestiae facultates suas sub consueta rerum circumstantia manifestare omnes; secus istae frustra essent. Reapse deinde in multis rebus ita agunt, sicut non agerent, si haberent facultates spirituales.

345. **Solvuntur quae restant dubia** [2]. *Dicunt 1°:* Id, cui inhaerent accidentia, debet esse substantia in se subsistens; atqui animae inhaerent phaenomena psychica; haec enim, quum non possint inhaerere corpori, debent inhaerere animae. — *Resp.:* Phaenomena vitae sensitivae neque corpori soli inhaerent, neque soli animae, sed inhaerent corpori animato, quod est ex anima et corpore compositum.

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 24 de verit., a. 2 ad 6.

[2] Loco dubiorum ponimus „argumenta", quibus nonnulli ex Herbartianis recentioribus (inter quos Robert Zimmermann, Philosophische Propaedeutik; Empirische Psychologie § 6 sqq. Lindner-Fröhlich, Lehrbuch der empirischen Psychologie [ed. 10] Einleitung § 2. Viennae 1891) demonstrare conantur animae humanae subsistentiam; quae si vera essent, vim etiam haberent ad demonstrandam animae beluinae subsistentiam.

Dicunt 2°: Omnes partes corporis perpetuo inter se succedunt, ita ut intra paucos annos integrum corpus ex alia constet materia. Sed sunt phaenomena psychica, velut memoria, quae per tempus longissimum perdurant: quorum ergo subiectum, quod est anima, etiam perdurat, non perdurante corpore. Quod autem in se perdurat, non perdurante subiecto, id in se vere subsistere est arbitrandum. — *Resp.:* Et corpus et anima beluae perdurare solet ab organismi initiis ad corruptionem usque, si spectetur totus organismus, quamvis eius particulae continenter abeant contritae, advenientibus novis, quae organismo omnino assimilantur. Et assimilantur quidem organismo non solum quoad Esse substantiale, sed etiam quoad qualitates accidentales, quantum id ad bonum organismi necesse est.

Dicunt 3°: Anima est una eademque in membris omnibus; ergo simplex est. Quod autem simplex est, id est substantia in se subsistens. — *Resp.:* Recordandum est animam beluinam habere quidem simplicitatem naturalem, non vero entitativam (n. 269).

346. **Corollaria.** *Coroll. 1.* Ergo principium vitale, quod inest in belua, recte vocatur materiale et formis materialibus annumeratur. Nihil tamen obstat, quominus dicatur „medium" inter formas materiales et immateriales, propter vitae supra brutam materiam elevationem, qua exornatum est. Non igitur vituperandi sunt, qui distinguunt genus formarum triplex materialium, immaterialium, mediarum.

Cavendum vero est, ne anima beluina dicatur esse spiritualis. Etsi enim cognitio sensitiva, quae omnium animalium propria est, ingenti supra materiam elevatione continetur (quam ob rem haud raro „spiritualis secundum quid" dicta est, et immutatione „spirituali" effici), multo tamen magis est vita intellectiva inferior, quae solius hominis propria est. Quapropter nomen „spiritualis" animae intellectivae reservandum est [1].

Coroll. 2. Ergo anima beluina, etsi non est substantia simpliciter, dici tamen potest esse substantia incompleta et imperfecta. Substantiae enim voce simpliciter significatur id, quod ita per se subsistit, ut ex natura sua sine altero, cui coniunctum sit, exsistere possit. Sed praeterea principium quodlibet internum, quod substantiam constituit, substantiae nomine insigniri potest. Substantia incompleta est, quia operationem et hinc Esse habet, in quo a comparte sua (materia) intrinsecus completur. Substantia imperfecta est, quia praeter istam operationem et praeter istud Esse nihil habet, in quo a comparte sua (materia) intrinsecus non pendeat. Id, quod est in hoc genere substantiae imperfectae, melius significatur nomine „determinationis substantialis".

---

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 82, n. 2; l. 1, c. 44, n. 4; 1, dist. 35, q. 1, a. 1; Quaest. disp. q. 6 de pot., a. 6.

Coroll. 3. Certum ergo est animam beluinam ex naturae viribus esse non posse extra materiam. Potestne fortasse per miraculum a Deo conservari sine materia? Alii affirmant id fieri posse, quia ista anima satis entitatis habeat. Alii vero id negant. Quorum opinatio nobis videtur esse probabilior. Etsi enim animae materiales entitatem a materia distinctam habent, tamen necessitas ipsis naturalis est, ut insint in materia et cum materia ens unum constituant. Qua re animae beluinae eadem fere natura est, quae est accidentibus vitalibus (velut intellectui et intellectioni, voluntati et volitioni), quae ne potentia quidem absoluta a subiecto separata exsistere possunt.

Coroll. 4. Ergo anima beluina in morte beluae esse desinit[1]. Interitus duplex distingui solet: annihilatio et corruptio. Illud „annihilari" dicitur, cuius nihil remanet. Quod si res quidem interit, ita tamen, ut aliquid eius remaneat, dicitur „corrumpi". Et potest aliquid corrumpi aut per se aut per accidens. Id per se corrumpitur, quod in se a destruente attingitur, velut *animal,* in quo ipso causa destructionis ponitur. Id per accidens corrumpitur, quod cessat esse corrupto alio, quod in se a causa destruente attingebatur. Corruptio per accidens vocatur desitio. Id igitur desinit, quod per accidens corrumpitur.

Non est autem dubium, quin omnis anima beluina in morte beluae omnino esse desinat. Nam haec anima in vita sua tum accidentali tum substantiali ita a corpore pendet, ut a corpore separata neque agere neque esse possit. Et quis finis huic animae a corpore separatae esse possit? Fini autem respondet natura. Si igitur animae separatae nullus finis est, iam constat animam istam ex natura sua a corpore separatam esse non posse.

Dices: Anima beluina a corpore separata frui potest exsistentia sua. Ergo hoc gaudium bestiis permittendum est. — *Resp.:* Omnis fruitio in belua est actus vitalis organicus. Ergo is actus sine corpore haberi non potest.

Quaeritur tertio:

sitne anima beluina simplex an composita.

347. Introducitur quaestio. Quum de simplicitate aut divisibilitate animae beluinae quaeritur, res inquiritur, quae saepe deliberata et multum est agitata. Multi has animas simplices esse volunt eo modo, quo anima humana simplex est: simplicitate

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 82.

entitativa. Ita sentiunt ex Platonicis plurimi et, modum loquendi si spectes, ex Peripateticis haud pauci. Horum tamen pars maior docent has animas propter intimam a materia dependentiam in se divisibilitatem materiae suscipere, ita ut, si post factam divisionem singulae partes id organizationis habeant, quod ipsis ad vivendum satis sit, eae vitam suam pergere possint.

Ex quo apparet illos non tribuere animabus beluinis simplicitatem entitativam. Unde Aquinas: „Sicut se habet una pars animae sensitivae ad unam partem corporis sensitivi, sic se habet totus sensus ad totum corpus sensitivum.“ [1]

Nihilo tamen setius his animabus tribuunt simplicitatem naturalem, et perfectam quidem beluis perfectioribus, imperfectam vero imperfectioribus. Unde Aquinas de totalitate dicens, quae per se formis competit, „In qualibet forma apparet, inquit, quod est tota in toto et tota in qualibet parte eius; nam *albedo* sicut secundum totam rationem albedinis est in toto corpore, ita et in parte qualibet eius. Secus autem est de totalitate, quae per accidens attribuitur formis; sic enim non possumus dicere, quod tota albedo sit in qualibet parte. Si igitur sit aliqua forma, quae non dividatur divisione subiecti, sicut sunt animae animalium perfectorum . . . absolute dicendum est eam totam esse in qualibet corporis parte. Nec est hoc difficile apprehendere ei, qui intelligit animam non sic esse indivisibilem ut punctum; neque sic incorporeum corporeo coniungi, sicut corpora ad invicem coniunguntur.“ [2] „Forma, quae requirit diversitatem in partibus, sicut est anima, et praecipue animalium perfectorum, non aequaliter se habet ad totum et partes; unde non dividitur per accidens, scilicet per divisionem quantitatis.“ [3]

Itaque conceditur animam beluarum perfectarum esse simplicem hoc modo, ut eius partes, ubi primum dividantur, ilico pereant vel inutiles reddantur. Sic etiam dicimus indivisibilem esse *calceum* vel *nomen* aliquod, quo exemplo utitur S. Augustinus: „Multoties litterae componentes nomen ita sunt coniunctae in syllabis, ut si dividantur, pereat significatio, ut quum dico *solem*; aliquando vero syllabae dividi possunt et divisim retinere significationem, ut quum dico Lucifer.“ . . .[4] In qua comparatione illud animadvertendum est simplicitatem calcei vel vocabuli externam

[1] S. Thomas in l. 2 De an. lect. 2. [2] Id. Summa c. gent. l. 2, c. 72.
[3] Id. S. theol. 1, q. 76, a. 8. [4] L. De quant. anim. c. 31. 32.

esse et accidentalem; animae vero beluinae competere simplicitatem internam et substantialem.

348. **Rationes dubitandi.** Videtur anima beluina omnino simplex esse. Nam (1.) recte sensit Leibnizius, quum diceret principium omne cuiuscunque actionis oportere, ut sit simplex.

(2.) Quodsi quis concedere velit principium activitatis transeuntis esse compositum, activitas immanens certe sibi principium expostulat, quod sit simplex. Si enim non esset simplex, pluralitatem haberet, ita ut activitas ex una re transeat in aliam. Et activitas esset transiens, non vero immanens.

(3.) Atque id magis etiam ex natura principii cognoscentis elucere videtur. Nam id, quod sentit in pede uno, idem prorsus esse debet atque id, quod sentit in pede altero. Felis, ubicunque pungitur, toto corpore contremiscit; id ergo animae, quod est in cauda, est etiam in capite. Et equus uno labore vehementius occupatus, altero occupari non potest; ex quo manifestum est idem et simplex esse, quod variis subsit occupationibus.

(4.) Id confirmatius est ex cognitionis obiecto. Sicut enim homo, ita etiam bestia, quum rem obiectam cognoscit, eius partes in unum comprehendit, ita ut cognoscatur res tota.

(5.) Accedit, ut in perfectioribus animalibus reperiatur tanta organorum et activitatis consonantia quanta in homine. Ex quo concludendum est ad identitatem animae, quae omnia gubernet; identitas vero non est sine simplicitate.

(6.) Ex fine cognoscitur natura. Sed animae animalium perfectiorum finem habent, ut informent corpus, quod divisum nullo modo vitam continuare potest. Ergo hae animae indivisibiles sunt.

(7.) Sicut una pars hominis resecta interit, ita pars equi. Sicut ergo anima hominis est indivisibilis, ita etiam anima equina. Quodsi alia animalia per divisionem multiplicantur, id fit, quia per modum generationis anima nova producitur.

(8.) Propter has rationes auctores gravissimi docuerunt animas beluinas esse simplices. Inter hos videtur esse Aquinas: „Si est aliqua forma, quae non dividatur divisione subiecti, sicut sunt animae animalium perfectorum.“ [1]

(9.) Opinandum est saltem animas animalium perfectorum esse simplices. Nam ut est apud Suaresium, convenit esse in universo omne genus formarum possibilium. Ergo debent esse formae, quae sint mediae inter animas humanas (spirituales et simplices) et animas organismorum imperfectiorum (neque spirituales neque simplices), quae igitur sint quidem simplices, non tamen spirituales [2].

(10.) Sed contra animae beluinae omnes esse compositae videntur. Id enim, quod oritur ex materia composita, ipsum compositum sit oportet. Sed animae beluinae omnes per eductionem ex materia composita oriuntur.

349. **Thesis: Omnis anima beluina pro natura sua habet simplicitatem sive indivisibilitatem naturalem, sive perfectam sive imperfectam. Neque tamen ulla habet simplicitatem entitativam, i. e. eam, quam habet anima humana.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Variae, quae sunt in hac causa, sententiae ad tres reduci possunt. Sunt, qui sequentes

[1] Summa c. gent. l. 2, c. 72. Cfr. S. theol. 1, q. 76, a. 8.

[2] Suar. l. 1 De an. c. 13, n. 11.

Platonicos omnes animas beluinas simplices esse velint. Alii distinguentes inter animalia perfectiora et imperfectiora sive sectilia in illis animas simplices esse ponunt, in his negant [1]. Alii nulli bestiae animam simplicem esse censent.

Praenota 2°. Simplicitatem multiplicem distingui posse scimus (Log. n. 1335, schol. 6. Phil. nat. n. 211). Permittimus animabus beluinis a) simplicitatem quoad essentiam, quia ipsae ex materia et forma compositae non sunt; b) simplicitatem quoad essentiae perfectionem, quia ratio animae sive perfectio essentiae reperitur tota in vivente toto et in qualibet viventis parte; c) simplicitatem positivam internam sive naturalem, quia partes animae inter se ad unum effectum exigunt et inter se connexae sunt. Quae exigentia totius est in unaquaque parte; atque id perfecte in animalibus perfectioribus, quae omnem divisionem horrent; imperfecte in animalibus imperfectioribus, quae post divisionem vivere pergunt.

Itaque animabus beluinis simplicitatem internam attribuimus eo fere modo, quo externam simplicitatem attribuunt *pileo* vel *calceo* vel *vocabulo*. Et haec quidem simplicitas naturalis certe potior est in anima cognoscitiva quam in anima vegetativa.

Praenota 3°. Beluis perfectioribus eam indivisibilitatem convenire concedendum est, ut pati non possint divisionem in partes, quae separatae vitam pergant. Partes animae tam intime inter se unitae sunt, ut eae, quae partes singulas informant, id tantum facere possint unitae cum reliquis.

Praenota 4°. Negamus animas ullas beluinas esse simplices entitative. Quae simplicitas in eo est, ut totum sit in qualibet parte non solum exigitive sive connexive, sed etiam entitative (Log. n. 1373). Has animas, quae sicut formae omnes ex se simplices sunt, propter omnimodam a materia dependentiam compositionem sive divisibilitatem materiae in se suscipere edicimus.

Praenota 5°. Divisibilitas duplex distinguitur, prout aliquid dividitur per se aut per accidens. Per se dividitur *lignum*, ad cuius divisionem dividitur per accidens etiam *color*, qui in ligno inest. Dicimus igitur animam beluinam satis partium habere, ut diviso corpore per accidens dividatur et ipsa [2].

350. Argumenta. *Argumentum partis primae* (in qua affirmatur simplicitas naturalis). Ea forma est divisibilis, quae habitudinem

[1] Cfr. Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 4, q. 27.

[2] Cfr. Gregorium de Valentia, 1, disp. 6, q. 2 puncto quarto.

indifferentem habet et ad totum et ad partes, ita ut pars quaelibet praedicationem totius suscipiat, velut quaelibet pars *ferri* ferrum esse dicitur. Quum autem forma aliqua non habet habitudinem illam indifferentem, sed per prius et per se ordinatur ad totum tanquam ad proprium et proportionatum perfectibile, per posterius autem refertur ad partes, ut totius partes sunt, ita ut partes propter illam formam non admittant praedicationem totius: iam illa forma dividi in partes non potest. Atque ita se res habet in beluis. Nunquam enim pars *equi* equus esse putari potest, sed ut equus sit, corpus multiplici organorum genere pollens requiritur.

Argumenta partis alterius (quae est de simplicitate entitativa sive spirituali). *Arg. I* (ex dependentia animae beluinae a materia). Forma, quae in toto suo Esse ab organismo intrinsecus pendet, entitative simplex esse non potest. Atqui animam beluinam totam ab organismo intrinsecus pendere probavimus. Haec ergo anima entitative simplex esse non potest.

Prob. mai. Forma, quae tota destinata est ad Operari et Esse in materia, naturam materiae sequitur, quantum id pro ipsius natura fieri potest, neque ullam perfectionem habet, nisi quae ad informandam materiam est necessaria (nihil enim est frustra in natura). Sed natura huius formae, quum nullius principium sit operationis, quae sit entitative simplex, diffusionem entitatis, quae est materiae propria, admittit; neque simplicitas entitativa putari potest esse necessaria ad informandam materiam. Ergo est haec forma entitative diffusa sive divisibilis.

Vel sic: Omnis anima pecudis in agendo et essendo pendet a materia, quae est extensa et divisibilis. Ergo etiam anima ipsa est extensa et divisibilis. Nam indivisibilitas entitativa et, quae hanc sequitur, definitiva exsistendi ratio (Phil. nat. n. 126. 436) est incredibilis perfectio et captu difficillima, quae nulli rei tribui debet, nisi sit ad tribuendum adigens necessitas; neque ea animae rationali tribueretur, nisi haec haberet immaterialem operandi modum.

Quae res ex ortu animae beluinae confirmari potest. Haec enim anima non creatione producitur, sed cum interna pendentia a materia oritur. Oritur igitur tota in tota materia, et in partibus materiae per partes suas.

Atque id etiam ex beluae operationibus confirmatius est. Nulla enim perfectio essentialis principio vitali attribuenda est, quin in aliqua operatione vitali appareat. Atqui in nulla beluae operatione apparet simplicitas entitativa.

Arg. II (ex divisibilitate animae in animalibus imperfectioribus). Distinguebant veteres animalia perfectiora et imperfectiora. Perfectiora dicebant ea esse, quae haberent organizationem propter

multitudinem et diversitatem partium fere similem organizationi corporis humani, cuiusmodi sunt quadrupeda. Imperfectiora vero, in quibus organizatio esset imperfecta, velut in lumbricis, anguibus, quorum videlicet organismus aequalibus fere partibus constitueretur: ita ut singulae partes post separationem vitam continuare possent. Haec animalia Aristoteles dixit esse „animalia multa natura cohaerentia“ [1]. Ex observatis vero rebus certum est in unoquoque organismo vitaliter cohaerente unum esse animal.

His positis hoc modo concludimus. Tota diversitas inter animalia perfecta et imperfecta ab organizatione pendet; neque ulla est ratio animas perfectiorum esse alius naturae et in alio genere atque animas imperfectiorum. Sed hae animae sunt divisibiles.

Certum est enim esse animalia, quae dividi possint, ut singulae partes sese ad nova individua viventia evolvant. Aut igitur in unaquaque parte producitur anima nova, aut anima, quae toti inerat, in multas partes divisa est. Non producitur anima nova, quae entitative non fuerit; nam quis produceret? in qua parte produceretur, si lumbricus in duas vel tres partes inter se aequales divideretur? Id igitur animae, quod fuit indivisum in lumbrico indiviso, nunc est divisum in animas multas.

351. Respondenda. *(Ad 1.)* Scienter dicunt, qui omnem formam ex se indivisibilem esse affirmant; sicut materia ex se est divisibilis. Sicut autem in corpore naturali materia a forma accipit unitatem essentialem, ita illae formae, quae ex natura sua totae immerguntur in materia, a materia in se suscipiunt divisibilitatem.

(Ad 2.) Ad alicuius rei activitatem immanentem requiritur eiusdem rei unitas positiva et essentialis; non vero simplicitas. Ea unitate omnis pluralitas actualis satis excluditur. Anima etsi simplicitate entitativa caret, est tamen tota in qualibet viventis parte non entitative, sed connexive, ita ut pars exsistens in pede ita cum ceteris animae partibus unita sit, ut sine illis esse non possit, et pars animae exsistens in una parte nervi ita cum ceteris intrinsecus connectitur, ut ex omnibus simul procedat una actio vitalis.

(Ad 3.) Ut vivens cognoscat, requiritur viventis unitas positiva et essentialis, non vero simplicitas; et ea quidem peculiaris unitas requiritur, quae naturae cognoscitivae respondet.

Dices: Cum omni fere cognitione coniuncta est multarum rerum comparatio. At nulla comparatio esse potest, nisi ab eadem parte cognoscente cognoscatur unaquaeque comparandarum rerum [2]. — *Resp.:* Ad comparationem

---

[1] De iuvent. et senect. c. 1.

[2] „Nur wer beide Bilder hat, kann auch ihre Aehnlichkeit oder Unähnlichkeit auffinden. Wäre die Basis der seelischen Erscheinungen ein aus Theilen

explicandam, qualis est in beluis, satis est, ut ponatur anima, quae sit simplex naturaliter, cuius igitur partes intrinsecus inter se nexu speciali connectantur ita, ut cognitio totius animae positive u n a sit.

(Ad 4.) Nulla bestia cognoscit rem totam formaliter ut totam, i. e. sub conceptu totalitatis; sed cognoscit tantum rem, quae est tota, i. e. totam materialiter.

(Ad 5.) Sicut anima hominis, ita etiam principium vitale, quod est in equo, integritatem organismi requirit, ut is vivere possit. Unde recte dicunt equinam animam esse indivisibilem quoad modum informationis, quatenus complura exiguntur ad vivendum organa. Unde in hac beluina anima agnoscere debes simplicitatem exigitivam sive unitatem naturalem in gradu perfecto, minime tamen simplicitatem entitativam.

(Ad 6.) In animalibus perfectioribus organa ad vivendum necessaria multa sunt et admodum diversa. Quocirca separatis inter se organis organismus vivere desinit. In imperfectioribus vero non est tanta organorum mutua exigentia et connexio. Ex quo accidit, ut etiam separatae partes possint retinere vitam suam. Et qualis est organismi divisibilitas, talis etiam animae, quae ad vivificandum organismum destinata est.

(Ad 7.) Ea est inter animam humanam et equinam convenientia, ut utraque ad vivificandum corpus exigat integritatem organismi. Quia autem probatum est animam humanam esse simplici entitate, animam equinam vero entitate composita, concludendum est animam humanam ab informatione pedis desinere: animam vero equinam ita desinere, ut simul pars eius corrumpatur.

(Ad 8.) Non semel S. Thomas aperte posuit animas omnium beluarum esse compositas entitative. „Sicut, inquit, se habet una pars animae sensitivae ad unam partem corporis sensitivi, sic se habet totus sensus ad totum corpus sensitivum.“ [1] Si igitur semel dixit hanc animam esse totam in parte qualibet, intellexit simplicitatem quoad essentiae perfectionem atque etiam quoad naturalem connexionem sive exigentiam.

(Ad 9.) Suarez, quum esset aetate provectior, sententia sua mutata, aperte docuit omnes animas beluinas esse divisibiles [2].

(Ad 10.) Simplicitas naturalis non obstat, quominus animas materiales per eductionem oriri putemus.

352. Scholion. Hoc loco etiam illa orta est quaestio, sintne partes animae beluinae h o m o g e n e a e an h e t e r o g e n e a e. Quae quaestio non de homogeneitate p r i m a r i a instituitur. Certum est enim hanc cum unitate omni essentiali coniunctam esse, quatenus in qualibet parte ratio essentialis totius integra inesse debet. Sed

---

bestehendes Wesen, so müsste der Act des Vergleichens ... in der Weise vorgestellt werden, dass der eine Theil diesen, der andere Theil jenen Theil der Ursache auf sich nähme.... Allein nur derjenige, welcher beide Bilder hat, kann sie auch vergleichen“ (R. Zimmermann, Propaedeutik [ed. 3] p. 138.

[1] In l. 2, De an. lect. 2. Cfr. ibid. lect. 4; 1, dist. 8, q. 5, a. 3 ad 2.

[2] Disp. metaph. d. 15, sect. 10, n. 32; l. 1 De anima, c. 2, n. 19.

id tantum quaeritur, utrum praeter hanc homogeneitatem primariam ipsum principium vitale in diversis organismi partibus aliquam heterogeneitatem habeat necne. Consentiunt omnes eas partes esse absolute homogeneas, quae in omni organizatione conveniant. De partibus vero, quae operationes omnino diversas eliciunt, diversa virorum doctorum opinatio est.

Aliqui affirmant homogeneitatem absolutam per integrum organismum, a) quia unitas principii vitalis id postulare videtur; b) quia ex una cellula totus organismus producitur, id quod fieri non posset, nisi una cellula eiusdem plane rationis esset atque quaelibet alia; c) quia aliquae organismorum partes non solum valent pro munere suo actuali, sed laeso organismo diversas plane operationes in se suscipere possunt (ita Conimbricenses).

Alii homogeneitatem absolutam negant, a) quia partes, quae in se habeant diversas dispositiones et rationes et diversos effectus formales et operationes diversas, etiam diversitatem in principio informante requirant [1]; b) quia totum Esse principii vitalis materialis ad informandam materiam organicam referatur; sicut ergo hoc principium in se suscipiat materiae extensionem, ita etiam in se suscipere debeat materiae heterogeneitatem; c) quia, „si anima brutorum esset homogenea, illa pars animae, quae est in pede, poneretur in subiecto et instrumento per se inepto ad exercendas praecipuas operationes imaginationis et appetitus“ [2].

Et animam humanam quod attinet, huic secundum se spectatae varietas illa attribui non potest, quum sit omnino simplex; attribuitur ipsi tamen ut unitae, propter diversum modum partialis unionis. Etsi enim omnes et singulae partes eandem omnino animam habent, non tamen haec anima omnibus eodem modo unitur, quae diversitas satis est, ut illae partes in sola sua substantiali unione spectatae habeant aliquam varietatem substantialem [3].

Nos quidem in hac re obscura a ferendo iudicio abstinemus.

Quaeritur quarto:

qua ratione oriatur anima beluina.

353. **Rationes dubitandi.** Videntur animae beluinae non oriri in ortu animalis. Nam (1.) congruens est, ut putetur Creator sub rerum initiis omnes animas produxisse inter se involutas.

(2.) Quod si animae oriuntur in ortu uniuscuiusque animalis, certum esse videtur eas non produci generatione. . . . Nam potentia generativa, quum ad vitam vegetativam spectet, est infra animam sensitivam. Nihil autem agit ultra suam speciem. Ergo anima sensitiva vi generativa effici non potest.

(3.) Praeterea semen, quod intervenit, multo imperfectius est animali producendo. Id igitur semine produci non potest.

[1] Suar. l. 1 De an., c. 14, n. 3. Cfr. ibid. l. 1 De an., c. 2, n. 19, et Disp. metaph. d. 15, sect. 10, n. 40.

[2] Sylv. Maurus, Quaest. phil. l. 4, q. 26 ad 9. [3] Suar. l. 1 De an., c. 2, n. 23.

(4.) Neque inepte dicunt, qui censent animam novi animalis inde fieri, quod pars animae antiquioris simul cum parte materiae decidatur, et vel sine medio (ut in generatione fissipara) vel etiam adhibitis mediis (velut gemmis vel sporis vel etiam spermate) transeat in animal novum. Quam ob rem a veteribus virtus, quae est in semine, comparata est filio de domo patris egredienti; sed filius in eadem specie est atque pater. Vel comparata est arti, quae, si sit in materia, ad perfectionem artificiati operetur; sed in arte est species artificiati.

(5.) Nullum deinde accidens transfunditur nisi in transfuso simul subiecto. Sed nonnullae aegritudines ab organismis antiquioribus transfunduntur in iuniores. Ergo etiam transfunditur substantia, quae non est sine anima.

(6.) Vel ponatur hoc modo a vivente excitari in materia non viva principium vitale, sicut in re frigida a re calida excitatur calor. Sed nemo dixerit huiusmodi ortum generationem esse.

(7.) Quibus omnibus perpensis, sapientior videtur esse doctrina eorum, qui animas in ortu uniuscuiusque animalis creari dicunt a vi quadam altiore, sive ab idea, id quod volunt Platonici, sive ab intelligentia quadam, ut voluit Avicenna, sive ab ipso Deo omnium rerum creatore. Nam eorum, quae sunt idem secundum substantiam, est idem modus prodeundi in Esse. Sed anima sensitiva et vegetativa, quae est in homine, est eiusdem rationis et speciei atque in beluis. Sicut igitur in homine ista anima per creationem producitur, ita etiam anima beluina creari videtur.

(8.) Id, quod non habet materiam partem sui, non potest fieri ex materia. Sed animae beluinae non habent materiam partem sui, quia omnis forma substantialis distinguitur et contra materiam et contra compositum. Quia ergo animae illae de novo esse incipiunt, fiunt ex nihilo, et hinc, quod consequens est, creantur.

(9.) In omni deinde re, quae exsistere incipit, concurrunt Deus tanquam causa prima et creatura tanquam causa secunda. Sed omnis concursus ex Dei partibus est creatio. Nam Deus, quum concurrit cum causis secundis, est „dans Esse rebus; causae autem aliae sunt quasi determinantes illud Esse“ [1]. Et „licet causa prima maxime influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam (i. e. secundam) determinatur et specificatur; et ideo eius similitudinem imitatur effectus“ [2]. Et „causa primaria plus dicitur influere quam secunda, in quantum eius effectus est intimior et permanentior in causato quam effectus causae secundae, quia per eam determinatur quodammodo actus primae causae ad hunc effectum“ [3]. Atqui dare Esse idem est atque creare.

(10.) Sicut ergo anima humana producitur a Deo creante, ita etiam anima beluina.

(11.) Et inconveniens esse videtur et supervacaneum, ut tribuatur creaturis virtus producendi aliquid; Deus enim nullius rei indiget et operatur omnia in omnibus.

---

[1] S. Thomas 2, dist. 1, q. 1, a. 4. [2] Id. Quaest. disp. q. 1 de pot. a. 4 ad 3.
[3] Ibid. q. 5 de verit. a. 9 ad 10.

354. **Thesis: Animae beluinae in ortu uniuscuiusque animalis individui revera oriuntur, non tamen creantur, sed in generatione animalium producuntur sive educuntur a generantibus.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Quum animam beluinam oriri dicimus, non ortum vi vocis propria intelligimus — id enim, quod proprie oritur sive fit, est belua — sed illum ortus modum, qui competit formis in se non subsistentibus.

Praenota 2°. In altera thesis parte has animas creari negamus. Concedimus eas produci ex nihilo sui; negamus eas produci ex nihilo subiecti. Novimus enim modum productionis esse duplicem: creationis et eductionis. Id, ad cuius Esse et Fieri requiritur materia vel subiectum, dicitur oriri per eductionem; si vero materia vel subiectum non requiritur, res dicitur creari (n. 324. Phil. nat. n. 195).

Praenota 3°. In parte tertia has animas produci a parentibus affirmamus, et non a Deo. In omni productione formarum distinguere oportet inter harum formarum Esse absolute et secundum se consideratum et inter determinationem sive modificationem huius Esse ad certum essendi genus. Ipsum Esse semper in re omni praebetur a Deo cooperante, dum creatura producens Esse istud determinat[1]. Est vero discrimen, prout Esse istud in se subsistit, aut subsistit in materia. Si subsistit in se, nullo modo a creatura ulla attingi potest; quia omnis creaturae actio versatur in transmutanda materia. Et tum cooperatio Dei reducitur ad creationis modum, quam Deus nulla ratione cum ulla creatura communicare potest. Si vero illud Esse formae totum subsistit in materia, iam a creatura attingi potest, ita ut ipsa creatura recte dicatur Esse istud cooperante Deo producere. Id in productione animae beluinae reapse locum habere edicimus.

Praenota 4°. Thesim edicimus de generatione vi vocis strictiore (n. 53), qualis contingere solet in animalibus perfectioribus et in multis ex imperfectioribus. Si agitur de generatione fissipara vel sporipara vel gemmipara, anima nova oritur vel per scissionem vel per eductionem.

355. **Argumenta.** *Arg. pro parte prima*, qua edicitur animam beluinam in ortu animalis cooriri (ex natura animae beluinae ut formae substantialis). Si anima ista iam ante fuisset, fuisset

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 7.

aut sola in se ipsa, aut in belua antiquiore. Atqui neutrum putari potest.

Non fuit in se ipsa. Nam quod non est in se subsistens, in se ipso esse non potest.

Neque fuit in belua antiquiore, nisi secundum virtutem. Nam in una belua una tantum forma substantialis actu esse potest.

Potest tamen virtute, a) quatenus in una anima esse possunt multae partes potentiales, quae post divisionem animalis animae fiunt totales: id quod fieri videmus in generatione fissipara atque in animalibus anulosis. Generatione fissipara organismus per nutritionem et augmentationem ultra magnitudinem individuo debitam auctus in duos vel plures organismos dividitur. b) Quatenus in animali inest virtus producendi novum individuum sive immediate (quod accidit in generatione parthenogenetica); sive mediate mediantibus videlicet sporis vel gemmis (in generationibus monogenis) vel seminibus (in generatione digena).

Argumentum pro parte altera (ex conceptu creationis). Illud ens creari dicitur, quod producitur ex nihilo sui et subiecti. Atqui animae beluinae, quamvis oriantur ex nihilo sui, non tamen oriuntur ex nihilo subiecti, sed oriuntur in subiecto tanquam in concausa, attingente ipsum Esse harum animarum totum. Quum enim hae animae nihil sint nisi determinationes substantiales materiae, cum dispositionibus materialibus habent proportionem.

Itaque ratio, ob quam productio animae beluinae non est creatio, inde trahitur, quod 1. id, quod ex nihilo sui incipit, non est ens simpliciter, sed entis determinatio; quod 2. haec entis determinatio, etsi Esse istud, quod ipsi inest, secundum se et absolute consideratum accipit a Deo cooperante, tamen ab actione creaturae attingi et hinc intrinsecus determinari potest.

356. *Argumenta pro parte tertia* (qua affirmatur animam hanc in generatione animalis produci a generantibus).

Arg. I (ex phaenomenis generationem circumstantibus). Inter generationem activam et passivam ea est proportio et cohaerentia, qualis generatim esse solet inter causam et effectum. In manifestis est enim ortum novi individui pendere a determinato agendi modo agentium naturalium. Nisi igitur generantia ipsa producerent animal novum, „frustra essent eis formae et virtutes naturales collatae, sicut, si *cultellus* non incideret, frustra haberet acumen.“ [1]

Arg. II (ex universali divinae providentiae ratione). Hac de re Aquinas: 1. „Contra rationem sapientiae est, ut sit aliquid

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 7.

frustra in operibus sapientis. Si autem res creatae non operarentur ad effectus producendos, sed solus Deus operaretur omnia immediate, frustra essent adhibitae ab ipso aliae res ad producendos effectus."

2. „Quod dat alicui aliquod principale, dat eidem omnia, quae consequuntur ad illud. Facere autem aliquid actu consequitur ad hoc, quod est Esse actu. . . . Si igitur Deus communicavit aliis similitudinem suam quantum ad Esse, in quantum res in Esse produxit, consequens est, quod communicavit eis similitudinem suam quantum ad Agere, ut etiam res creatae habeant proprias actiones."

3. „Detrahere perfectioni creaturarum est detrahere perfectioni divinae virtutis. Sed si nulla creatura habet aliquam actionem ad aliquem effectum producendum, multum detrahitur perfectioni creaturae."

4. „Bonum unius fit multis commune, si ab uno in alia derivatur; quod non potest esse, nisi in quantum diffundit ipsum in alia per propriam actionem; si vero potestatem non habet illud in alia transfundendi, manet sibi ipsi proprium. Sic igitur Deus rebus creatis suam bonitatem communicavit, ut una res, quod accepit, possit in aliam rem transfundere."

5. „Apparet per inductionem in omnibus, quod simile agat suum simile. Id autem, quod generatur in rebus inferioribus, non est forma tantum, sed compositum ex materia et forma. . . . Oportet igitur, quod generans . . . sit compositum ex materia et forma."

6. „Si Agere sequitur ad Esse in actu, inconveniens est, quod actus perfectior actione destituatur. Perfectior autem actus est forma substantialis, quam forma accidentalis. Si igitur formae accidentales, quae sunt in rebus corporalibus, habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem huiusmodi actio, disponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formae accidentales. Igitur forma generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum." [1]

Quibus ex omnibus efficitur, ut arbitremur Deum in mundo creaturis tantum efficientiae tribuisse, quantum fieri potuit. Sed fieri potest, ut creaturae producant res formis materialibus informatas.

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 3, c. 69.

357. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Fieri non potuit, ut ab initio animae omnes actu fuerint in materia ad modum germinis. Quam rem tetigimus, quum de systemate „praeformationis“ sive „involutionis individualis“ ageretur (n. 223, 16).

(Ad 2.) Vis generativa non generat virtute propria, sed virtute totius animae, cuius est potentia; et ideo vis generativa plantae plantam generat et beluae beluam. Quanto anima est perfectior, tanto vis eius generativa perfectiorem effectum habet.

(Ad 3.) Semini natura instrumenti attribuenda est. Unde virtus, quae est in semine, ex generante deducta est quasi quaedam motio ipsius generantis, neque inest semini anima vel pars animae nisi in virtute, sicut in *serra* vel *securi* non est forma lecti, sed motio quaedam ad talem formam. „Instrumentum est causa quodammodo effectus principalis causae non per formam vel virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causae per motum eius [1].

(Ad 4.) Semina, spori, gemmae non formantur in organismo, ut ipsi organismo inserviant tanquam partes, sed ab initio ex naturali nutrimentorum abundantia formantur, ut sint novorum individuorum initia. „Semen non deciditur ab eo, quod fuit actu pars, sed quod fuit superfluum ultimae digestionis, quod nondum erat ultima assimilatione assimilatum. Nulla autem corporis pars est actu per animam perfecta, nisi sit ultima assimilatione assimilata. Unde semen ante decisionem nondum erat perfectum per animam, ita quod anima esset forma eius; erat tamen ibi aliqua virtus, secundum quam iam per actionem animae erat alteratum et deductum ad dispositionem propinquam ultimae assimilationis. Unde et postquam decisum est, non est ibi anima, sed aliqua virtus animae . . . quae agit ad animam producendam ab anima derivata.“ [2] Atque haec virtus „non assimilatur filio egredienti de domo patris quantum ad complementum speciei, sed quantum ad acquisitionem eorum, quae desunt utrique ad aliquod complementum“. [3] „Et sicut artificium praeexsistit in arte sicut in virtute activa, ita et res viva generanda in virtute formativa“ [4].

(Ad 5.) „Aegritudines, de quibus est obiectio, non traducuntur cum semine, quasi actu in semine sint, sed quia est principium earum in semine per aliquam seminis indispositionem“, i. e. morbidam affectionem [5].

(Ad 6.) Est quidem aliqua inter generationem caloris in re frigidiore a re calidiore et generationem animae in re inanima a re animata similitudo. Sed tamen simul ingens est diversitas. Nam a) in rebus viventibus in materia inanima id producitur, quod est principium totius formae typicae, id quod nullo modo fit in rebus non viventibus; b) in rebus viventibus productione novae formae substantialis non imminuitur vis formae antiquioris: contra in propagatione caloris aliarumque qualitatum corporearum servatur lex aequivalentiae. c) In organismis vis propagationis in infinitum usque protenditur [6].

---

[1] S. Thomas, Quaest. disp. q. 3 de pot. a. 7.

[2] Ibid. a. 12. [3] Ibid. ad 3. [4] Ibid. ad 4. [5] Ibid. ad 7.

[6] „Die imponderabeln Kräfte sind endlich; ihre Intensität steht im umgekehrten Verhältniss zu der Masse des Stoffes, über welchen sie sich verbreiten. Auch das Material der organischen Körper ist endlich; aber die Fähigkeit der Thier- und Pflanzenseelen, das Material, soweit es reicht, sich zu

(Ad 7.) „Etsi anima sensitiva in homine et bruto conveniant secundum generis rationem, differunt tamen specie, sicut et ea, quorum sunt formae. . . . Anima igitur in bruto habet id, quod est sensitivum tantum, et per consequens nec Esse eius nec eius operatio supra corpus elevatur; unde oportet, quod simul cum generatione corporis generetur et cum corruptione eius corrumpatur. Anima autem sensitiva in homine, quum habeat supra sensitivam naturam vim intellectivam, ex qua oportet, quod ipsa substantia animae sit secundum Esse et operationem supra corpus elevata, neque per generationem corporis generatur, neque per eius corruptionem corrumpitur. Diversus igitur modus originis in animabus praedictis non est ex parte sensitivi, ex quo sumitur ratio generis, sed ex parte intellectivi, ex quo sumitur differentia speciei." [1]

(Ad 8.) Anima beluina non dicitur univoce esse cum toto animali. Animal enim dicitur esse per se et proprie, quasi habens Esse et in suo Esse subsistens. Anima autem non sic esse dicitur, quum non subsistat, nec per se Esse habeat; sed dicitur esse vel ens, quia ea aliquid est. Quidquid autem fit, hoc modo putandum est fieri, quo putatur esse. Unde illud, quod proprie fit per se, est belua. Anima autem beluae non proprie fit, sed est id, cuius acquisitione belua fieri dicitur. Belua ex materia fit, et non ex nihilo. Non proprie dicitur anima fieri in materia, sed potius de potentia materiae educi. Et hae formae, quia supra materiam non elevantur, naturae vim et ordinem non excedunt [2]. In earum enim productione non tam agitur de productione novae substantiae, quam de transmutatione materiae ex non-viva in vivam.

(Ad 9.) Deus multiplici ratione Esse dat creaturis; non solum creatione, sed etiam conservatione [3] et qualibet cum activitate creaturarum cooperatione. Non igitur semper Deus „creat", quum „dat Esse". Sed operatio Dei pro diversitate effectus diversa sortitur nomina. Tum solum creatio dicitur, quum Deus dat Esse, quod virtute alicuius creaturae in productione attingi non potest, cuiusmodi est „Esse in se subsistens", quod cum nullis dispositionibus materialibus proportionem habet. Anima rationalis, quum sit subsistens et ponderosa, creari dicitur, eiusque productio soli Deo ascribenda est, quamquam creaturae disponunt materiam quoad vitam vegetativam et sensitivam. Contra anima beluina, quum nihil sit nisi determinatio substantialis materiae, educi dicitur, eiusque productio alicui creaturae ascribi potest, quamquam Deus est, qui illi illud Esse imperfectum dat, quod formis materialibus est proprium.

(Ad 10.) Sicut in productione animae humanae, ita etiam in productione animae beluinae „Deus est dans Esse rebus, causae autem aliae sunt quasi determinantes illud Esse". Sed aliud Esse accipit anima humana, aliud anima beluina. Ex quo sequitur animam beluinam ab aliis causis determinari posse simpliciter et intrinsecus, animam autem humanam non posse ab istis causis

eigen zu machen und demselben ihren Stempel aufzudrücken, ist unendlich" (Henle, Anthropologische Vorträge II [Braunschweig 1880] p. 92).

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 2, c. 89.

[2] Id. Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 8.

[3] „Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat Esse" (S. Thomas, S. theol. 1, q. 104, a. 1 ad 4.

determinari nisi secundum quid et extrinsecus. Itaque ortus animae humanae maiore opere tribuendus est Deo quam ortus animae beluinae.

(Ad 11.) Virtus producendi a Deo creaturis tributa est. „Hoc non est ex insufficientia divinae virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc, quod essent, sed etiam quantum ad hoc, quod aliorum causae essent.“ [1]

358. **Scholia.** *Schol. 1.* Vix ullam certo noverunt veteres generationem fissiparam, quae naturalis esset, sed eam tantum noverunt, quae per fissionem fieret in anulosis illis, quae ex naturae instituto aliam generationem haberent.

„Ex hoc ipso decisio animalis anulosi est violenta et contra naturam, quod pars decisa erat actu pars et perfecta per animam; unde per decisionem materiae anima in utraque parte remanet, quae quidem erat in toto una actu et plures in potentia. Quod quidem accidit per hoc, quod huiusmodi animalia fere sunt similia in toto et in partibus . . . inde est, quod una pars decisa potest esse animae susceptiva, utpote habens tantum de organis, quantum sufficit ad talem animam suscipiendam, sicut accidit in aliis corporibus similibus, utpote *ligno* et *lapide*, *aqua* et *aëre*.“ [2]

Schol. 2. Duplici ratione ab organismo effici posse scimus, ut oriatur novum individuum: immediate et mediate. Immediate efficitur, quum materia informanda ipsa ita cum vivente coniuncta est, ut ex ipso actu vitali viventis alterante et generante principium novum oriri possit, id quod accidit in generatione gemmipara. Mediate efficitur, quum generatio fit interveniente semine, in quo primo a vivente efficitur specialis quaedam virtus, qua postea in materia principium vitale oritur. Sed hac de re postea plura.

SECTIO TERTIA.

De natura animae plantaris.

359. **Exponitur doctrina.** „Deus, ut est apud S. Augustinum, hominibus essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis angelis dedit.“ [3] Itaque e divisione tripartita duabus sectionibus, quae erant de anima humana et beluina absolutis, restat pars tertia, in qua de principio vitali, quod est in plantis, dicendum est, ut de omni animarum genere sit dictum.

Ex mente veterum triplicem distingui operationem vitae vegetativae scimus. Prima operatio est nutritio, qua salvatur aliquid,

[1] S. Thomas, Summa c. gent. l. 3, c. 70.

[2] Id. Quaest. disp. q. 3 de pot., a. 12 ad 5; q. de spirit. creat. a. 4 ad 19.

[3] De civit. Dei l. 5, c. 11.

ut est. Secunda perfectior est augmentatio, qua organismus proficit in maiorem perfectionem et secundum quantitatem et secundum virtutem. Tertia perfectissima est generatio, qua organismus, quasi in se ipso perfectus exsistens, praeparat in se ad conservationem suae speciei alteri individuo Esse et perfectionem [1].

Plantam omnem cellulis constitui suo loco diximus (n. 41) tanquam organis elementaribus sive elementis organizatis. Et sunt quidem plantae, quae non habeant nisi unam vel admodum paucas cellulas. Plantarum vero plurima pars abundat cellulis. Hae ad texturas coniunguntur, ex his iterum organa constituuntur, ut sunt radices, truncus, folia, organa reproductionis. Quae organa omnia ad unum organismum coniuncta sunt tanquam ad individuum unum. Quapropter communis fert sententia in una quaque planta unum inesse principium vitale.

Id in dubium vocatum est inprimis a materialistis, qui multitudinem cellularum attendentes, quas reapse in plantis maiore independentia ornatas videmus quam in animalibus, unicuique cellulae singularem animam inesse voluerunt. Qui multiplicantes substantias minime sistunt in cellulis, sed ultra etiam principia vitalia in unaquaque cellula ut multiplicent, unicuique cellulae parti (cytoblasto, membranulae et involucri primordialis particulis) independentiam activitatis attribuunt, inde progressuri ad moleculas et atomos usque.

Neque desunt praeter materialistas, qui unitatem principii vitalis in una planta ignorantes volunt plantam esse coloniam cellularum separatim viventium [2].

At vero huic opinationi obstat immanens activitas, quae unamquamque plantam totam et integram comprehendit. Quidquid enim actione vitali in planta operatur, se gerit ut principium partiale et instrumentale illius unius activitatis, qua tota planta appetit suam totius perfectionem, et deinde intendit iterum totam plantam per generationem producere [3].

---

[1] Cfr. S. Thomas in l. 2 De an. lect. 9; in l. 1 De generat. lect. 17.

[2] „Alles Leben ist an die Zelle gebunden, und die Zelle ist nicht bloss das Gefäss des Lebens, sondern sie ist selbst der lebende Theil. . . . Was ist der Organismus? Eine Gesellschaft lebender Zellen, ein kleiner Staat, wohl eingerichtet mit allem Zubehör von Ober- und Unterbeamten, von Dienern und Herren, grossen und kleinen“ (Virchow, Vier Reden p. 54).

[3] Id fatentur physiologi: „Die physiologische Thätigkeit der Zelle ist auf der einen Seite eine selbständige, auf der andern Seite eine von der Lebens-

Est igitur in una planta unius immanentis activitatis principium. Atque hoc quidem principium, etsi non est divisum, est tamen divisibile. Quum enim ex natura sua sit totum destinatum ad id, ut materiam vivam reddat, nihil aliud est nisi substantialis quaedam determinatio materiae, cuius igitur extensionem et divisibilitatem usque ad quendam gradum participare potest. Atque id per experientiam comprobatum videmus. Rami enim a planta abscissi et debito modo terrae inserti saepenumero vitam pergere valent.

360. Anima vegetativa definita est, ut sit primum principium, quo vivens aliquod se nutrit, auget, per generationem propagat. Aristoteles autem ex operatione ultima et praecipua hanc animam dicit esse „principium generandi tale, quale ipsum est“ [1].

Anima vegetativa p r i m a dicitur, quia in omni corpore vivente prior sit necesse est vita vegetativa quam sensitiva vel intellectiva. Generatione species corporum viventium per nova usque individua conservari debent. Nutritione et augmentatione organa vitae sensitivae parantur, evolvuntur, conservantur. Est ergo vita vegetativa prior sensitiva; et quia intellectiva post sensitivam est, a qua pendet, vita vegetativa omnium prima est.

Haec anima magis immersa est in materia quam anima sensitiva, et simili ratione a materia pendet atque illa. Omnes enim operationes vitae vegetativae essentialiter et intrinsecus pendent a materia, in qua efficiuntur ab organis, et cuius viribus ad effectum adducuntur.

Et vita vegetativa in infimo gradu vitae reperitur; id quod ex iis satis colligitur, quae alio loco (n. 143) de triplici viventium genere dicta sunt.

His ex rebus satis intelligitur principium vitae, quod inest in plantis, n o n e s s e i n s e s u b s i s t e n s, sed esse dumtaxat determinationem materiae, a qua in Esse omnino dependeat. Unus huic principio finis constitutus est, qui est materiae vivificatio.

---

thätigkeit der ganzen Pflanze abhängige und geregelte“ (H. de Mohl), „Die Knospe und der Zweig, mit der Gesamtpflanze in Verband gedacht, kann nicht als Individuum gedeutet werden“ (Schacht). „Die Pflanze kann keineswegs als ein Aggregat von Individuen angesehen werden, ja nicht einmal als ein Aggregat von Elementartheilen; da die Beziehung derselben zueinander ihr Nebeneinandersein als völlig untergeordnet erscheinen lässt“ (Unger).

[1] *Ἐπεὶ δὲ ἀπὸ τοῦ τέλους ἅπαντα προσαγορεύειν δίκαιον, τέλος δὲ τὸ γεννῆσαι οἷον αὐτό, εἴη ἂν ἡ πρώτη ψυχὴ γεννητικὴ οἷον αὐτό* (l. 2 De an. c. 4, 416 b, 23 sqq. Cfr. S. Thomas in l. 2 De an. lect. 9).

Res quattuor hoc loco per quaestiones ab adversariorum cavillationibus defendendae sunt: quibus operationibus haec vita contineatur; sitne haec anima subsistens; sitne in unaquaque planta una; qua ratione haec anima oriatur.

Quaeritur primo:

quibus operationibus vita vegetativa contineatur.

361. **Rationes dubitandi.** (1.) Videtur generatio nullo modo esse operatio. Nam recte censent, qui „systema involutionis" defendunt, Deum sub rerum initiis in organismis primis creasse iam semina, quae omnibus futuris organismis satis sint. Ergo id, quod generationem vocant, revera nihil est nisi evolutio seminum iam exsistentium.

(2.) Quod si quis credere velit generationem esse operationem, is tamen nunquam probabit eam esse operationem vitalem sive immanentem. Est enim operatio, cuius terminus est extra subiectum.

(3.) Augmentatio atque etiam generatio constituitur nutritione tantum. Nutritio enim in eo sita est, ut efficiatur quiddam, quod vivere valeat. Atqui id fit, quum organismus augetur; fit etiam, quum generatione germen efficitur.

362. **Dico:** Operationes praecipuae vitae vegetativae recte distinctae sunt tres. Non hoc loco de potentiis agitur, sed de solis operationibus. Praecipuas eas intelligimus, quae non adhibentur ut media ad perficiendas operationes alias, sed quarum unaquaeque habet finem praecipuum et particularem, immediate ad ipsam vitam vegetativam spectantem [1].

Tria harum operationum genera esse *probatur 1°* ex obiecto vitae vegetativae sive ex naturali indigentia. Nam ad corpus vivum perficiendum requiritur primo generatio, qua Esse acquiratur; secundo augmentatio, qua Esse ad debitam quantitatem perducatur; tertio nutritio, qua corpus in Esse suo et debita quantitate conservetur. Unde videmus unumquemque organismum se nutrire, ad certam magnitudinem diffundi, formare in se quiddam, quod ut semen destinatum est ad conservandum organismum in sua specie.

Prob. 2° ex fine triplici vitae vegetativae. Finis vitae vegetativae est conservatio organismi in suo Esse tum individuali tum specifico. Quum autem individua corrumpantur, oportet ut habeant operationem generandi ad conservationem speciei in individuis novis. Sed individuum novum, quum oriatur ab individuo alio, ab initio exsistentiae suae non potest habere quantitatem

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 78, a. 2.

sibi debitam; ergo requiritur operatio augmentativa, qua individuum ad hanc quantitatem sibi debitam pervenire possit. Quum autem organismus maneat per materiae mutationem perpetuam et elementorum vicissitudinem, requiritur operatio nutritiva, qua nutrimenta in bonum organismi ad reparandam substantiae integritatem advehantur.

Vel sic: Ipsum organismi Esse, ad quod vita vegetativa refertur tanquam ad finem suum, est triplex: Esse simpliciter. Esse perfectum. Esse perpetuum. Ergo illius vitae operatio triplex est.

Et confirmatior est haec trium functionum partitio, quod nutritio esse potest sine augmentatione, et utraque sine generatione.

Respondenda. *(Ad 1.)* Systema involutionis ex alio loco reiectum habemus. Est ergo generatio operatio, qua aliquid vere producitur.

(Ad 2.) Id quod fit in generatione, ordinem non quidem ad bonum plantae individualis habet, sed tamen ad bonum speciei; id quod ad rationem actionis immanentis satis est. Individuum generans quaerit bonum speciei, cuius indoles aeque in ipso inest sicut indoles individui.

(Ad 3.) Discrimen est inter nutritionem et augmentationem; id quod ex fine satis apparet. Prior ad conservandum refertur, haec ad augendum.

363. **Corollarium.** Ergo generatio recte definita est, ut sit origo naturalis viventis a vivente in similitudinem naturae per internum vitale principium.

Et nutritio: conversio alicuius substantiae in substantiam alterius, facta a virtute vitali interna per intussusceptionem alimenti secundum omnes partes viventis.

Augmentatio vero: accretio corporis secundum omnes partes per additionem materiae, facta per internam virtutem, qua alimentum convertitur in substantiam aliti, ita ut, quod augetur, idem permaneat ante et post augmentationem. Alii definiunt, ut sit aggeneratio novae substantiae quantae, ut quanta est, ex alimento introsuscepto virtute formae ad acquirendam debitam magnitudinem[1]. Augmentatio, quatenus alimentum convertit in substantiam aliti, est mutatio substantialis; quatenus autem quantitati aliti addit quantitatem novam usque ad certam formam et magnitudinem, est mutatio accidentalis.

364. **Scholia.** *Schol. 1.* Est igitur in planta vis generandi sive producendi individua nova.

Docent physiologi efformationem seminis inchoari foecundatione ovulorum, quae in plantis perfectioribus polline ex antheris emisso in ovarium

[1] Sylv. Maurus, Quaest. philos. l. 4, q. 35.

efficitur. Quam ob rem confirmatius est, reiciendum esse illud systema involutionis, ex quo Deus in primis plantarum seminibus produxisse iam omnium futurarum plantarum semina dicitur, ita ut generatio plantarum nihil aliud sit nisi evolutio successiva seminum iam exsistentium.

Schol. 2. Alimentum et nutritioni inservit et augmentationi. „Videmus, quod in principio virtus activa speciei est adeo fortis, quod potest convertere de alimento non solum, quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam quod sufficit ad augmentum. Postmodum vero, quod aggeneratur, non sufficit ad augmentum, sed solum ad restaurationem deperditi. Tandem vero in statu senectutis nec ad hoc sufficit, unde sequitur decrementum et finaliter dissolutio corporis.“ [1]

Quaeritur secundo:

num anima plantaris in se sit subsistens.

365. **Rationes dubitandi.** Videtur vegetatio sibi ex natura sua expetere, ut eius principium vitale sit substantia perfecta. Nam (1.) dum vita cognoscitiva versatur in producendis accidentibus, vita vegetativa vim habet producendi partes novas substantiales, quin immo novas substantias. Atqui id effici non posse videtur nisi a principio vitali, quod est substantia perfecta.

(2.) Sicut intellectus in homine his in terris propter consortium cum corpore ligatus est ita, ut non possit intelligere sine conversione ad phantasmata, ita in planta intellectus ita ligatus esse potest, ut peragat tantum opera vegetalia.

366. **Dico:** Anima plantaris non est in se subsistens; i. e. non est a materia, quacum constituit unam substantiam vegetativam, independens quoad Esse.

Quae res ex iisdem fere rationibus deducitur, ex quibus supra (n. 342) declaravimus animam beluinam non esse substantiam perfectam.

Prob. 1° (ex plantae operationibus). Natura entis naturalis manifestat se in eius operationibus universe acceptis. Atqui anima plantaris nullam operationem habet, quae ex sola anima procedat; sed omnes operationes, quae sunt plantae propriae, efficiuntur a planta tanquam a substantia una ex anima et materia constituta. Nam unaquaeque, quae est in planta, operatio vitalis: nutritio, augmentatio, generatio, intrinsecus requirit organa atque materiam viribus materialibus exornatam; id quod alio loco (n. 215, 1) satis declaravimus. Sicut igitur omnis operatio animae huius intrinsecus est communis cum materia, ita etiam eius Esse intrinsecus est commune cum materia, ita ut iam nullo modo sine materia esse possit.

[1] S. Thomas, S. theol. 1, q. 97, a. 4.

Prob. 2° (ex fine plantarum). Natura uniuscuiusque rei ex fine rei ipsius cognosci potest. Sed finis ipsius plantae in materia ita concluditur, ut sine materia nulla ratione esse possit.

Respondenda. *(Ad 1.)* Plantae ipsae ex materia et principio vitali compositae novas partes substantiales novasque substantias producunt. Unde credere non licet animas plantares esse substantias perfectas.

(Ad 2.) Id tantum rebus tribuendum est, quod sub ordinaria rerum circumstantia manifestari solet. Nulla autem unquam apparuit in plantis intelligentia, quae ipsis plantis propria esse possit. Quidquid igitur fit in plantis secundum intelligentiae normam, ab eo petendum est, qui plantarum primus auctor fuit (n. 99).

Corollarium. Ergo haud inepte dicunt, qui principium vitale plantae ne per miraculum quidem sine materia esse posse docent. Quamvis enim ad id satis entitatis in se habeat, haec tamen entitas, quum vitalitatem organicam habeat, ex natura sua actu in materia inesse debet.

Quaeritur tertio:

sitne principium vitale in unaquaque planta una an multiplex.

367. **Rationes dubitandi.** (1.) Videtur ratio individui perfecta inesse in unaquaque cellula. Ergo una planta eo modo una est, quo etiam unum examen apum unum esse dicitur. Unaquaeque enim cellula proprium ortum habet, evolutionem propriam, proprium interitum. Et planta nihil est nisi cellularum collectio sive colonia.

(2.) Magna inter plantas et beluas diversitas est, quod in planta desunt praeclara illa systemata organica, quibus omnes animalis partes inter se ad unum organismum coniunguntur, ut sunt systema circulantis sanguinis, systema nervorum, systema ossium et musculorum.

(3.) Materia, quae plantae inest, nedum sit continua, ne contigua quidem est. Ergo pugnantia profert, qui principium vitale uni plantae unum inesse dicit.

368. **Thesis: Principium vegetativae vitae in unaquaque planta actu unum est; sed est divisibile, idque ratione subiecti, quod informat.**

Ad statum quaestionis. *Praenota 1°.* Nos plantam unam dicimus eam, quam homines unam dicunt. Sunt multae plantae, quarum unitas vel pluralitas obscura est et admodum dubia. Nos contenti sumus in prima thesis parte, ut dicamus unitatem principii vitalis sequi unitatem plantae.

Praenota 2°. In altera thesis parte adversamur quibusdam Platonicis, qui omnes formas simplices esse ponunt. Quibus concedimus formas omnes ex se simplices esse; volumus tamen for-

mas materiales ex materia in se suscipere compositionem et divisibilitatem.

Quod si probatum erit principium plantare esse divisibile, ex se illico manifestum erit illud dividi non ratione sui, sed ratione subiecti. In se enim illud principium attingi non potest. Quum enim totam referatur ad determinandam materiam, nullo modo subsistit in se, sed totum est in materia, ratione cuius extenditur atque etiam dividitur.

369. **Argumenta.** *Separanda partes priores. Arg. I* (ex indole partium ut partium). Functiones vitales omnes, quas singulae partes plantae obeunt, ex se ordinatae sunt primo ad perfectionem, conservationem totius plantae (quam unam dicunt), sive in individuo sive in specie. Nam incredibilis illa cellularum multitudo formantur et multiplicantur ita, ut oriantur organa toti plantae necessaria, et ut in planta tota nascatur semen, quod ad totam plantam propagandam aptum est secundum schema specificum totam plantam comprehendens.

Ad id igitur tendunt singulae partes plantae unius atque ipsae cellulae, ut construatur perficiaturque planta tota ut unum quid; summque bonum proprium appetit cellula, quatenus est pars totius plantae.

Atqui huius rei causa alia esse non potest nisi unitas principii vitalis in tota planta. Per experientiam enim et observationem constat operationes uniuscuiusque cellulae primo ad bonum totius plantae dirigi. Quam ob rem, si multa essent in planta una principia vitalia inter se divisa, praeterea supponendum esset principium unum cuncta in unum finem dirigens. Et id unum, quod reliqua contineret atque uniret, esset principium vitale.

Scimus unamquamque cellulam in se iam mirabili partium varietate distinctam esse. Quo magis deinde constructio plantae est complicata, eo magis operatio ad perficiendam totam plantam necessaria inter multas et speciales cellulas diversa constructione conditas distributa est, ita ut uniuscuiusque cellulae operatio ab initio sit partialis et instrumentalis (n. 43).

Et ex cellulis ut ex instrumentis elementariis conduntur organa admodum complexa et inter se diversa.

Primo oriuntur texturae sive telae cellulares. Et multis modis ex cellulis non tubicularibus oriuntur texturae inter se diversae, quarum praecipuae sunt texturae membranosae, natae ex cellulis vesicularibus; porosae ex porosis cellulis; fibrosae oriundae ex fibrosis cellulis.

Ex cellulis tubicularibus oriuntur texturae, quas vasculares vocant. Quae quidem quattuor modis oriri possunt diversis.

Primo modo ita, ut cellularum extremitates se tangant et, destructis extremitatum membranis, membranae laterales multarum cellularum aut a) unum tubum, qui longior sit, constituant sive exornatum anulis, figura spirali, fibris, sive his carentem omnibus; aut b) inter se coniunctae constituant ex tubis multis texturam ramificatam, in qua fluida per omnes tubos inter se communicantes libere transire possint.

Altero modo ita, ut membranae extremitatum non omnino destructae, sed ad modum cribri perforatae sint, qua re vasa cribrosa constituuntur.

Tertio modo ita, ut cellulae tubiculares singulae in integritate sua permanentes ad varias texturas coniungantur; in quarum genere inter alias est textura lignea, ex cellulis constituta, quarum nucleus et protoplasma disparuerunt, ita ut totae stratis ligneis concentrice dispositis impletae sint; deinde textura vasiformis, in qua cellulae ad amplos tubos constituendos coniunctae sunt; praeterea textura punctata, aliae.

Quarto modo ex tubis spiralibus oritur, quae vocatur textura fibrovascularis, quae esse potest vascularis spiralis elastica, vel vascularis spiralis clausa non elastica, vel vascularis anulosa cum multis anulis ex fibris constitutis; vel vascularis reticulosa, in qua fibrae ad modum retis intertextae sunt, vel scalariformis, in qua fibrae in modum scalae sunt dispositae, atque ita deinceps.

Haec ex plurimis pauca. Sed satis est, ut appareat iam in ipsarum cellularum structura et coniunctione appeti totius plantae perfectionem.

Neque tamen texturae omnes in quavis planta reperiuntur eaedem. Nonnullae plantae continent tantum cellulas vel eas texturas, quas vi vocis strictiore cellulares nominant. Praeter has cellulares plantas sunt aliae, quas vasculares dicunt, quae praeter texturas cellulares etiam vasculares continent.

Et texturae quidem in unaquaque planta ab initio ex prima cellula eiusdem plantae proveniunt, et certo ordine ab ipsa planta secundum typum pro diversa plantae specie diversum eo modo evolvuntur componunturque, quo utilitati totius plantae est conveniens. Et in ipsa prima cellularum productione texturae pro specifica sua diversitate praeparantur; et ex cellula parentali saepenumero cellulae proveniunt, quarum forma et structura prorsus alia est quam ipsius cellulae parentalis.

Veniamus nunc paucis ad organa ex texturis cellularum composita. Haec sunt ut plurimum radices, truncus, folia, flores, organa reproductionis; quae in diversis plantis diverso modo construuntur, sed semper ita, ut variis suis functionibus primo subsint fini totius plantae promovendo.

Tandem quod reliquum est, in toto unius plantae organismo partes omnes ad unum finem unius plantae organice inter se dispositae atque coniunctae sunt ita, ut ad unitatem principii intrinsecus informantis concludendum sit. Id quod intenditur primo, est ipsa planta; et ut ad plantam perveniatur, intenduntur cellulae, texturae, organa, semina.

Quoniam vero a singulis partibus primo curatur unum totius plantae bonum, debet esse principium curans hoc bonum; atqui id non potest poni esse collectionem plurium principiorum vitalium, sed esse principium unum vitale.

Prob. min. Conspiratio plurium principiorum dicitur esse opus aut virium organicarum aut principiorum ipsorum vitalium aut

immediatum ipsius Dei aut cuiusdam harmoniae praestabilitae, qualis supponitur in mundo sidereo.

Non primum, id quod ex se manifestum est. Neque secundum, quia in principio vitali completo nihil est, quod producat vel exigat illam physicam dependentiam a reliquis, quum quaerat per se et primario perfectionem sui ipsius ut entis completi; cellula autem quaerit perfectionem sui non ut entis completi, sed ut partis. Neque tertium, nam non est recurrendum ad causam primam, nisi quantum effectus a causis secundis repeti non possunt, id quod etiam concedunt adversarii. Neque quartum, nam haec hypothesis arbitrarie excogitata naturam non explicat et contradicit experientiae tollendo mutuum influxum physicum a partibus; videmus enim unamquamque cellulam dependere physice ab actione alterius.

Dices: Planta masculina et feminina, si separatae sunt, quaerunt unum bonum speciei; sunt tamen duo individua. Ergo etiam multa principia vitalia, quae insunt in una planta, in quaerendo bono totius plantae conspirare possunt. — *Resp.:* Conspiratio ad unum finem sola ex se non demonstrat unitatem principii. Possunt enim ad unum finem conspirare vel multae partes unius principii vel multa principia. Quam ob rem ad modum conspirationis est attendendum. Universus plantarum habitus declarat plantam masculinam et femininam non esse duas partes unius viventis, sed duo viventia; contra cellulas organa esse unius viventis partes.

Arg. II (ex unitate generationis in una planta). Tot sunt in unaquaque planta principia vitalia, quot sunt principia generandi talia, qualia ipsa sunt. Atqui in una planta unum est generandi principium. Tot enim sunt generandi principia, quot sunt generationis termini primarii. Sed terminus in hoc genere unus est: semen plantam integram in se comprehendens et ad plantam integram de novo producendam a natura destinatum. Semen etsi consideratum ut individuum est multiplex, est tamen unum, quia typum specificum totius repraesentat. Nemini enim dubium esse potest, quin terminus generationis non cernatur in oriente nova cellula, sed sit typus totius plantae, qui vocatur specificus.

370. *Argumenta partis secundae. Arg. I* (ex experientia). Rami ab arbore soluti et congruenti modo vel alii arbori vel humo inserti pergunt vivere. Sed nulla est ratio suspicandi novum in illis principium vitale productum esse, sed satis est putare vitam ipsam, quae in ramo inerat prius, remansisse, sed facta divisione ex parte evasisse totum quiddam.

Arg. II (ex structura plantae). Videmus in planta partes illas integrantes, quae ad unam plantam necessariae sunt, inesse non semel sed pluries, sive in ramis sive in gemmis. Neque a planta abest vis per aggenerationem resarciendi aliquo modo partem truncatam sibi necessariam.

Arg. III (ex fine principii vitalis in planta). Qualis finis, talis natura entis; sed finis principii plantaris totus eo continetur, quod materiam extensam, divisibilem informet atque vivificet; ex quo consequens est, ut etiam natura principii vitalis sequatur naturam subiecti divisibilis, modo materiae organizatae satis ad vivendum in promptu sit. Quoniam autem organa ad vitam plantae necessaria satis in ramulo quolibet reperiantur, sequitur ipsam etiam plantae animam esse divisibilem.

371. **Respondenda.** *(Ad 1.)* Concedendum est unamquamque cellulam habere propriam sibi nutritionem, augmentationem, generationem. Sed negamus hanc cellularum evolutionem in tota planta esse primariam. Intrinsecus enim referuntur cellulae ad constituenda organa, quae iterum intrinsecus referuntur ad formandum organismum totum, cuius partes sunt organa; quae quidem primo operantur ad bonum totius.

Et in unaquaque cellula partes reperies, quae eadem ratione referuntur ad constituendam cellulam unam, qua cellulae referuntur ad plantam unam constituendam [1].

Qui igitur unitatem plantae negligit, is, modo sibi constare velit, etiam unitatem cellulae contemnere debet.

(Ad 2.) Planta illius unitatis non indiget, qualis reperitur in belua. Succum non habet, qui instar sanguinis ut commune nutrimentum praeparatus per omnes partes corporis ducendus sit. Neque necesse est, ut habeat nervos, ossa, musculos ad sentiendum et motus spontaneos necessaria.

(Ad 3.) Multis argumentis constat plantae principium substantiale unum esse; ex quo sequitur etiam ipsam materiam esse continuam, non quidem omni ratione sed ratione informationis, quatenus videlicet una forma indivisa est informata; quae ratio primaria est. Certum est materiam ratione cohaesionis, qui respectus secundarius est, esse contiguam tantum; et ne contigua quidem per rem totam. Intra enim sunt intervalla, tubuli intercellulares, canales ad

[1] „Viele Morphologen sind heute geneigt, gegen die absolute Herrschaft der Zelle als Einheit der Organisation zu protestiren“ (Whitmann, The inadequacy of the cell-theory of development [Journal of Morphology VIII, 639. Biolog. Centralblatt tom. XIV, n. 9]). „Man könnte die Zelle als ein complizirtes Molecül auffassen oder als eine Anzahl von Molecülen, bestehend aus vielen morphologischen Atomgruppen. . . . Man nenne sie, wie man will — Plasomen, Idiosomen, Gemmulae, Plastidule, Idioblasten oder physiologische Einheiten —; diese Theilchen haben die Fähigkeit, sich zu theilen und auch zu wachsen und zu assimiliren“ (R. A. Chittender, American Naturalist XXVIII, 97. Biol. Centralblatt tom. XIV, n. 9).

ducendum aëra destinati, similia. Nihilo tamen setius propter informationem materia est putanda continua simpliciter.

372. Scholia. *Schol. 1.* De origine plantarum eadem ratione philosophandum est atque de origine belluarum, de qua supra (n. 353 sqq.) satis diximus.

Schol. 2. De vita seminum plantarium ea sunt recolenda, quae alio loco (n. 236) generatim de semine viventium diximus.

Schol. 3. Neque negligenda est quaestio, qua quaeritur, possintne animae multae in unam componi animam. Et id quidem affirmandum esse videtur[1]. Id enim, quod ratione subiecti dividi potest, etiam ratione subiecti componi potest; in qua compositione id, quod antea fuerit totum, iterum fiat pars. Hoc modo ramus arboris insertus alteri arbori, quae est eiusdem speciei, cum hac arbore unum quid efficere videtur. Si vero ramus inseratur arbori speciei diversae, iam ramus ille, si vivit, plantae parasiticae comparandus esse videtur ex alieno trunco succum cibienti: quod satis est, ut dicatur coalescere cum alia planta in unitatem secundariam, dum primaria permaneat dualitas.

Quaeritur quarto:

qua ratione in plantis oriantur principia vitalia.

373. Rationes dubitandi. Videtur generatio nullo modo fieri in novarum plantarum origine. Nam (1.) hic ortus efficitur sola communicatione accidentium vitalium, quae eo modo fit a materia viva ad materiam non-vivam, quo fit communicatio caloris ab aqua magis calida ad aquam minus calidam.

(2.) Vel etiam putari potest ortus causam integram habere in productione novorum accidentium vitalium eo fere modo, quo secundum sententiam chemicorum nostrae aetatis propagatur ignis in materia combustibili.

(3.) Si aliqua generatio vel aggeneratio fit in plantis, ea aliter fieri non potest quam ea, quae fit in organismo humano; sed hoc modo apud plantas fieri non potest.

(4.) In ortu novarum partium vel novorum individuorum concedamus fieri alterationes multas. Ad quid igitur ponere aliud et plane novum activitatis genus, quod sit generatio?

Dico: In plantis saltem est aggeneratio, in perfectioribus etiam generatio proprie dicta.

Generatio vi vocis latiore est productio quaelibet viventis a principio vivente coniuncto in similitudinem naturae. Eam novimus duplici ratione fieri posse. Si in individuo antiquiore per aug-

[1] Gegenbauer. Grundzüge der vergleichenden Anatomie.

mentationem producitur pars nova substantialis, quae postea ab individuo separata fit quodammodo sui iuris et vivere pergit, hic productionis modus est aggeneratio. Si vero producitur individuum novum cum organizatione omnino peculiari, fit generatio proprie dicta.

Atque his praenotatis id, quod diximus, facili opera probatum erit. Nam quum per divisionem aut per gemmas propagantur plantae, productae erant in planta antiquiore partes ampliores, atque haec partium amplitudo non solum effecta erat productione vel propagatione qualitatum sive accidentium, sed etiam eo, quod novae illae partes acceperunt vitam substantialem propter formam substantialem informantem; quae quidem informatio in plantis sicut in beluis eo efficitur, quod ex materia per alterationem disposita educuntur ipsius formae substantialis partes, quae sunt novae. Atqui omnis transmutatio substantialis non per modum alterationis, sed per modum generationis efficitur.

Et in plantis perfectioribus etiam ea, quae vi vocis astricta est generatio, invenitur. Manifesto enim apertum est in generatione sporipara et magis etiam in generatione digena non tantum produci in organismo antiquiore novas eius partes vivas, sed intervenientibus etiam sporis et seminibus produci nova individua viva.

374. **Respondenda.** *(Ad 1.)* In aequando calore inter res inaequales de formis accidentalibus agitur, non vero de formis substantialibus. Praeterea alio modo propagatur calor, alio modo propagatur vita. Calor enim eo gradu minuitur in re calidiore, quo in re frigidiore producitur. Contra vita in re vivente propter communicationem vitae cum novis partibus nullo modo minuitur. Et continuata etiam quantumvis propagatione per divisionem principium vitale nullo modo fit debilius (n. 357 ad 6).

(Ad 2.) Ignem quod spectat, putabant veteres ignem esse substantiam elementarem, quae propagaretur per generationem ignis novi vel conversionem alius substantiae combustibilis in substantiam ignis. Re melius perspecta apertum est ignem non esse substantiale quid sed accidentale quid; hoc propagari eo, quod quaedam affectiones rerum materiales transmutentur in calorem intensiorem [1].

[1] Quae veteres de natura ignis opinati sint, hoc modo ex mente Aquinatis proponit Sylv. Maurus: „De igne videtur, quod non tam habeat vim determinatam generandi sibi simile, quam sit instrumentum universale omnium generationum et corruptionum. Ignis enim agit per calorem tanquam per propriam virtutem; sed calor est virtus universalis concurrens ad omnes vel fere omnes generationes; ergo ignis agit per virtutem universaliter ordinatam ad omnes generationes. Et ratio est, quia ignis est supremus in genere corporum simplicium inferiorum; sed supremum infimi attingit infimum supremi; ergo

(Ad 3.) Generatio omnis vel aggeneratio fieri debet secundum naturam principii vitalis, de quo agitur. Principium vitale in homine, quum sit spirituale et entitative simplex, non pendet totum totaliter a materia per dependentiam internam, neque in essendo neque in fiendo. Unde neque in generatione novi organismi neque in aggeneratione novarum partium ipsi animae partes novae per eductionem accedere possunt; sed in aggeneratione ipsa anima potest informationem novarum partium suscipere. E contrario autem anima beluina vel plantaris, quum tota sit intrinsecus a materia pendens, secundum entitatem suam ultra partes novas porrigi non potest, sed etiam ad ipsam animam partes novae accedere debent.

(Ad 4.) Eo differre scimus generationem ab alteratione, quod alteratio sit qualitatis accidentalis productio, contra vero generatio sit productio qualitatis substantialis.

ignis debet habere naturam valde affinem corporibus simplicibus superioribus et coelestibus, quibus etiam localiter coniungitur. Sed natura corporum coelestium est, ut sint causae universaliter moventes ad omnes generationes et corruptiones secundum dispositiones materiae ac diversum modum, quo applicantur ipsa corpora coelestia. Ergo etiam ignis debuit habere hanc naturam, ut per calorem moveat materiam ad omnes generationes et corruptiones iuxta varias dispositiones materiae et iuxta diversum modum, quo applicatur ignis. Hinc est, ut etiam coelum sit instrumentum intelligentiae, quae per motum et applicationem coeli facit omnes affectus naturales“ (Quaest. phil. l. 4, q. 36). Hae atque his similes doctrinae, quas secutus est inter alios etiam ipse Aquinas, ab aliquibus nostrae aetatis hominibus stulte atque inepte exponuntur derisui. Irridendi sane forent, qui ex reverentia erga Aquinatem ea omnia hodie tanquam vera sequi velint, quae Aquinatis tempore a rerum naturalium peritis proponebantur ut vera. Sed tum temporis pro exigua eventuum et legum naturalium notitia ingeniose excogitata erant, ita ut etiam hodie merito prudentis cuiusque admirationem cieant.

Errata.

Pag. 4 lin. 10 ab initio: *loco* fit *lege* sit.
„ 19 lin. 21 a fine: *loco* postponitur *lege* praeponitur.
„ 24 lin. ult.: *loco* p. 112 *lege* p. 12.
„ 33 lin. 2 ab initio: *loco* navandum *lege* navandam.
„ 33 lin. 16 ab initio *lege:* Ex immortalitate animae demonstratione analytica animae spiritualitatem, et ex spiritualitate demonstratione synthetica. . . .
„ 50 lin. 12 a fine: *loco* Tannin *lege* Taurin.
„ 58 lin. 26 a fine: *loco* appearences *lege* appearances.
„ 58 lin. 7 a fine: *loco* The *lege By.*
„ 59 lin. 18 ab initio: *loco* vera *lege* vero.
„ 59 lin. 18 a fine: *loco* multiplextum *lege* multiplex, qui tum.
„ 61 lin. 9 a fine: *loco* Unvermögen *lege* Urvermögen.
„ 68 lin. 10 a fine: *loco* sensationis *lege* sensationes.
„ 79 lin. 9 a fine: *loco* pulpos *lege* palpos.
„ 92 lin. 16 a fine: *loco* herum *lege* heroëm.
„ 108 lin. 3 a fine: *loco* entologiques *lege* entomologiques.
„ 140 lin. 14 a fine; *loco* fit *lege* sit.
„ 158 lin. 5 a fine: *loco* vita *lege* vitae.
„ 187 lin. 18 a fine: *loco* aptiones *lege* aptiores et *loco* ineptiones *lege* ineptiores.
265 lin. 5 a fine: *loco* re *lege* se.
„ 270 lin. 16 a fine: *loco* quod *lege* quae.
„ 294 lin. 16 ab initio: *loco* est excludens *lege* est non excludens.
„ 305 lin. 10 ab initio: *loco* et *lege* est.
„ 315 lin. 8 a fine: *loco* accedat *lege* accidat.
„ 335 lin. 2 ab initio: *loco* qui *lege* quae, et *loco* alterioris *lege* altioris.
„ 337 lin. 9 ab initio: *loco* determinantes *lege* determinatas.

150.2
P 437
PESCH T

15271

AUTHOR
Institutiones Psych. I,1

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

15271